3
5

6
4-D
53

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
6
4 K
23

6 – 4 – D. 53.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NOTICIA
DIGNITATUM
ILLUSTRIUM
CIVILIUM, SACRARUM, EQVESTRIUM

XVI. DISSERTATIONIBUS ACADEMICIS

expoſita

à

JOH. CHRISTOPH. BECMANO, D. & P. P.

in Academia Francofurtana.

Cum Privilegio

Sereniſſimor. Elect. Saxon. & Brandenb.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,

Sumptibus CHRISTOPH. ENOCH. Buchta.

ALTDORFI,

Literis HENRICI MEYERI, Acad. Typogr.

A. C. *M DC LXXXV.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

REVERENDISSIMO AC PERILLUSTRI
DOMINO,
DN. OTTONI,
LIBERO BARONI
DE SWERIN,
DYNASTÆ VETERIS
LANDSBERGÆ,
ZACHANI, OLDENWIGSHAGII &c.
Auguſti ac Potentiſſimi
ELECTORIS BRANDENBURGICI
SUPREMO CONSILIORUM ET JUDICIORUM
PRÆSIDI
ELECTORATUS CAMERARIO PRIMARIO
ac HEREDITARIO
CATHEDRALIS ECCLESIÆ BRANDENBURG. PRÆPOSITO
&
PRÆFECTURÆ OURANIENBURGENSIS
CAPITANEO SUPREMO
&c.
DOMINO ſuo Benigniſſimo.

Digitized by Google

Reverendiſſime ac Perilluſtris

DOMINE.

SAcra ferunt, Nobilem peregre profecturum operas ſervis ſuis diſtribuiſſe, reverſum eosdem ad rationes vocaſſe, ac ampliori fortuna iis gratiam feciſſe, qui largo fœnore rem ejus domi auxerant. *Domine*, dixit unus, *Mina tua decem minas fecit*; Et alter: *Domine, Mina tua quinq; minas fecit:* Quibus Bonorum Servorum Elogium & Benignitatis Domini augmentum feliciter abſtulerunt.

Equidem dum Potentiſſimus Elector Brandenburgicus Benignitate Tua ante annos aliquot me muneri Academico admovit, me Minam accepiſſe agnovi non ocioſam, ſed fœnori elocandam, eoq; negociandum mihi eſſe ſenſi, ut ſtudioſam Juventutem DEO, Principi, Patriæ lucrarer. Præſens utiq; ſcriptum effecit, ut ex ſimili argumento ILLUSTRITUDI-

NEM

NEM Tuam è longinquo reducem ſero quidem, non tamen præter votum, humillimè compellatum, & quod Servi illi fecerunt, iterata ejus Editione teſtatum venerim, minam meam heic non decuplo quidem aut quintuplo, duplo tamen auctam eſſe. Invenit enim ex quo ante ſexennium ſub Illuſtri Patrocinio Tuo prodiit, qui illud verſare non aſpernati ſunt, quiq; adhuc verſare deſiderant: Unde veluti propenſum Virorum Bonorum animum erga tenuem operam meam in dupli lucro merito habeo, ita ſecundis curis hisce negociationem meam me non infeliciter continuaturum autumavi. Duplum verò tantùm attuli, h. Lucrum ſatis tenue, aliis quintuplo, ſextuplo, decuplo forte publico profuturis; Sed antehac jam tenuitatem meam hac in re coram ILLUSTRITUDINE Tua faſſus, at ſimul confiſus fui, ſatis fore, ſi rerum, quas ipſi olim plenius cognoſcent, certa veſtigia Juvenum noſtrorum animis impreſſe-

ro: In quo etiam primam meam ſcribendi cauſam recumbere non diffiteor: Neq; enim habeo aliàs quod ſubtili iſti Hiſpano reponam, qui Librorum defectus Ingenii tenuitate excuſari poſſe negat, oſtendendum enim eſſe, Autorem neceſſitate adactum ſcripſiſſe. Incumbit ſane neceſſitas non ſumma quidem, commoda tamen; dum chariſſimam juventutem noſtram formandam ſuſcipimus; Qua cura ſi alii extra eam quoq; frui cupiant, Divinæ Benedictionis argumentum eſt, etiam in re exigua non negligendum. Soli Servo ignavo ſatis eſſe videbatur, minam ſuam in ſudario aſſervare & potius non attingere eam, quam in periculum venire, ne, ſi male ceſſiſſet negociatio, cum Domino ipſi res eſſet.

Expoſui rationem negociationis meæ, Tu DOMINE Benigniſſime, offerentem non dedignaberis. Spectabis Dignitatum hanc Umbram, cujus Dignitas totum orbem politiorem illuſtrat. Obſequium

Digitized by Google

quium meum eadem iterato perſolvo & ſumma Merita Tua humillime veneror, quibus univerſa Marchia Magno Nomini Tuo ſe obligatam profitetur, quæve omnes Poſteros Illuſtri Dignitati Tuæ vectigales habebunt. Exoro de novo Gratiam Tuam, cujus certitudo ampliori fortuna mihi potior erit; Vale, DOMINE Benigniſſime, ac vive Illuſtri Proli & Familiæ Tuæ, Marchiæ noſtræ, Bonis deniq; ac probis omnibus diutiſſime ſuperſtes. Ipſum vero Nobiliſſimum Heroum, Potentiſſimum ELECTOREM Brandenburgicum non tam peregrè profectum, quam in avito ſolo ſuo jura ſua repetentem, DEUS O. M. clementiſſime conſervet, exterminet, qui regimini ejus impedimenta ponunt, ac feliciſſime reducat, ut fœnoris literarii augmenta læte ſurgere, Ipſe rationes ſervorum ſuorum tranquille poſcere ac ſpectare, nos eas ſecure reddere valeamus. Ita voveo.

DOMINE Benigniſſime

Humillimus Cliens Tuus
J. C. BECMANUS.

Digitized by Google

EMineant Reges titulis. Hæc ſplendida civis
Gloria, per mundum titulos ſparſiſſe ſuorum
Majorique decus flamma ſuccendere Regum.
Ut fuerint iſti Tecum, Collega, labores
Hactenus, ut Titulos, Sceptrum, Diademata, Cultus,
Ac Tyrio pulchre ſucco radiantia Regum
Pallia, Magnatum dederis ſpectanda favori,
Vidimus, ac una tantis applaudimus auſis.
En Tua per patriæ fines jam latius exit
Gloria, magnanimo quondam perſpecta Britanno.
Surget honos: juxta poſt hac Illuſtribus ibis
Gratus, & illuſtri vives mercede decorus.

Nobiliſſ. DN. AUTORI
Collegæ Honoratiſſimo
ſcrib.

Samuel Strykius, J. U. D.
Prof. Ordin. & Fac. Jurid. h. t.
Decanus.

DIS-

DISSERTATIO I.
DE
TITULIS REGIIS COMMUNIBUS.

CAPUT I.

Status Regum Antediluvianus. Nimrodi Hiſtoria. Aureum Seculum. Tituli Regii Progreſſus. Ejusdem ad Minores Dominos translatio. Cauſa luxuriei Titulorum in Titulo R. Hiſpaniæ. Reges Subordinati in Sacris, ſub Alexandro M. Romanorum, In Imperio Romano. Hibernia in Regnum evecta. Regnum Utriusq; Siciliæ. Reges Subordinati extra Europam. Titulus Regis Regum. Titulus Cralis. Titulus Ducis Sabaudiæ. Vice Reges, Bani Hungariæ.

I.

INitium ab ipſo Nomine REGIO facimus, quippe fulcimine reliquorum ampliſſimo, antiquiſſimo, & ipſis Rerum primordiis ac vitæ Sociali tantum non æquali. Quid impedit enim, quo minus Statum REGIUM Rebus coævum ſtatuas, illum non promiſcuo rerum omnium arbitrio, aut effreni παμβασιλείας Libidine, ſed ſpectata inter Bonos Moderatione uſurpatum. Naturæ enim eſt deteriora potioribus ſubmittere; Ac Jure Gentium diſcretas Gentes, Regna condita & Dominia diſtincta docet JCtus *l. 5. ff. de J. & J.* Nosque connexionem hanc pluribus probavimus *Meditt. Politt. Diſſ. XI. §. 111.* Idem ſenſere graviſſimi Autores, Seneca: *Primi Mortalium, quiq; ex his geniti Naturam Incorruptam ſequebantur, eandem habebant & Ducem & Legem, commiſſi melioris Arbitrio.* Juſtinus L. I. 1. *Principio Rerum gentiumq; Imperium penes Reges erat, quos ad faſtigium hujus Majeſtatis non ambitio popularis, ſed ſpectata inter Bonos Moderatio provehebat.* Cedrenus *de Adamo*: Οὗτος ἡγεμόνευσε τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων δι' ὅλης αὐτοῦ ζωῆς. Nec abludit conſtans Hebræorum traditio: In *Joſepho Ben Gorion L. II. c. XI.* inducitur *Kenan,*

Digitized by Google

Sethi Nepos, Imperans toti mundo, Epiſtola Alexandri M. ad Ariſtotelem ibi citata: Quam & R. *Abraham Zacuthus* laudat: Alexandrum M. Ariſtoteli ſcribere, Se inveniſſe in Inſula ditionis Perſicæ homines Ichthyophagos, qui Græce locuti fuerint, eosque narraſſe, eſſe in medio Inſulæ Sepulchrum Regis Kenan, Filii Enoſch, qui ante diluvium toti mundo imperaverit: *Sepher Juchaſin fol. VI. B.* Adde R. *David Tzemach fol. 2. B.* Autori Narrationis Fabuloſæ de Initio Dignitatum in Genere Humano non immorabimur: Vult ille Sethum cæteris Regem divinitus præfectum; Fingitque Divinum alloquium tale, qui Oratione Ligata eam exhibuit:

Te vero, Te Sethe tuis Regemque Patremque
Civibus impono, jam nunc ad ſeptra vocatus.
Aggredere inprimis Aras, & Templa tueri,
Tum Regere Imperio populos & jure memento,
Tutari innocuos, pœnis frenare ſuperbos.

Et de Cainitica ſtirpe nonnulla huc pertinentia ſuſpicatur Auguſtinus *de Civ. D. L. XV. c. 20. De eo, quòd Cain ſucceſſio in octo ab Adam generationes clauditur & in poſteris ab eodem Patre Adam Noë decimus invenitur.* Reſpondet inter alia S. Pater: Fieri poſſe, ut propter aliquam ſecretiorem cauſam, quæ ipſum lateat, usque ad Lamech & ejus filios generationum perveniente contextu, commendaretur hæc civitas, quam ille Terrenam vocat, ac deinde ceſſarit Scriptor Libri commemorare cæteras, quæ usque ad Diluvium eſſe potuerint. Tunc ſubdit: *Poteſt & illa eſſe cauſa, cur non ordo Generationum per primogenitos ducatur; Ut neceſſe non ſit in illis hominibus tam ſeram credere pubertatem: Quod ſcilicet eadem civitas, quam Cain in nomine Enoch filii ſui condidit, longe lateque regnare potuerit, & Reges habere non ſimul plures, ſed ſuis ætatibus ſingulos, quos genuiſſent ibi ſucceſſuros, quicunque regnaſſent. Iterum Regum primus eſſe potuit ipſe Cain, ſecundus Filius ejus Enoch: In cujus nomine ubi regnaretur condita eſt civitas: Tertius Gaidad, quem genuit Enoch: Quartus Manihel, quem genuit Gaidad: Quintus Mathuſael, quem genuit Manihel: Sextus Lamech, quem genuit Methuſael, qui ſeptimus eſt ab Adam per Cain. Non autem erat conſequens, ut primogeniti in Regnum regnantibus ſuccederent Patribus, ſed quos regnandi meritum propter virtutem Terrenæ utilem civitati, vel Sors aliqua reperiret, vel ille potiſſimum ſuccederet patri hæreditario quodam jure Regnandi, quem præ cæteris filiis dilexiſ-*

Digitized by Google

lexiſſet. Potuit autem vivente adhuc Lamech atque regnante fieri Diluvium &c. E quibus Chaſſanæus quidem elicit, Auguſtinum ſentire, ſolos Reprobos in principio mundi Dominium accepiſſe. *Catal. Glor. Mund. p. V. conſid. 1.* Auguſtini vero hanc mentem non eſſe probamus. I. Quia Regimen Cainiticum ita deſcribit, ut alterum Sethidarum non excludat; Nec II. Quid factum ſit Regimine Cainitico, ſed quid fieri potuerit dicit. Aureum priſcorum Seculum hæc tempora forte etiam reſpicit, Saturno, Jove &c. rerum potientibus, non Diis, ſed Regibus, aut Heroibus. Vetuſtiſſimus *Rex Saturnus tantæ Juſtitiæ fuiſſe dicitur, ut neque ſervierit ſub illo quiſpiam, neque quicquam privatæ rei habuerit, velut unum cunctis Patrimonium eſſet.* Juſt. XLIII. Repetantur quæ paulum ante ex Seneca & Juſtino citavimus. Quod concinno Paralleliſmo de Filiis Seth etiam tradit *Eutychius Patriarcha*, ſeu, ut vulgo vocant, Said Ibn Batrick; *Annal. Alex. p. 11. Nullus apud ipſos Locus Invidiæ, Injuſticiæ, aut mendacio, Juramentum ipſorum erat*, Non per Sanguinem Abelis. *Quotidie autem Faſtigium montis Sancti conſcendentes proni Deum adorabant &c.* Et Sinenſium Primæ Dynaſtiæ e Puoncui & Filii Thienhoangi, tum Ginhoangi familia huc pertinebunt; Illorum tempore *Spiritu Cœleſti ubiq; diſcurrente, qui paulatim urbanos mores induxit, & absq; magno Labore Mortales, alioqui Diſciplinæ capaces, ad Humanitatem informavit &c.* ait Sinenſis Hiſtoricus apud P. Mart Martinium mox citandum. Sub his Seculo Aureo fluente: *Terra namque modico Labore culta ſponte propemodum fruges tulit, & quilibet Rerum Ordo ſuam Dignitatem obtinebat. Rex plusquam paterna Charitate populos complectebatur, qui eum viciſſim, ut patrem obſequentiſſimi Filii, colebant. Ille Regis Nomen, hi ſubjectorum civium munus pulchre explebant, omnia tunc erant communia, liberi omnes, maximoq; inter ſe omnes amore connexi* Idem ibidem. Quæ etiam P. Martinius ad Tempora Antediluviana non invitus refert; Denique veterum Chaldæorum Imperium huc retuleris, inchoatum ab Aloro, τῷ ὑπὸ Θεοῦ ἀποδειχθέντι τοῦ λαοῦ ποιμένι, ajente *Abideno* apud *Euſeb. Chron. L. I* Finitum cum Diluvio a Siſuthro, apud eundem: Maxime ſi Saros h. Temporis ſpacia ipſis aſſignata non MMMDC. Annis, ſed diebus æſtimes. Nam errorem aliquem, unde Traditioni huic irrepſiſſe vel inde colligere eſt, quod totum Tempus Chaldæorum inferius ſit numero Annorum Regum & Sarorum: Hoc 432000, illo

 150000.

150000. Annos in ipſo Beroſo attingente. Adde Apollodorum, & Beroſum ibidem citatos. De Ægyptiorum Regibus Antediluvianis, ſeu τῶν Θεῶν βασιλείᾳ, agit *Monetho* apud eundem *Euſeb. Chron. L. I.* Plura vid. in *Salian. Annal. Vet. Teſt. Bolducc. de Eccleſia ante Legem L. I. cap. XV. Richard. Montacut. Actis & Monumentis Eccleſiaſticis ante Nativ. Chriſti*, Anglice editis *Lond. MDC LII. fol.*

II. Continuatum fuit hoc Regimen poſt diluvium a Noacho, atque ab eo in Semum ac poſteros ejus tranſlatum, *ὃ καὶ τὴν ἡγεμονίαν διεδέξατο μετ' αὐτόν, Cedrenus.* Quem etiam Regem vocat S. Scriptura, ſi idem ſit, qui Melchiſedek, quod volunt *Hieronymus, Gerundenſis, Primaſius, Jonathan, Hieroſolymitanus* & alii; Melchiſedek enim erat Rex Solymorum: Donec, ſeu ruente in deterius Gente Hominum, ſeu præcipiti dominandi libidine Nimrodus rigidius Regimen formaret, & Monarchiam Babylonicam conderet, exiſtentibus Regni ipſius initiis *Babylone, Erec, Accad, Calne in Terra Schinharis*, Gen. XX. *Nimrod Gigas, Rex Babelis, ubi primus omnium regnaſſe fertur, eumq; in cœlo Coronæ formam e Nube vidiſſet, accerſito metallorum fuſore, coronam ſibi conflaſſe; quam Capiti imponeret, unde factum, ut dicerent homines, Coronam ipſi e Cœlo delapſam. Eutych. Annal. Alex. p. 67. Ipſe cœpit potens eſſe in Terra*, ait Sacer Codex *Gen. X. IIX.* *Quod LXX.* reddiderunt, οὗτος ἤρξατο εἶναι Γίγας, eoque aliis occaſioni fuere, ut Gigantem fuiſſe crediderint. Sic enim appellant ipſum Ambroſius, Auguſtinus, Eutychius, Hieronymus Chron. Et Sulpic. Severus: *Chus Nemrod Gigantem genuit.* Attamen ut potenti vocem *Gigas* æquipares, faciunt *Heſych.* cui Γίγας, δυνάστης, ἰσχυρός. *Chryſoſt.* Γίγας, τουτέστι Τύραννος. *Joſephus* Τολμηρὸς δὲ καὶ κατὰ χεῖρα γενναῖος. *Et fuit Potens venator coram Domino*, pergit Sacer Codex; Quam in rem *Auguſtinus de Civ. Dei IV. C. VI. Inferre Bella finitimis ac populos ſibi non moleſtos ſola regni cupiditate conterere, quid aliud, quam grande Latrocinium nominandum eſt?* Nimrodus animorum inclinatione utens ſubinde jactavit præſentem felicitatem non Deo, ſed ſuis Viribus totam eſſe acceptam ferendam. Proinde ſe Viros meminiſſent, atq; ipſius fide ac fortitudine jam ante tot documentis perſpecta in omni fortuna uterentur. Volebat videri maxime neceſſarius Suis, ut magis Ejus opem deſiderent, minus vero ſibi caverent ab ipſius Tyrannide, ad quam paulatim omnia trahebat. *Loccen. Period. Imper. 3. Cap. 1.* Neque Nimrodo nos patrocinabimur:

In

Digitized by Google

In medio tamen relinquimus, annon æquiorem quoque ſenſum Verba Scripturæ ferre poſſint. Nimrodus utique fuit potens Venator, fuit tamen coram Domino: Non neceſſariò ergo adverſus Dominum, quod ex iis, quæ allegati Autores ei attribuunt, ſequitur. Quid ſi prædones & latrones ac facinoroſos homines per vim ceperit & Imperio ac poteſtati ſuæ ſubjecerit, ut honeſta ſocietas vitæ inter homines poſſet coaleſcere, quæ æquabili & paterna moderatione diutius conſervari non poterat, poſtquam malitia hominum nimis jam invaluiſſet. Dignum ſane potenti Venatore coram Domino Officium ita præſtitiſſet. Si Tyrannidem iſtam, qua toties reum peragunt, exercuiſſet, Venator fuiſſet non coram Domino, ſed contra eum.

III. Sed obſcuritate hæc & dubiis involuta non levibus: Nec quicquam eorum noſtrum fecerim, niſi quatenus vel profundiſſimam Nominis Regii Antiquitatem, vel Veterem ſaltim de tali Antiquitate opinionem indico. Ipſa certe, quæ de Aureis Priſcorum Temporibus allegata ſunt, e nimis vulgatis Erroribus ſunt: Cum I. dubium ſit, quo pacto hæc rerum Memoria ſervata fuerit, Humano Genere omni, ſi a Noachica Familia diſceſſeris, penitus deleto: *Niſi forte de Rebus Diluvio Antiquioribus obſcura in Poſteris fama per manus tradita remanſit, quam Scriptores deinceps ignoratione veri conjecturisque magis obſcurarent, aut ſuæ Gentis amore ſtudioque illius initia ad ignotam originem revocandi commentis ac fabulis corrumperent*, inquit idem Martinius *Hiſtor. Sinic. Dec. I. L. I. pag.* 21. Quæ cæteris etiam opponi poſſunt, quæ ex priſcis Autoribus allegavimus. II. Comparatus Noſtrorum temporum cum primis Seculis Status nihil prærogativæ iſtis concedit. Si enim Naturalem Statum ſpectes, h. quo vivimus & conſervamur, veteres incommodiſſime egerunt. Victus eorum erant radices, & ſi Ovidium audimus, glandes; Sic nempe de Ætate Aurea ſua loquitur: Homines Cibis ſua ſponte natis contentos fuiſſe, talesq; comediſſe Fraga, Corna, Mora, *& quæ deciderant patula Jovis Arbore Glandes.* Amictus loco habuerunt pelles ferarum vel pecudum; His enim ipſe Deus poſt lapſum donavit primos Homines; Et Habitacula erant ſpeluncæ, a quibus jam ipſæ fere Beſtiæ abhorrent: Ut proinde Ferrea potius quam Aurea fuerint Tempora; Ferreum enim ſi eſt aſperius vivendi genus, Ferrea certe fuerunt, quæ tot commoditatibus, quibus nunc affluimus, caruerunt. De Statu

Morali vero ſuorum temporum jam tum Seneca: *Erras*, mi Lucili, *ſi exiſtimas noſtri Seculi eſſe vitium luxuriam & negligentiam Boni moris & alia, quæ objicit ſuis quisq; temporibus. Hominum ſunt iſta, non temporum: Nulla ætas vacavit a culpa; Et ſi æſtimare licentiam cujusq; ſeculi incipias, pudet dicere, nunquam apertius, quam coram Catone peccatum eſt &c.* Ep XCVII. Qua tota probat: *Et nunc & olim fuiſſe malos.* Neque aliud extra idem teſtantur Inobedientia Adami, Invidia & mox ſecutum homicidium Caini, Scortationes filiorum Dei cum filiabus Hominum, Iterum homicidium Lamechi, Ebrietas Noachi, Inceſtus Lothi, Feritas Nimrodi & ſim. Conferatur *Caſp. Dornavius in Parallelis morum Seculi, ſeu Diſſ.* qua probat vitia noſtræ Tempeſtatis priſci item ævi fuiſſe. Item Doctiſſimus, ſed Satyrico ſcribendi aliosve inſectandi genere famoſus Rollenhagen Append. Warhaffter Lügen C. XX. Ob iemals eine güldene Zeit geweſen? Ubi inter alia: Zu Adams Zeiten war ſie nicht/ dann ſein Acker trug Diſteln und Dornen. Er muſte in ſeinem Schaaf-Peltze ſich mit Kummer darauf nehren/ und im Schweiß ſeines Angeſichts ſein Brod eſſen/ bis er wieder zur Erden ward/ von der er genommen war. Es verachtete auch Cain GOttes und der Eltern Warnung/ und ſchlug ſeinen Bruder tod/ lieff in ein ander Land/ und verfolgte mit ſeinen Nachkommen ſeiner Brüder Kinder unaufhörlich/ bis GOtt alle Menſchen auf Erden mit der Sündfluth erſäuffte/ und allein acht Perſonen in der Arche überblieben. Vielweniger war das Aureum Seculum zu der Patriarchen Zeit/ denen ihre Nahrung blutſauer ward/ und immer ein Bruder den andern verfolgete/ und die Eltern zu tod marterte. Noch weniger war es bey den Iſraelitern in der Wüſten und im Gelobtem Lande. Die Richter/ Saul und David hatten immer zu ſtreiten/ und wo war ſonderlich eine fröliche güldene Zeit/ als David die Ammoniter legte unter eiſerne Sägen und Zacken und eiſerne Keile/ und verbrannte ſie im Ziegel-Ofen: Und hernach von Abſalon ſeinem liebſten Sohne ſelbſt verjaget ward ꝛc.

IV. Nomen REGIUM itaque unde ortum, ad Poſteros transmiſſum & in maximis Monarchiis radicatum fuit, ſeu *Electione*, cujus Exempla notiſſima, ſeu *Jure Belli*, quod aliæ nationes *Conqueſtum* vocant, unde Nomen *Wilhelmi Conqueſtoris*, famoſiſſimi Regis Angliæ, ac præſentis Monarchiæ Anglicanæ Fundatoris; Et Regis Portugalliæ non infrequens Titulus, Domini *da conquiſta & navegacan & commercio di Æthiopia, Arabia, Perſia, & di India.* Quem vide

vide ſeq. Diſſ. III. c. I. Adde præter alios *Loccenium* cit. *Tr. de Periodis Imperiorum.*

V. Eodem nomine minores Gentium Domini poſthac uſi fuere. Tales Reguli Palæſtinæ. *Joſue. XIII.* Quæ enim tam exigua Terræ Portio XXXI. Potentes Reges alendo eſſet? Et ipſe Abraham βασιλεῦσαι dicitur Nicolao Damaſceno, cum non alius ſine dubio, quam Paterfamilias αὐτόνομος eſſet: Quod vidit *Juſtinus* & Regem Damaſci appellavit *Lib. XXXVI.* Non male; Nec tamen ejusmodi Regem, quales noſtra tempora ferunt; Verum autem: Sui Juris enim erat & a nemine dependit, vel quenquam ſe ſuperiorem habuit: Quod majeſtatis infallibile indicium eſt. In Magna Britannia id genus Reges Heptarchæ Veterum Saxonum fuere. Vid. *Camden. Britann. p. 56. Spelmann. Præf. in Concil. Anglic. Tom. 1.* Et Mauri A. DCCCXIII. Hiſpaniam ingreſſi tot regna, quot Urbes erant & Provinciæ extantiores, numerarunt. Hinc illa adhuc uſitata Luxuries Titulorum Regis Hiſpaniæ: Ut *Regem*, ne provincias attingam, *Sevillæ*, Urbis Andaluziæ, *Toleti*, Metropolis N. Caſtiliæ *Jaen* itidem Urbis N. *Caſtiliæ*, Gadium, *ſeu Gribraltar & Algeziræ*, prope Gibraltar &c. ſe appellet.

VI. Uſi etiam REGIO Titulo, qui potentioribus Dominis ſubjecti fuerunt: Cujusmodi Rebelles iſti Reguli *Gen. XIV, IV.* qui Kedor Laomor Regi Elam Annos XII. ſervierant. Alexander M. Cypri regibus imperat, ut æs ſtuppamque & vela præberent, *Curt. X. I.* Abiſaris Regnum filio Ejus attribuit. *Curt. ib.* In Hiſtoria Romana Herodes a Senatu Romano Rex Judæorum declaratur. *Joſeph. Antiq. Judaic. L. XIV. c. XXX.* Nero Teritadem Regem Armeniæ fecit, ἵνα καὶ σὺ καὶ ἐκεῖνοι μάθωσιν, ὅτι καὶ ἀφαιρεῖσθαι βασιλείας καὶ δωρεῖσθαι δύναμαι, ait apud *Xiphilin in Neron.* Ut ille ac Cognati ipſius ſcirent, penes ſe eſſe dandorum & adimendorum Regnorum poteſtatem. *Rex Parthis datus & Regna* aſſignata in Numis Trajani legere eſt. Et populum Romanorum donare Regna conſuetum prædicat *Florus L. III. c. IX.*

VII. Quam Regna donandi conſuetudinem deinde accepit & retinuit Imperium Noſtrum Romano-Germanicum: Cui manifeſto exemplo eſt Regnum Poloniæ, cujus Ducem Boleslaum Chrobrium Otto III. cum ad D. Adelbertum religionis ergo peregrinatus eſſet, Beneficii loco A. MI. in Regem evexit. Dubitant quidem quo titulo,

lo, Scriptores Polonici; Et ſuſcepiſſe hanc Appellationem Boleſlaum recens Chriſtianum factum, non quaſi illo ad Principatus Majeſtatem opus haberet, ſed quia crederet, quemlibet Chriſtianum Principem Regem debere vocari, ait *Maximil. Fredro Fragm. Pol. p.150. & ſeqq.* Sed enim quid obſtat, quo minus Poloniam Imperio noſtro Tributariam fuiſſe putes? Ajentibus ita *Lamb. Schafnab. A. M. LXXVII. Goth. Viterb. Chron. A. MXX. Radevic. Libr. de Reb. Geſt. Frider. I. Bonfin. de Reb. Hungar. Dec. 11. Goldaſt. L. VI. de Regn. Bohem. c. X.* & aliis, quos citat *Franc. Marinius de Scopo Reip. Polon. c. 3.* Quod quidem negat Cromerus, & Marinius peculiari tractatu ſe clare demonſtraturum recepit, Reges Poloniæ nunquam & nulli fuiſſe tributarios atque ſubjectos. Quid tamen ille in tam levi & fere nulla ad iſta Rerum Polonicarum tempora Luce allaturus ſit expectandum eſt. De Regibus Bohemiæ prolixe *Goldaſtus de Jur. R. Bohem. L. III. c. X. 1.* Primo Dignitatem Regiam ab Henrico I. vel Ottone I. Imp. Rom. S. Wenceslao oblatam, qui vero eam reſpuerit ex *Georg. Bartbol. Pontano* de S. Wencesl. *Andr. Dubravio Hiſtor. Bohem. L. V.* Deinde Vratislaum II. Ducem Bohemiæ Bretislai filium & Spitignei Fratris primogeniti Succeſſorem ab Henrico Imp. in Comitiis Moguntinis A. M. LXXXIV. Regem creatum, antiquo Moravorum Regno in Bohemiam translato ex *Coſma Pragenſi, Ænea Sylvio, Ant. Bonfinio* &c. Denique ex *Godofrido, Henrico Sterone, Dubravio*, aliisque Scriptoribus Bohemicis Przemyslum Ottocarum cognomento Victorioſum A. M C XCIX. a Cæſare Philippo in Comitiis Moguntinis impetraſſe privilegium ſolenne, ut, qui poſthac rerum in Bohemia potituri eſſent, Suffragiis populi liberis legerentur pro more omnes, & REGES eſſent, ac ſtatim data corona Regem Bohemiæ declaratum. *Exin tandem Interregnum in Bojemia finitum, inquit Dubravius, Regibus ſibi deinceps continua ſerie ſuccedentibus: Poſtquam uſu didicerunt ad Dignitatem atque exiſtimationem tuendam plus inter ipſos Reges, quam inter Principes cenſeri, præſertim ap. Bojemos in tam corrupta Procerum indulgentia ac licentia, per quam ipſos Principes non ſolum nimis ſibi familiares, verum etiam obnoxios faciebant.* Hiſt. Boh. L. XV. Confer *P. Stransky. Rep. Bohem. c. III.* Rationes vero toties interrupti Nominis Regii reddit *Goldaſtus l. c.* vel Succeſſores per modeſtiam quandam Regiæ Dignitatis Titulo abſtinuiſſe; vel ideo abſtinuiſſe, quod vi magis, quam jure imperaverint, vel quod Imp.

Imp. Romani indultam ſumendæ Coronæ more majorum obtinere non valuerint; vel quod Regios ſumptus Camera Bohemica ſuſtinere non potuerit: Iterum, quod oneris plus quam honoris ineſſe judicaverint, vel quod ſervitutis ſibi jugum ſub honoris ſpecie impoſitum arbitrarentur, &c. Regnum Daniæ huc etiam agunt *Reinking. Reg. Secul. L. 1. Claſſ. 11. c. IX. Nov. XLIII.* & ex eo *Piſetzki de Stat. Secul. c. 1.* & Petrum Danorum Regem de manu Friderici Barbaroſſæ Coronam accepiſſe ex *Ott. Friſingenſi & Tritbemio* dicunt: Quos ipſo quoque nomine aberrare, cum non Petrus, ſed Sueno Grathe tum temporis rerum potitus fuerit, monet *Svaning. Chronol. Dan. p. 13. 14. 15.* De Hiſpaniæ, Galliæ &c. Regnis vid. *Reinking.* citato loco.

VIII. Quæ Pontifices Maximi hoc nomine ſibi vendicaverint, quove jure, jam dudum alii demonſtrarunt. Πολιτικώτατον utique facinus erat Pauli IV. P. R. cum Legatis Philippi ac Mariæ Romam venientibus, Hiberniam in Regnum erigeret, non obſtante, quod Henricus IIX. poſt abdicatam Pontificis Autoritatem, eam Regiæ Dignitatis Titulo jam tum ornaverat, & *REGEM Angliæ, Franciæ & Hiberniæ* ſe inſcripſerat, cum antea Ille & Anteceſſores ipſius ſe *Dominos Hiberniæ* tantum vocare ſoliti eſſent: Quod etiam eundem Titulum per Eduardum VI. continuatum, Philippus & Maria aſſumſerant. Quia enim ſui tantum peculii eſſe putabat, Regium Titulum alicui conferre, videbat vero, *quam difficile foret, perſuadere Anglis, ut Titulum reſpuerent à duobus Regibus uſitatum, & a Regina nihil ſiniſtri cogitante continuatum : Quare moderatione hic utendum ratus, quid Henricus egerit, diſſimulato, ipſe Inſulam eam in Regnum erigere ſtatuit, quo Homines adduceret ad credendum, Reginam illum Titulum adbibere, tanquam à Pontifice ſibi donatum, non Patris aliqua Lege decretum. Petr. Suavis Hiſtor. Conc. Trident.* L. V. Statimq; adjicit: *Illud hercle Pontificibus in more poſitum de alieno corio ludere, & quod juſtis Dominis auferre nequeunt, id ipſis elargiri : Iiq; viciſſim ad vitandas cum Pontificibus Rerum Dominis contentiones, vel quæ ſua ſunt dono accipere non recuſant, vel quid in rem donatam is, qui donum confert, juris habeat, ſcire ſe diſſimulant.* Cui prolixas quidem exceptiones opponit Pallavicini *Hiſtor. Concil. Trident. L. XIII. c. XII. n. 1. 2. 3. 4. 5.* Sed in ſummam hanc recidentes : Non motu proprio, ſed Philippo ac Maria poſtulantibus id factum, idque in impreſſo in Annalibus

Bzovii Diplomate liquere ad A. M D LV. Cui ipſa P. Suavis facile reſponſum reddunt: Etenim vitandarum Contentionum cauſa ſi Poſſeſſores a Pontificibus ſæpe dono accipiunt, quæ ſua ante fuerant, ſi ſcire ſe etiam diſſimulant, quid juris in rem donatam Donator habeat, certe diſſimulare jus ſuum Philippus ac Maria potuerunt, illudq; ad vitandas contentiones donari ſibi petere, cujus juſti poſſeſſores ante erant; Ac proinde Diploma Bzovii Pallavicino exiguo præſidio erit. Ludiq; hanc fabulam poſtea de novo oportuit, cum Elizabetha Regina ad Proteſtantes tranſiiſſet. Nempe tunc Regnum Hiberniæ iterum venum expoſitum, aſſentiente Romano Pontifice a plerisq; Nobilium Johanni Auſtriaco oblatum fuit: unde & factum aliqui putarunt, quod in funere ejus Caput Corona, tanquam Regni ſpecie ornatum fuerit. *Strada de Bello Belg. D. I. L. X.* Conf. *ſeq. Diſſ. X. C. 1. §. VII.* Cæterum non ignotum eſt, Potentiſſimum Hiſpaniæ Monarcham ratione Siciliæ cis Pharum, ſeu Regni Neapolitani, Pontifici ſubordinatum eſſe. Quod adhuc uſitata albi Equi Ephippio & ornamentis ex Holoſerico Rubro ornati ac VIIM. Aureorum annua penſio ſatis loquitur, quam A. M DC LV. Vice-Regem Neapolitanum Alexandro VII. exhibuiſſe *Thuldenus* commemorat *Deſcr. A. M DC LV;* Anno M DC LX. *Sprenger. Rom. Nov. L V. c. IIX.* Et nuperrime Clementi X. exhibitam fuiſſe notum eſt. Sed an etiam Siciliæ trans Pharum nomine? Ita quidem cenſet Sedes Romana; Sed renuerunt Reges Hiſpaniæ a Carolo V. usque conſtantiſſime. Et Baronius cum edito Tractatu *de Monarchia Siciliæ*, quem etiam *Annalium* ſuorum *Tomo XI.* inſeruit; Pontificis jura imprudenter proſequeretur, id obtinuit, ut ſpe obtinendi Pontificatus orbaretur, Tractatus iſte vero & ipſe *XI. Tomus Annalium* peculiari Edicto Philippi III. dato in Eſcuriali Anno M DC X. confiſcaretur: Quod Edictum præter alios exhibet *Goldaſt. de Monarch. Imper. T. III. p. 619.* Vid. *Thuan. L. CXXXIV. ab init. ad A. M DC V. Gramond. ad A. M DC X. p. 10.* Ideo queritur *Baronius Annal. ad A. M C XXXVI. num. XXIV. Dictu nefas, horrendum factu, quod infeliciſſimis noſtris temporibus probata a Romano Pontifice ſcripta Miniſtri Regii redigere audeant ſub Cenſuram, ut ea a Librariis vendi non ſinant, niſi ab ipſis impetrata licentia, quam etiam interdum pro arbitrio negent, atque prohibeant, ne vendantur.* Fruſtra autem eſt *Autor Prætenſionum Illuſtrium*, qui gravi Lapſu in Principio Prætenſionum ſuarum ait, Regem Hiſpaniæ ratione

tione

Digitized by Google

tione utriusque Siciliæ ſervitia feudalia usque in hodiernum diem Papæ præſtare, ideoque Prætenſionem Papæ hic quieſcere. Quem errorem etiam errat, ut plerumque ſolet, *Lucas de Linda Deſcr. Orb. p. 527.* Magnum Ducem Moſcoviæ a Clem IIX. Titulum Regium petiiſſe, ſed repulſam tuliſſe, donec Schiſmate Græco relicto ad conſortium Eccleſiæ Romanæ cum ditionibus ſuis rediret, memorat *Piaſec. Chron. ad A. 1593.* Cui tamen dubium hoc merito opponimus, quod Moſcus iſtis temporibus nulli infenſior fuerit, quam Pontifici M. eumque non niſi Doctoris Titulo dignatus ſit, *V. Baro ab Herberſtein. Comm. Rer. Moſc. p. 12.*

IX. Subordinatis REGIBUS Africæ & Aſiæ Itineraria ſcatent. De Rege Æthiopiæ ait *Zaga Zabo*, Ipſius ad Emanuelem R. Portugalliæ Legatus; *Ejus Imperii ditiones tam Chriſtianorum quam Ethnicorum miræ amplitudinis ſunt, in quibus multi REGES & REGULI, Comites, Barones ac Proceres, multaque Nobilitas ineſt ad ejus mandata obtemperantiſſima*, apud *Damianum autem Goes de Moribus Æthiop. p. 90.* De REGE Monomotapæ idem perhibet *Paulus van Caerden Itiner.* p. 10. REGIS Zeylon Subditi REGI Pegu meminit *Itinerarium Stephani van der Hagen T. 2. Navig. Belg. No. 12.* REX Decami, utut potentiſſimus, ſe Magno Mogor ſubdidit annua 3000000. Pagodarum penſione. *Deſcr. Regni Cuncam ſeu Decam c. T. 2. Nav. Belg. N. XVII. p. 74.* Indicem REGUM Japaniæ REGI ſubditorum, exhibet *Franc. Caron. Deſcr. Regni Japan* fere ab initio.

X. Varietate hac Nominis REGII verò factum, ut Superiores Monarchæ Titulum REGIS REGUM aſſumerent. Nebucadnezarem REGEM REGUM appellat Daniel Prophetiæ ſuæ C. II. XXXVII. Cyri ſepulcro inſcriptum fuiſſe teſtatur Strabo: Ἔνθα δ' ἐγὼ κεῖμαι Κῦρος Βασιλεὺς Βασιλήων. *Geograph. L. XV.* De Armeniæ REGE Tigrane Plutarchus: Ὑπὲρ Ἀρμενίας κάθηται Τιγράνης, Βασιλεὺς Βασιλέων, ἔχων δύναμιν ἡ Παρθυαίων περικόπτει τῆς Ἀσίας, καὶ πόλεις ἑλληνίδας εἰς Μηδίαν ἀνακομίζει. *in Lucullo p. 501.* Et paulo poſt: Tigranem Lucullo iratum fuiſſe, quod tantummodo REGEM, non REGEM REGUM, Literis ad ipſum datis ſalutaſſet, ipſumque, cum reſcriberet, nec Lucullum Imperatorem ſalutaſſe. Parthorum Rex Vologeſus Literis ad Veſpaſianum: Βασιλεὺς Βασιλέων Ἀρσάκης Φλαβίῳ Οὐεσπασιανῷ χαίρειν. *Epitom. Dion. in Veſpaſiano. REGII M etiam REGEM & exercitatione venandi & convictu Megiſtanum abſtinuiſſe,*

quod apud Parthos Juſtitii inſtar eſt. Sueton. ad Mortem non Tiberii, quod oculatiſſimus Seldenus ad hanc materiem notat, ſed Germanici *Caligul. V.* Sapores Perſarum Rex Literis ad Conſtantium: REX REGUM Sapor. *Amm. Marcell. L. XVII.* Inſolito autem exemplo Antonius Cleopatræ filios REGES REGUM appellavit apud *Xiphilin. Auguſt.* Noſtro tempore hoc Titulo utitur Imperator Turcicus: *Sultan* &c. REX REGUM, *Princeps Principum, Dominus Dominantium.*

XI. Inter Chriſtianos Principes, qui eo uſi fuerint, non arbitramur occurrere. Chriſto tamen Servatori eum tribui apud Imperatores Græcos mediorum ſeculorum receptæ conſuetudinis erat, & Formula quidem ſolenni Numis inſcripta: ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ; *Jeſus Chriſtus Rex Regum ſeu Regnantium.* Sic namque ſecula iſta requirebant, ut Monetis præter Nomen Principis ab adverſa parte memorabilis aliqua ſententia conſtanter imprimeretur; Veluti apud Anglos diutiſſime adhibitum eſt: *Adjutorem meum poſui Deum:* Vel: *Jeſus autem tranſiens per medium illorum ibat.* Quæ in Numis Aureis pariter ac Argenteis Edvardorum & Henricorum videre eſt; Ex parte etiam ad noſtrum usque ſeculum perducta ſunt. Et ſimiliter Græci vel iſta quam diximus utebantur, vel altera hac: ΙΗΣ. ΧΡΣ ΝΙΚΑ. *Jeſus Chriſtus vincit*, unde Galli ſuum mutuati videntur: *Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat;* Quod Aureis ſuis circa Crucem floreſcentem inſcribere amarunt, eique ſucceſſit, quo hodienum utuntur: SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM. Sed Formula iſta alii quoque Chriſtiani uſi fuerunt, etiam extra rem monetariam; Et univerſam veterem Eccleſiam Alamannicam ea uſam fuiſſe dicimus ex Antiqua Litania ap. Goldaſtum *Ser. Rer. Alamann. T. II. f. 175. 176.* Præcinente primum Sacerdote tribus vicibus, *Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat:* Rex Regum *Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat:* Rex noſter *Chriſtus vincit:* Spes noſtra *Chriſtus vincit &c.* Ad Formulam noſtram vero, ut reveramur, eam a Johanne Zimiſce cœptam ſicque ad poſteros transmiſſam *Cedrenus*, *Scylitzes*, & *Glyas* ſcribunt: Προσέταξε καὶ ἐν τῷ Νομίσματι καὶ ἐν τῷ ὀβόλῳ εἰκόνα ἐγγράφεσθαι τοῦ Σωτῆρος μὴ πρότερον τούτου γινομένου. ἐγράφοντο δὲ καὶ γράμματα Ῥωμαϊστὶ ἐν θατέρῳ μέρει ὧδέ πῃ διεξιόντα. ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ, τοῦτο δὲ καὶ οἱ καθεξῆς ἐτήρησαν Βασιλεῖς. V. *Freber.*

de Re Monet. Imp, Rom. L. II. c. 1. Sed uſum ejus longe antiquiorem diſcimus ex Imp. Juſtiniani Numis, quorum Adverſas, itidem habere *Jhs. Chriſt. Rex Regnantium:* Et *D. N. Jhs. Chriſt. Rex Regnantium*, tradunt *Occo Numiſm. p. 583. Et Octav. Strad. de Vit. Imp. Rom. p. 265.* Confer *Comment. in Dial. I. p. 9.* Huic vero Sententiæ vel Crucem quadratam adjecere, vel ipſam Chriſti imaginem Librum clauſum manu geſtantem, & Tiara umbonis inſtar cum ſigno Crucis capiti impoſita. V. iterum *Anton. Aug & Freber. ll. cc.* Cruci quoque ſubinde, omiſſo Servatoris Nomine, quatuor angulatim initiales Characteres B. B. B. B. addiderunt, h. Βασιλεὺς Βασιλέων Βασιλεύων Βασιλεύοντας, *Rex Regum Regnare faciens Regnantes. Emanuel Theſaurus. Nott. in Inſcript. Ed. Berol. f. 117.*

XII. A Scriptoribus Græcis medii ævi commemoratur ὁ Κράλης Σερβίας, i. e. Rex Serviæ, a *Krol*, quod Polorum Lingua Regem notat. Vid. *Georg. Logoth. Chron.* Item *Niceph. Gregoram* & alios. Ὁ Κράλης Οὐγγρίας in Sancito quodam Patriarchæ Anonymi apud *Leunclav.* in Jure Græco-Romano. Κράλαινα Regina Gregoræ L. VII. & κραλίτζα in Chronico Conſtantinopolitano Mſ. apud Meurſium. Confer *Douzæ Not ad Georg. Logoth. p. 67.* Exempla ſimilia proſtant apud *Malax. in Turcogr. Cruſ. p. 18.* De Sexu Fœmineo, quomodo REGINÆ, & REGIS etiam nomen aliquando admiſerit, agetur *Diſſ. V. c. III. §. I.*

XIII. Cognatus REGIO Nomini Titulus Ducis Sabaudiæ: SON ALTESSE ROYALE, ortus ex prætenſione Ejus in Cyprum, quam repetunt a Carolotta Cypri Regina, eamque Patrii Regni Jura omnia in Carolum Saubaudum poſteroſque transtuliſſe, ac morti pene contiguam coram Innocentio IIX. Acta confirmaſſe tradunt. Et Cyprium Triumphum ſe nec dum deſpondere eleganter ludit *Theſaurus* ad Receptionem Publicam Caroli Emanuelis & Franciſcæ a Francia A. MDCLXIII. Turini factam, *Quibus jam DEus pro victoriali Arrha Triumphale ſuæ ſindonis vexillum e Cypro oppignorarent;* Reſpiciens ita ad Sacram Sindonem, quam ex Cypria direptione ſervatam Margareta Charnia Regii Sanguinis matrona Ludovico & Annæ Sabaudiæ Ducibus donavit. vid. *Theſaur. Inſcr. f. 107. & ſeqq.* Et noſtro inprimis ſeculo res hæc ſerio acta eſt. Ideo & A. MDCXXXIII. poſt aſſertam Ducibus Sabaudiæ ab Eccleſiaſte Publico Regni Cypri ſucceſſionem Dux Coronam Ducalem apertam claudi atque in Re-

giam converti curavit. *Limm. Enucl. L. III. c. XXII. n. VI.* E mediis Seculis huc pertinebit Nomen βασιλεοπάτορος, non Sanguinis, quod prima fronte videtur, ſed Dignitatis Nomen: Quod Imp. Leo Philoſophus excogitavit, Zautſamque in Zoes Filiæ ejus, tunc concubinæ Imperatoriæ gratiam eo ornavit. Ὁ δὲ βασιλεὺς τῷ πρὸς Ζωὴν, τὴν θυγατέρα τοῦ Ζαουτζᾶ, φίλτρῳ νικώμενος τιμᾷ τὸν ταύτης πατέρα. ΒΑΣΙΛΕΟΠΑΤΟΡΑ, αὐτὸς τὸ ἀξίωμα καινουργήσας μὴ πρότερον ὄν. *Baſileopatorem appellavit nova Dignitate excogitata, talis enim antea non extiterat Cedrenus.* V. plur. *Meurſ. Gloſſar. ad l. V.*

XIV. VICE REGES Poteſtatem fere REGIAM in Locis ſibi concreditis exercent, ſed Actionum ſuarum rationem Superiori ſuo aliquando reddituri: Cujusmodi ſub Rege Hiſpaniæ ſunt, *Arragonenſis, Catalonicus, Neapolitanus ac Siculus;* Et in America Vice-Rex *N. Hiſpaniæ, & Peruviæ,* qua dignitate non ita pridem defungi cœpit *Comes de Lemos.* Daniæ Regi eſt Vice-Rex *Norvegiæ.* Anglia usque ab Henrico II. Pro-Reges *Hiberniæ* habuit primo juſticiariorum & Locum tenentium Nomen ferentes. vid. *Camden. Annal. Elizab. A. MDLXV.* Qua Dignitate hodie fungitur Illuſtriſſ. Dux Ormundiæ. Portugalliæ Rex denique Vice-Regem *Indiæ Orientalis* alit Goæ in Litóre Malabarico agentem. In Hungaria, Vice-Rex ſingulari nomine *Palatini* gaudet; De cujus priſca poteſtate *Lazius:* Der Palatinus oder Pfaltz-Graf iſt der nechſt im Reich nach dem König/ vor welchen die Hungarn vorzeiten/ wann ſich ein König übel hielte/ Macht haben gehabt zu vergleichen: Und dieſe Dignität kommet nicht auf die Kinder/ ſondern wird allezeit der Palatinus von gemeiner Landſchafft und freyer Wahl erwehlet. Eſt Curator Regni, Coronam præferens, Strigonienſem tamen ſequitur. *Sambucus.* Vice-Reges in Regnis Hungariæ adjunctis vocantur BANI. *Tres Gubernatores Regnorum Dalmatiæ, Slavoniæ, Croatiæ vulgo Bani dicuntur. Brachel. Hiſt. L. II. ad A. MDCXXV.* Matthias Daloncius Dalmatiæ & Croatiæ Banus *Gromer. de Or. & RG. Polon. L. XXI. p. 713.* Ladislaus Gara Banus Præfectus Arcis & Ærarii (Viſſegradenſis) *Cromer. c l. L. XXI. f. 709.* Stephanus Banus Boſnenſis *Rit. de Reg. Ung. L. 11. f. 847.* Johannes Banus de Horvath. *id. f. 848.* Fit etiam in Hiſtoriis mentio Banatuum Machovienſis & Zeverinenſis, & Ertelii Turcicis in Hiſtoriis, quæ Johannem de Zapolia *Ertel Ban* appellant, licet ab Europæis Erdelii ſeu Tranſilvaniæ Vaivoda nominetur. Nomen a

Vexil-

Vexillis,quæ præferunt, trahi creditur. V. *infr. Diſſ.V.c.II.§. VI.* Dicuntq; Hungari Siwanum ſe vocare eum qui vexillo aliis præit. *Leunclav. Pand. n CLXXIV.* Seldenus cum Meurſio profitetur, ſe vim ejus non intelligere. Suſpicatur tamen illud eſſe, quod *in Conſt. Porphyrogen. de Adminiſtr. Rom. Imp.* dicitur Βόανος. Et Heſychius : Βαννᾶς Βασιλεὺς παρὰ Ἰταλιώταις, οἱ δὲ, μέγιστος ἄρχων. Notabile Exemplum puniti Vice-Regis A. MDCXXII. Philippus IV. edidit, cum Ducem de Oſſuna Vice-Regem Neapolis, quod Cardinali Borgiæ, in illud munus ſuccedenti, locum cedere noluerat, ad perpetuos carceres damnaret. *Piaſec. Chron. p. 354.* Gravius, ſed pœnitendum, Carolus I. Rex Magnæ Britanniæ in Vice-Rege Hiberniæ, Comite de Strafford, cum A. MDCXLI. capitali ſupplicio in ipſum animadverteret.

CAPUT II.

Regio Titulo in Imperio Romano abſtineri cœptum : Ei ſuffectum Nomen Imperatoris : Baſilei Nomen apud Græcos pro Imperatore : Græcorum Imperatorum cum Imperatoribus noſtris hac de re Controverſia : Uſus Imperatorii Tituli apud alias Nationes.

I.

POtentiſſimus Imperii Romani Fundator C. J. Cæſar REGIAM Poteſtatem exerciturus non ignorabat, Nomen REGIUM Romanis maximo odio eſſe. Itaq; eo ſedulo abſtinuit, nihilo ſecius Monarcha ac Moderator omnium futurus. Et *Plebi REGEM ſe ſalutanti, Cæſarem ſe, non REGEM eſſe, reſpondit. Sueton. Cæſ. LXXIX.* Quem ſecutus Heres fortunæ ejus Auguſtus, *cuncta diſcordiis Civilibus feſſa* nomine Principis *ſub imperium accepit. Tacit. Annal. 1.* Et Tiberius, ſub quo *eadem Magiſtratuum Vocabula. Tacit. ib.* πρόκριτος τῆς Γερουσίας κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἤθελεν ὀνομάζεσθαι. *Xiphilin. Tiber.* At a Caligula non *multum abſuit, quin ſtatim Diadema ſumeret, ſpeciemq;* Principatus *in Regni formam converteret. Sueton. Calig. XXII.* Manſit tamen recepta Conſuetudo, etiam dum Aurelianus Diadema & alia REGII Tituli inſignia uſurparet, & Diocletianus more REGIO adoraretur. Syneſ. ad Imp. Arcadium L. περὶ βασιλείας. Ἡμεῖς μὲν ὑμᾶς ἀξιοῦμεν καὶ καλοῦμεν Βασιλέας, καὶ γράφομεν οὕτως: Ὑμεῖς δὲ εἴτε εἰδότες, εἴτε μὴ συνηθείᾳ δὲ συγχωροῦντες τὸν ὄγκον τῆς προσηγορίας ἀναδυομένοις ἐοίκατε.

II. Alii

II. Alii tamen Titulo REGIS erga ipſos non plane abſtinuere: Cum Regillianus Dux Illyrici eligendus eſſet, cuidam alludenti Rex, Regis, Regi, Regillianus, acclamabant: Ergo poteſt nos regere, Ergo poteſt Rex eſſe. Et alius: Decius tibi REGIS Nomen impoſuit. *Trebell. Poll. in XXX. Tyrann.* Legem REGIAM, quæ de Imperio ipſorum erat, vocat *Ulpianus D. de Conſtitut. Principum L. 1.* Et *Ambroſius Orat. in obitum Valentiniani*, cum ſæpius Imperatorem & Imperium nominaſſet: *Solicitus*, ait, *ne alieno Hoſte ſuum REGNUM attentaretur.* Paulo poſt: *Invectio ornamentorum Regalium aliaq; ejusmodi, quæ ingreſſum iter Imperatorem ſignificarent.* Et fuit poſt translatum Imperium Occidentale, inter ipſos Imperatores noſtros Henricus Auceps, qui poſthabito IMPERATORIS Titulo Rex dici maluit, quod ex Inſtrumentis ipſius allegat *Blondellus Aſſert. Genealog. Franc.* Et Scriptores Pontificii communiter eodem inclinant; Sed aliam ob cauſam, quia nempe a Pontifice M. coronatus non fuerit, eoq; non IMPERATORIS, ſed tantum REGIS Romanorum Titulum ferre potuerit. Hinc fit, ut inter Henricos apud eosdem communiter tantum Aucupis, non Primi nomine veniat, atque ille demum Primus vocetur, quem alii II. Claudum & Sanctum nominant. Vid. *Caniſium T. VI. Ant. Lect. p. 383.* Eandemq; ob cauſam Onuphrius, Sigonius & alii Henricum, celebrem iſtum Imperialis perialis Autoritatis adverſus Gregor. VII. &c. c. Pontifices Vindicem, non Quartum, ſed Tertium appellant.

III. Cæſar vero *Prænomen IMPERATORIS, Cognomen Patris Patriæ, Statuam inter REGES* recipere. *Sueton. Cæſ. LXXXVI.* Atq; illud, uſu quidem Nomine REGIO inferius, at Potentia longe ampliſſimum. Planius *Xiphilin. Cæſ.* Ἐψηφίσθη δὲ αὐτῷ δημοσίᾳ καὶ τὸ Αὐτοκράτορος ὄνομα, οὐχ ὥσπερ τοῖς τινα μάχην μεγάλην νικήσασιν, οὐδ᾽ ὥσπερ τοῖς αὐτοτελῆ τινα ἐξουσίαν λαβοῦσιν, ἀλλὰ καθάπαξ τοῦτο δὴ τὸ καὶ νῦν τοῖς τὸ κράτος ἀεὶ ἔχουσι διδόμενον καὶ πρῶτος αὐτοκράτωρ οὗτος ἀνηγορεύθη, ὥστε καὶ ἀπὸ τούτου τοὺς αὐτοκράτορας τῶν Ῥωμαίων δεῖ ἀριθμεῖν. Ad cujus exemplum omnes Succeſſores ejus IMPERATORES vocati, adeò ut ipſi etiam Parricidæ Cæſaris Brutus & Caſſius eo uterentur: Quorum Moneta nonnulla habet BRUT. IMP. & C. CASSI. IMP. additis pugionibus duobus &c.

IV. Græci, cum venerando huic Titulo æquale Nomen quærerent, Αὐτοκράτορας nuncuparunt. Vid. l.c. Xiphil. & alios. *Nov. I.*

Αὐτο-

'Αυτοκράτωρ 'Ιουςινιανός. Adde *VII. XII. &c.* ipſo 'Ιμπεράτωρ utitur *Job. Meleles*, λόγῳ ιη haut longe ab initio. Solus Sacer Codex Imperium ἡγεμονίαν vocat *Luc. III.* Id vero quo frequentius gaudebant, erat ut Βασιλεῖς vocarentur. Ipſe Caligula eo collimavit, cum audiret forte Reges, qui officii cauſa in urbem advenerant, concertantes apud ſe ſuper Cœnam, de nobilitate Generis, exclamans εἷς κοίρανος ἔςω, εἷς βασιλεύς, *Sueton. Calig. XXII.* Concilia Græca paſſim Βασιλεῖς, Βασιλέας &c. In Codice ac Novellis frequentiſſime. ὁ αὐτὸς βασιλεὺς & ſ. In Chron. Nicephori promiſcue 'Αυτοκράτορες & Βασιλεῖς. Et Magnum illud volumen Legum a Leone Imp. circa A. D CCCC congeſtum Βασιλικὰ audit.

V. Leve hoc eſſet ac frigidum, niſi Tempore diviſi Orientalis & Occidentalis Imperii IMPERATORES in eo partem prærogativæ ſuæ quæſiviſſent. Occidentalibus nomen IMPERATORIS malentibus, eo quod Gothi, Franci, Longobardi Regis Titulo uſi fuiſſent: Orientalibus Titulum Βασιλέως digniorem judicantibus. Quem etiam ne ipſis quidem Occidentis IMPERATORIBUS aliquando denegarunt. Ita Legati Michaelis Curopalatæ ad Carolum M. *Scriptum pacti ab eo in Eccleſia ſuſcipientes more ſuo i. Græca Lingua laudes ei dixerunt IMPERATOREM & BASILEUM appellantes. Annal. Francor. An. DCCCXII. & Vit. Caroli M.* Unde & Monachi Latinorum ipſum IMPERATORIO Nomini potiorem habuere *Abbo Floriac. de Obſid. Lutet. 1.*

Urbs mandata fuit Karolo nobis BASILEO,
Imperio cujus regitur totus prope Coſmus.

Poſtea vero Uſum Ejus ipſis ſæpe ambiguum fecerunt. Teſtatur *Anaſtaſ. vit. Pont. Adriani II.* Epiſcopos Generalis Concilii IIX, Conſtantinopoli habiti Nomen IMPERIALE Cæſari noſtro penitus invidiſſe. Et cum hac de re inter *Baſilium Macedonem & Ludovicum II.* diſputaretur, *Baſilius* diſerte proteſtatur, nemini BASILEI Titulum competere, præterquam IMPERATORI Conſtantinopolitano. Vid *Baron. Tom. X. Annal. A. DCCCLXXI.* Quem inſigni Reſponſione excepit Ludovicus, miratus in Baſilio Contentionis ſtudium: *Cum Imperii Dignitas*, inquit, *apud Deum non in Vocabuli Voce, ſed in Culmine Pietatis glorioſæ exiſtat, nec nobis quid appellatu mirandum, ſed quid ſummis providendum.* Cumq; Baſilius ipſum 'Ρῆγα i. Regem ap-

C pellan-

pellandum cenſuiſſet: Scito, regerit, *qui Riga* (Ῥῆγα) *quemq; appellat quid dicat, nec ipſe novit, ſiquidem etiamſi Linguis omnibus more Apoſtolorum immo Angelorum loquaris, cujus Linguæ ſit* Riga, *vel cui Dignitati ſonus ille Barbarus congruit, quod* Rex *dicitur, interpretari non poteris. Nihil enim forte ad idioma propriæ Linguæ, tractum* Riga, *Regem ſignificare monſtraveris. Quod ſi ita eſt, quia non jam Barbarum, ſed Latinum eſt, oportet, ut cum ad manus veſtras pervenerit, in Linguam veſtram fideli translatione vertatur, quod ſi factum fuerit, quid aliud niſi hoc nomine* βασιλεὺς *interpretabitur?* Vid. Literas ejus *T. 1. Conſtit. Imp. Goldaſt. p. 195.* & ſeqq. Idem controverſatum fuit inter *Iſaacium Angelum* & *Fridericum Barbaroſſam. Expedit. Aſiat. Frider. 1.* apud *Caniſ. Antiq. Lect. p. 11.* Et in Luitprandi Legatione a *Caniſio* edita contenditur, num *Otto* IMPERATOR βασιλεὺς, BASILEVS, dicendus ſit, cum *Nicephorus* Græcus eum Ῥῆγα tantummodo dictum vellet: Vid. eandem apud *Baron. T. X. Annal. A. D CCC LXIIX.* Interim BASILEI Titulum conceſſere Regibus Bulgariæ. Vid. *Job. Curopalat. in Tzimiſce.* Contra Hungariæ & Siciliæ Reges tantum Ῥῆγας appellabant. Vid. Incomparabilis *Selden. Titles of Honour*, cujus veſtigia heic fere ſequimur. Adde *Freber. præf. Jur. Græco-Rom.*

VI. Præter Orientalem & Occidentalem Imperatorem Titulo IMPERATORIS uſi ſunt: E Regibus Hiſpaniæ, *Sanctus Magnus*, qui unitis Caſtellæ, Legionis, Navarræ, Luſitaniæ & Arragoniæ Regnis IMPERATOR vocatus eſt. *Zurita L. 1. Annal. Arragon. Garibay in procem. Regis Sanctii Majoris. Alphonſi VII.* Titulum exhibet *Franc. de Piſa Hiſt. de Toledo L. I. c. XXIX.* & *XXXIII. Ego Diſponente Deo Alphonſus Heſperiæ IMPERATOR:* Quem indultu Urbani II. P. M. habuiſſe refert cit. *Garibay Procem. Hiſt. Sanctii Majoris*, in remunerationem, quod preces & Diurnum Arabum *Mozarabe* exterminaviſſet, & ſolo Romano More rem ſacram peragi juſſiſſet. *Alphonſum VII.* creatum fuiſſe Hiſpaniæ IMPERATOREM teſtatur *Roder. Toletan. LVII. c. VII.* Eundemq; ab Innocentio II. confirmatum dicit Hiſtoria Ejus *c. XXIX.* edita a *Fr. Prudentio Sandoval.* Vid. *Valdeſ. de Dignitate Hiſpaniæ c. XIIX. num. XXXI.* De Regibus *Angliæ* vid *Selden. c. l.* Corona Angliæ vocatur *The IMPERIAL Crowne* in Actis Parliam. *Anni 1. Elizabeth. c. 1.* & *1. Jacob. c. I. XXIV. Henric. IIX. c. XII.* & *XXV. Ejuſdem c. XXI.* Item a *Bacono de Verulam.*

lam. Vit. Henrici VII. fere ab initio. Et *Stat. Hibern. Anni XXIIX. Henrici IIX. cap.* 11. vocant *The Kings and Emperours of the Realme of the Land of Ireland.* Reges & Imperatores Regni Angliæ & Regionis Hiberniæ. Priſcus Rex Anglorum *Edgarus* Epiſtola ad Epiſcopum Wigornienſem ſe vocat *Anglorum Baſileum, omniumq; Regum Inſularum, Oceaniq; Britanniam circumjacentis cunctarumq; Nationum, quæ intra eam includuntur, IMPERATOR ac Dominus,* apud *Edw. Cooke Inſtitutes of Laws. P. IV. Præfat.* Tenor integer hic eſt: *Altitonantis Dei largiflua Clementia, qui eſt Rex Regum Ego Edgarus Anglorum Baſileus, omniumq; Regum, Inſularum, Oceaniq; Britanniam circumjacentis, cunctarumq; Nationum, quæ intra Eam includuntur* Imperator *& Dominus; Gratias ago ipſi DEO omnipotenti Regi meo, qui meum* Imperium *ſic ampliavit & exaltavit ſuper Regnum Patrum meorum; Qui licet Monarchiam totius Angliæ adepti ſunt a tempore Athelſtani, qui primus Regnum Anglorum, & omnes Nationes, quæ Britanniam incolunt, ſibi Armis ſubegit, nullus tamen illorum ultra ejus fines* Imperium *ſuum dilatare aggreſſus eſt. Mihi autem conceſſit propitia Divinitas, cum Anglorum* Imperio *omnia Regna Inſularum Oceani cum ſuis ferociſſimis Regibus usq; Norwegiam, maximamq; partem Hiberniæ cum ſua Nobiliſſima Civitate Dublinia Anglorum Regno ſubjugare. Quos etiam omnes meis* Imperiis *colla ſubdere, Dei favente gratia, coëgi. Quapropter ut Ego Chriſti Gloriam & laudem in Regno meo exaltare & ejus ſervitutem amplificare devotus diſpoſui & per meos fideles Fautores Dunſtanum Archiepiſcopum, Ayeliolanum ac Oswaldum Archiepiſcopos, quos mihi Patres Spirituales & Conſiliarios elegi, magna ex parte diſpoſui &c. Facta hæc ſunt An. Dom. 964. Indictione 8. Regni. Ego Alfrye Regina conſenſi & Signo Crucis confirmavi.* ✠. Ap. *Jam Howel de præced. P. I. c. III.* Regem *Jacobum* IMPERATOREM ſalutavit Inſcriptio Portæ Triumphalis ipſi, cum coronaretur, dicata,

IMP. Jacobus Max. Cæſar. Aug. P.P.
Pace Populo Britannico Terra mariq; parta
Janum cluſit S. C.

Extat in Operibus *Benjam. Johnſon* [vulgo Ben Johnſon] *Epigr. p.* 83. Cui gemina eſt Numi cujusdam, in quo Effigiei Laureatæ circumſcriptum eſt: JAC. I. BRIT. CÆ. AUG. HÆ. CÆSARUM CÆDD. *Aliam* id genus Aræ inſcriptam idem Ben Johnſon c. l. commemorat. Et inter Solennia Coronationis hodierni Regis Caroli II. hanc Inſcriptionem legere fuit:

DN. CAROLO II. D.G. Britannorum Imperatori, Opt. Max.ubiq; venerando ſemper Auguſto, Beatiſſimo ac Piiſſimo, Bono Reip.nato, de avita Britannia, de omnium hominum genere meritiſſimo, P. P. Extinctori Tyrannidis, Reſtitutori Libertatis, Fundatori Quietis, ob felicem reditum ex voto. L. M. P. S. P. Q. L.

Quam habet *Diar. Europ. Contin. VI. p. 49.* Regum *Galliæ* aliquos ita nominatos prodit *Hieron. Bignon. de l' Excellence du Royaume de France.* Et Franciſcus I. Rex Galliæ per Papam Leonem X. Bononiæ fuit proclamatus Imperator Orientis, quam Dignitatem affectavit æmulatione Imperatorum noſtrorum, quippe recentiorum Imperatoribus Orientalibus. V. *Axiom ex Aubery de Prærog. Reg. Gall. L. III. c. I. Moſcoviæ* Monarcha Titulo *Czar* gaudet, quem Interpretes ϖαδιφεάζασι IMPERATOR. Primus, qui eo uſus eſt, fuit Johannes Baſilides, famoſus ille Ruſſiæ Tyrannus præcedenti ſeculo, cuiq; pertinaciter adeo inhærent, ut Legati Polonici Literæ & munera, quia Imperatoris & Monarchæ Titulus adſcriptus non erat, nec acceptæ nec reſignatæ fuerint. *Thuan. ad M DC VII. L. CXXXII I.* Sed eundem IMPERATORI noſtro, Pontifici, Regibus Daniæ ac Suediæ Ruſſi tribuunt. Et *Olearius Itinerar. Perſ.* adnotat Regem David ab ipſis etiam *Czar* vocari. Baronis ab Herberſtein hac de re hæc Verba ſunt *Comm. Rer. Moſcov p. 11. & 12.* Czar *Ruthenica Lingua Regem ſignificat: Cum autem communi Slavonica Lingua apud Polonos, Bohemos & alios omnes ſumpta quadam conſonantia ab ultima & ea gravi quidem Syllaba* Czar *Imperator ſeu Cæſar intelligatur: Unde omnes qui Ruthenicum Idioma ſeu Literas non callent, item Bohemi, Poloni atq; etiam Slavi Regno Hungarico Subditi alio nomine Regem appellant, nempe* Kral, *alii* Kyrall, *alii* Koroll: Czar *autem ſolum Cæſarem ſeu Imperatorem dici exiſtimant: Unde factum, ut Rutheni Interpretes audientes Principem ſuum ac exteris Nationibus ſic appellari, cœperint & ipſi deinceps Imperatorem nominare nomenq;* Czar, *dignius eſſe, quam Regis (licet idem ſignificet) exiſtimare. Cœterum ſi evolvas omnes eorum Hiſtorias atq; Sacram Scripturam ubiq;* Regis nomine Czar *Imperatoris* Keſſar *reperies.* IMPERATOR *Turcicus* hunc titulum pacto inter Rudolphum II. & Achmetem A. M DC VI. inito accepit: *Sub adventum Utriusq; Partis Legatorum non niſi Patris & Filii appellationibus utantur, ita ut Sultanus quidem Cæſarem noſtrum in Patris, Cæſar vero noſter Sultanum in filii loco habeat. In literis autem utriq; IMPERATORIS, non*

REGIS

Digitized by Google

REGIS Titulus tribuatur. Mercur. Gallo-Belg. Colon. T. IIX. 1. Eodem utitur *Abyſſinus* ſeu *Preſtegani, Vid. Luyſ. de Vretta Hiſtor. Æthiop.* paſſim. IMPERATOREM Magnæ & altæ Æthiopiæ, magnorum Regnorum & Terrarum ſe ipſe appellat Literis ad Emanuelem R. Portugall. A. M D XXI. datis apud *Damian. a Goes de Moribus Æthiopum p. 20.* Regnum *Monomotapæ IMPERIUM, een Keyſerryck*, vocat *Paulus van Caerden Itiner. p. 10. in. T. II. Navig. Belgic.* P. Martinius in Hiſtoria Sinica *Sinarum* Monarchas perpetuo IMPERATORES nuncupat: Japanenſes *Franc. Caron.* cit. Deſcr. *Japoniæ*: Item *Varenius Deſcr. Japoniæ* paſſim.

CAPUT III.

Majeſtatis Nomen & Uſus: Dilectionis appellatio; Uſus Pluralis Numeri: Subſcriptio in prima Perſona ſingulari apud Reges Hiſpaniæ: Tituli Dei Gratia initia, Progreſſus, Cognata, Abuſus.

I.

TAles Tituli velut Subſtantiales REGUM: Titulorum inde natorum, qui exprimendæ Dignitati eorum adhibentur, alii ab ipſis Monarchis, alii ab aliis ad ipſos uſurpantur. Iſtius Generis ſunt Abſtractivæ Locutiones Majeſtatis, Dilectionis, Uſus Pluralis Numeri, & Phraſis Dei Gratia.

II. MAJESTAS, Abſtractiva Locutio, qua REGES compellantur, gemina Acceptione venit; Velut Summum ſub uno DEO Imperium denotet, quod Græci τὸ κῦρος vocant, Ariſtot. τὴν κυρίαν Ἀρχὴν, Ἀρχὴν μεγίστην Philo, τὸ κράτος alii. V. *Grot. de Imp. Summ. Poteſt. circa Sacra.* Vel Dignitatem a Summo Imperio emanantem, quo ſenſu hic venit. In Republ. Romana olim viguiſſe frequens in Cicerone mentio Majeſtatis Populi Romani edocet: Quod Polybius etiam reddit Τὴν ἀρχὴν καὶ δυναστείαν τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων in Legat. in Fœd. Ætol. Inde ad Imperatores translata: *Noſtræ MAJESTATIS oraculum l. Si quis ex grege II. C. de Cohortal. Princ. & Corniculariis.* Auguſtalis MAJESTAS *L. 3. C. Ubi & apud Quem*: Quod in Diſcrimen a Cæſarea MAJESTATE dictum putamus: Nam Cæſari quoque præter Imperatorem hoc Nomen tributum: Eoque ſenſu accipiendus Locus *Trebell. Pollin.* in Gallieno, ubi de Valeriano loquitur: *Quis alius potuit eſſe Valerianus, niſi Gallieni Frater?*

Digitized by Google

Conſtat de Genere, non ſatis tamen conſtat de Dignitate, vel ut cœperunt alii loqui de MAJESTATE; Nihil aliud enim videtur indigitare, quam MAJESTATIS Dignitatem & Valeriano, tum temporis Cæſari, tributam. Antiquiſſimum Exemplum videtur eſſe illud Septimii Acindyni ad Imp. Trajanum apud *Gruter. Inſcr. p. 246. no. 3. Numini MAJESTATIque Ejus Devotiſſimus, vel Dicatiſſimus.* Græci Impp. cum verbo deſtituerentur, quod MAJESTATI reſponderet, Βασίλειαν nuncuparunt: Ἁγία Βασίλεια & nonnunquam Παγκάλλιστος Βασίλεια: Qua etiam Deſpotes Sebaſtocrator & Cæſar utebantur, ſed omiſſa Sacri additione.

III. Antegreſſis Seculis Soli Imperatores noſtri hunc Titulum ſibi vindicarunt. V. Scriptores J. Publici noſtri paſſim; Nec alios Reges niſi *Regiæ Dignitatis* nomine appellandos cenſuerunt. Sic in Comitiis Ratisbonenſibus A. MDCXLI. adhuc, cum Electorum, Principum atque cæterorum Statuum nomine ad Ludovicum XIII. ſcribi placuiſſet, ac nonnullis videretur Dignitatis & Majeſtatis Epithetis junctim utendum eſſe, nempe reſpectu Electorum & Principum voce *Dignitatis*, & reſpectu Prælatorum, Comitum & Civitatum Imperialium *Majeſtatis:* Cæſar illos admonuit, ſtilum in Imperio uſitatum id non admittere: Daß den Kronen Franckreich und Spanien das Prædicatum Majeſtatis weder conjunctim cum dignitate noch diviſim zu geben / ſondern es bey dem alten Stylo zu laſſen / mit welchen ſolches nicht herkommen / ſondern bißhero allein eines Römiſchen Käyſers oder Königs Majeſtät im Reich agnoſciret worden. Oportuitque ſolum *Dignitatis* nomen, omiſſo vocabulo *Majeſtatis*, literis inſeri. *Limn. Not. Regn. Franc. L. II. c. VI. nott. ttt.* Unde & inter ſuſpiciones non inſerti Articulis Pyrenæis Imperatoris *Galeat. Gualdus* reponit *obtentum ab Imperiali Camera Jus, quo negatur alios* Reges Imperatori in Majeſtatis Titulo adæquandos, cum non alius iis ab antiquo, quam ille Regiæ Dignitatis fuerit delatus. Objiciebant tuendæ ſententiæ Galli ad ſopiendum in Monaſterienſi Pacificatione cœptam controverſiam, jam tum placuiſſe, ut affectato Majeſtatis Titulo Reges æq; ac Imperator honorarentur. Ad quæ reſponſum pro tempore illud ita factum. Imperatorem quidem ex eo in ſingularibus manu ſua ſignatis literis MAJESTATIS Titulum Regibus attribuiſſe; A Cancellaria vero Imperiali poſt Monaſterienſis Fœderis conſummationem nunquam illud factum. Sed cum difficillima incide-

derent tempora, quæ Imperatorem ad Conſilia cum Chriſtianiſſimo Rege miſcenda adigebant, Fuenſaldagnius Comes nihil reliqui fecit, quod ad ſuperandas omnes difficultates pertineret; omnemq; illam controverſiam extremo vitæ Cardinalis Mazarini tempore compoſuit, convenitque inter eos de Formulis, quas utrinque Cancellariæ deinceps in Literarum confectione obſervarent. *Hiſtor. Pac. inter Gall. & Hiſp. Reges p. 108.* Eſtque illa fere ſumma rerum inter Imperatorem & Regem Galliæ hujus Nominis cauſa geſtarum. Inter ipſos Reges etiam ſcrupuli eapropter moti: Et Rex Hiſpaniæ Philippus II. Literis ad Regem Daniæ Fridericum II. datis vacuis ſpatiis Dignationum Titulos interrupit ap. *Stradam. Dec. II. L. IIX.* cujus rationem ille reddit, quod dubitaverit Philippus, *qua Danum appellatione* Majeſtatisne an Regiæ Celſitudinis *ſalutaret, quod eum nollet honore aut pari exæquatum, aut minore offenſum.* Galli in Aula ſua ante Henrici II. tempora eo non uſi ſunt; Nec illepidum eſt Carmen, quo in uſum illius invehitur *Pasquierius L. IIX. des Recherches de la France Ch. V.* cauſatus priſcis moribus eo derogari & Coronam Gallicam colui, intelligit Fœmineum Nomen Majeſtatis, ita alligari.

Ne t'eſt onne, Pibrac, ſi maintenant tu vois,
Noſtre France, qui fut autresfois couronnée
De mille verds lauriers, ores abandonnée,
Ne ſeruir que de fable aux peuples, & aux Roys.
Le malheur de ce ſiecle a eſchangé nos loix,
Cette masle vertu, qui iadis eſtoit née
Dés les bers auec nous s'eſt toute effeminée
Ne nous reſtant pour tout que le nom du François.
Nos peres honoroient le nom du Roy ſur tous,
Ce grand nom; mais depuis la ottiſe de nous,
Ainçois du Courteſan, l'a fait tourner en rouille.
On ne parle en la Cour que de ſa Maieſté;
Elle va, elle vient, elle eſt, elle a eſté:
N'eſt ce faire tomber la couronne en quenouille.

Sed ferenda iſthæc ſunt, uſu ita exigente: Quotusquisque e vulgo etiam eſt, qui non muliebri appellatione malit ſalutari, *Veſtra Dominatio, Claritas, Excellentia*, pertæſus virilis alloquii: Pro quo tamen & priſci mores & ratio non inelegans militant: Eo eſſentiam ſimul accidentibus, his vero non niſi accidentia Eſſentia inferiora adumbrari:

Digitized by Google

brari: Niſi in contrarium opineris; Abſtractis ejusmodi ſolam Eſſentiam, Concretis alieni quid ſimul Eſſentia exhiberi. Quorum quicquid ſit, inſiſtenda reliqua via eſt, quam multi, nec dirigenda brachia contra torrentem, ne uni ſapere velle præ aliis videamur. Apud Anglos Majeſtatis Nomen jam ſub Edoardo IV. D. auditum, cujus Formula erat, *Noſtra Regia MAJESTAS*. Et ipſe P. M. Leo X. MAJESTATIS Titulo Henricum IIX. crebro cohoneſtavit: *Majeſtatis Tuæ Orator*, *Majeſtatis Tuæ Munus*, *Præclara Majeſtatis Tuæ Veſtigia* V. Diploma Leonis ſeq. *Diſſ. II. C. II. §. VII.*

IV. Abſtractiva, qua Principes ſe mutuo alloquuntur eſt *Dilectionis* Appellatio, Euer Liebden. Eademque erga ipſos Reges uſos fuiſſe Sereniſſimos Electores noſtros indicant ex Lutheri ſerm. Famill. *Arumeus ad A. B. Diſc. III. §. 9. Limn. J.P. L. III. c. II.* Die Chur-Fürſten ſchreiben den Königen E. Liebden/und nicht E. Gnaden/ denn ſie ſeynd Königen gleich geachtet. Sed hodiernos mores inde deflectere notum eſt. Repet. quæ §. præc. dicta ſunt. Rationem Appellationis in amore, quo cauſa communis illos ſingulariter implicat, forte quæſiveris; Vel etiam in naturali Conſanguinitatis aut Affinitatis vinculo, quo plerique conjuncti ſunt. Unda & illæ non minus frequentes inter eos Fratrum, Conſanguineorum. Affinium Appellationes: In quibus ipſis tamen diſcrimen ſubinde obſervatum. Et de Imperio noſtro Scriptores J P. notant Electores Eccleſiaſticos in ſpecie Nepotes appellari, unſere Lieben Neffen und Chur-Fürſten: Cujus originem Limnæus ad Ruperti tempora refert, Cauſam ſe ignorare profitetur. Neque aliter Autor Limnæi Enucleati: *Multa ſane*, inquit, *de Stylo Curiæ Imperialis obtinent, quorum ratio non poteſt reddi, adeoque etiam hic forſitan hac formula utendum, Non liquet:* Joach. Cluten hanc reddit: Quod Imperatores Germanici Principibus Electoribus cognationis neceſſitudine devincti fuerint, & hodie ſint ejusdemque facta mentione ſecundum officii commemorationem ab Imp. compellari ſoleant, hinc factum eſſe, ut Eccleſiaſticis nomen NEPOTUM ab Impp. tributum fuerit, ut quia de naturalis cognationis & neceſſitudinis prærogativa gloriari non poſſent Civilis cõtra υἱοθεσίας beneficio ſuis Coëlectoribus inferiores exiſtimari non poſſent. Sicque & Cardinales Romanos ut primi gradus filios Pontificis & partem corporis reputari. *Syll. Rer. Quotid. n. XXIV.* In Anglia hoc Titulo Rex ipſos Comites dignatur, ut Conſanguineos ſuos

vo-

Digitized by Google

vocet. V. *Deſcr. Stat. Anglic. c. XIIX.* Et in Gallia cum Principes Sanguinis primo Patrui, Patrueles, Nepotes tantum appellarentur, Secutis temporibus cæteris quoq; Principibus illa Prædicata attributa. Imo quando Duces & Comites Franciæ utebantur juribus ſuperioritatis, noſtri Reges eos honoris cauſa appellabant Conſanguineos; & reciproce, veri conſanguinei Regis ſibi attribuebant titulum Principis, quo primum uſi fuerant Duces, & Comites Franciæ, quando ſummum ſibi arrogarunt imperium: Hinc Rex eundem honorem deferre ſolet hodiernis Ducibus, licet ſummo imperio nunc careant; ſiquidem in materia honoris decremento locus non datur. *L' Oyſeau des Seigneur. c. VII.* & ex eo *Limn. R. Franc. L. II. c. XXIII. not. q.*

V. Uſus Pluralis Numeri ad denotandam Magnitudinem, non ſolum promiſcuo vulgi uſu, vel figurata Locutione, introductus. Originem Antiquiſſimam prodit *Joh. Meleles*, Scriptor non ignobilis, ſed nondum editus, MS. *Λέγῳ Ζ περὶ κτίσεως Ῥώμης*: Romulum, cum ob perpetratum Parricidium Populo odio eſſet, Imaginem Auream fratris, veluti jam pœnitens facinoris, juxta ſe in Regia collocaſſe, & quaſi Frater adhuc ſuperſtes eſſet, ipſius pariter ac ſuo nomine edicta ſanciviſſe. *Καὶ εἴ τι δ' ἂν ἐκέλευσε θεσπίζων, ἔλεγεν ὡς ἀφ' ἑαυτοῦ καὶ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ λέγων, ἐκελεύσαμεν, καὶ ἐθεσπίσαμεν, ὅπερ ἔθος κατέσχεν ἐξ ἐκείνου παρὰ τοῖς Βασιλεῦσιν ἕως τοῦ παρόντος, τοῦ λέγειν, ἐκελεύσαμεν καὶ ἐθεσπίσαμεν.* Atque Hebraiſmum non male huc arceſſiverim, quo Pluralem pro Singulari ponunt *ad Amplificationem Dignitatis & Honoris.* Malach. I. VI. Si *Adonim* (Domini) *Dominus ſum, ubi reverentia mei. Geneſ. XLII. XXX. Locutus eſt vir ille Adonim* (Domini) *Dominus Terræ &c. Deut. X. XVII. Deus veſter &c. eſt Adonim* (Domini) *Dominus Dominorum.* Vid. *Lexic. Pagnini in Adon.* In Subſcriptionibus vero res ſecus eſt, & ſola nomina Numero ſingulari tunc exprimi ſolent; Et in Hiſpania peculiare eſt, quod Subſcriptiones ad Principes Exteros ſubjecto nomine & ſingulari quidem fiunt, ad Subditos vero non tantum ſingulari Numero, ſed etiam prima ejusdem perſona & ſolo Regis nomine, non addito alio, a Regibus, aut prout præſens Hiſpaniæ Status eſt, Reginis Regentibus ſcribatur: Ut *Yo el Rey*, Ego Rex: *Yo la Reyna*, Ego Regina. Unde inter ea, quæ Belgæ in Philippi III. ratihabitione Induciarum Octimeſtrium Belli Belgici culpabant, erat, *quod Rex nomen ſuum ſub-*

Digitized by Google

ſcribere non eſſet dignatus, ut aſſolet, cum ad Principes ſcribit juri ſuo non ſubjectos, ſed ſuperbum illum Titulum ſubſtituiſſet, Jo el Re, *Ego Rex, quaſi retinens antiqui juris & exprobrans liberis civibus crimen perduellionis.* Baud. de Induc. Belg. L. I.

VI. Titulus DEI GRATIA & ſ. primo omnium a *Carolo M.* uſurpatus videtur. *Reſcr. De Metallifodinarum Privilegio Comitibus Gleichenſibus conceſſo: Carolus* Divina favente Gratia *Romanorum ac Francorum Rex* A. DCCLXXXVI. Et in *Capitulari* Ejusdem *de non adorandis imaginibus: Karoli* Nutu Dei *Regis Francorum.* Quem ſecuti ſunt *Ludovicus Pius: Conſt. de Reformatione Abuſuum Cleri: HLUDOVICUS* Divina ordinante Providentia &c *Lotharius, de Reſtitutione Archi-Epiſcopi &c. Lotharius* Divina ordinante Providentia: Ita tamen, ut aliquando eum etiam omitterent. Ipſum DEI GRATIA primum animadvertimus in *Reſcr. Caroli II. ad Adrianum II. De Poteſtate Regia &c. Carolus* DEI GRATIA *Rex & Spiritualis Filius Veſter &c.* Vid. *Goldaſt. Conſtit. Imper. Tom. I.* Vidit veſtigia aliqua ejus *Rumelinus Diſſ. I. ad Aur. Bull. §. IV. in L. I. C. de Vet Jur. enucl. Deo Auctore noſtrum gubernante imperium, quod nobis a Cœleſti Majeſtate traditum eſt, & bella feliciter peragimus, & pacem decoramus &c.* Quæ vero citat ex *Novell. XXIIX. c. IV. Hanc Nos Gratiam Deo referendam putamus, qui Imperii Nobis Coronam impoſuit:* Ταύτην πιστεύομεν ἡμεῖς τὴν χάριν προσήκειν καὶ ἀναθεῖναι θεῷ, τῷ τὸν ἐπὶ τῇ βασιλείᾳ στέφανον ἡμῖν ἐπιθέντι, huc non pertinent: Quod in Græcis diſerte claret. Gratia enim ibi non eſt Favor, Beneficium, ſed, uti vulgo loquimur, Gratitudo. Atque dum Imperator ſe Afros Libertate donaturum & ſ. recipit, eopſe ſuam erga Deum gratam mentem ſe declaraturum dicit.

VII. Ratio aſſumpti hujus Tituli a vicaria Dei in hisce terris poteſtate ſine dubio pendet: Unde Principibus eum ſolum competere, qui ſuperiorem non habeant, *Chaſſaneus* videtur præ ſe ferre. *Conſuet. Burgund. in Proœm. ad verb. Par la Grace de Dieu. Quia omne Imperium a Deo eſt permiſſive, formaliter, & effective, prout dicit Baldus in c. I. Quis dicatur Dux, Marchio, Comes. Et Deus Imperium de Cœlo conſtituit, ut in Auth. de Inſtrum. cautel. & fid. §. quia igitur. coll. 6. & not. Innoc. in ea. quod ſuper bis. de voto. & Bald. in L. I. C. de Summ. Trin. & fide Cathol. & habentes Imperium regnant providentia inſcrutabili Divinæ Altitudinis, rerumque publicarum guber-*

bernacula poſſident c. ſi ex bono. de pœnitent. diſt. 4. in princ. Sed cum grano Salis accipiendum eſſe ipſe indicat, dum Duces Burgundiæ eo uſos inducit, qui tamen tunc Duces Burgundiæ fuerint, *non Gratia Dei ſimpliciter, cum alium in ſuperiorem recognoſcerent*, Regem Galliæ. Sic & *Venetorum Dux* eo utitur: *Leonardus Donatus* DEI GRATIA, *Dux Venetorum.* Similiter priſci Epiſcopi omnes ſe Epiſcopos DEI GRATIA nominarunt, ut videre eſt inter Epiſtolas Petri Bleſenſis & aliorum. Et hodienum in Anglia Archiepiſcopi eodem gaudent: *Gilbert by the Providence of God Archbiſchop of Canterbury.* Quem & Rex in Literis ſuis Ipſis ttibuit, h. m. *Jacobus DEI GRATIA &c. Reverendiſſimo in Chriſto Patri prædilectoque & fideli Conſiliario noſtro, Georgio EADEM GRATIA Archiepiſcopo Cantuarienſi.* Sed in Mandatis omittitur. Cui ſimile eſt, quod apud Veteres Germanos legere eſt: IN DEI NOMINE, item *In Chriſti Nomine*, In Chriſti nomine *Domino Sancto & in Chriſto Venerabili Patri Andomaro Abbati Durgaugenſi.* Exempl. Donat. Monaſt. S. Gall. factæ A. VI. Pipini Regis ap. *Vadian. de Monaſt. Germ.* f. 54. Et: *Ubi* in Dei Nomine *Adomarus Abbas præeſſe videtur.* ib. p. 56. *Quibus Titulis Epiſcopi & Abbates utebantur ad humilitatis oſtentationem, & quod ſui ipſorum conſcii nihil haberent, quod ſibi tribuerent, præter unicam humilitatem Dei gratia nitentem. Nunc ea locutio ad faſtum & ſupinitatem, adeoque apicem ipſum honorum omnem humilitatem abjicientem adhibetur.* Quæ Vadiani eſt ἐπίκρισις ib. p. 58. Epiſcopi ſub Regimine Papali eundem retinuerunt, ſed cum Additamento: *Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia:* Illuſtr. & Rever. Dn. &c. *Dei & Apoſtolica Sedis Gratia, Epiſcopus* &c. *Cum tamen a Deo ſolo immediate Epiſcopi ſuam habeant Dignitatem & non a Sede Apoſtolica, niſi interdum meram Electionem & externam miſſionem,* inquit M. A. de Dominis de Rep. Eccl. L. II. c. V. n. XIV. *Adulationis ad minimum vox erit, ſe Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopum confiteri. Neſcio an D. Papa libenter confiteretur, ſe Dei & Cardinalium, ſive Epiſcopi Oſtienſis Gratia, eſſe Epiſcopum Romanum.* At in Gallia Crimen Læſæ Majeſtatis committit, qui Titulo hoc utitur. Vid. *J. de Serres L. 1. invent.* Eamque ob cauſam & Ludovicus XI. Franciſco Duci Britanniæ eod. interdixit apud *Bodin. de Republ. Libr. 1. c. X.* Adde *Favyn Theatre d' honneur L. 111. p. 908.* Et Comes Armeniacus tempore Caroli VII. quia Comtem Dei Gratia ſe ſcripſerat, Læſæ Majeſtatis accuſatus fuit. *Ærod. Rer. Judicat.*

Digitized by Google

L. VII. c. IX. Confer *Limn. Notit. Regn. Franc. L. II. c. VI. litt. ggg. & ſeqq.* Cur Imperii Principes in Literis ad Imperatorem eum non uſurpent. Vid. *ap. Scr. Juris Publici.*

VI. Græci Imperatores ſimile quidpiam habuiſſe videntur, Θεοστεφής, a Deo coronatus; ſed una atque altera vice tantum uſitatum. Communior eorum Titulus erat; ἐν χριστῷ ϗ θεῷ πιστὸς Βασιλεὺς τῶν Ῥωμαίων, ſeu ἐν θεῷ Βασιλεύς. Abuſus ſpecimen elucet in Scripto Magiſtelli cujusdam, quo DEI GRATIA Magiſtrum ſe ſalutat: *Confutatio Judaicæ Sectæ Magiſtri Johannis Baptiſtæ* GRATIA DEI *Artium & Medicinæ Doctoris.* Ed. Argent. *MD. Lutherus* eodem uſus fuit initio Libri contra Henricum Regem Angliæ *T. II. Jen. fol. 132.* MARTINUS Luther von Gottes Gnaden / Eccleſiaſtes zu Wittemberg/ an Heinrichen von Gottes Ungnaden/ König von England. Idem facit ac rationes ejus reddit eod. Tomo fol 107. Tract. wider den falſch genannten Geiſtlichen Stand des Pabſts und der Biſchöffe. Wolan/ weil es denn gilt die Hörner aufrichten / und mit lauter Gewalt fahren/ muß ich meine Hörner auch auffſetzen / und meinen Kopff für meinem Herrn wagen. Das anzufahen nenne ich mich einen Eccleſiaſten von GOttes Gnaden / den ihr einen Ketzer mit Läſter-Wort ſchreyet / Euch und dem Teuffel zu Trotz. Und ob ich mich einen Evangeliſten von Gottes Gnaden nennet/ trauet ich daſſelbe ehe zu beweiſen/ denn euer einer ſeinen Biſchöfflichen Titul oder Namen beweiſen könnte/ bin deß gewiß/ daß mich Chriſtus ſelbſt alſo nennet / und dafür hält / der meiner Lehre Meiſter iſt/ ꝛc.

CAPUT IV.

Titulus Domini, Domni, κυρίου, κύρου, Sire, Don, Syd & Cidi, Divi, Sacratiſſimi, Sereniſſimi, Celſiſſimi, Glorioſiſſimi, Illuſtris, Excellentiſſimi Magnifici &c.

I.

E Titulis, quos ab aliis admittunt, primum ſiſtimus Titulum DOMINI, *Nomen Poteſtatis*, ut *Tertullian.* appellat *Apologet. C. XXXVI.* Cujus antiquitatem teſtantur Phraſes: DOMINUS *meus REX* & ſ. in Hiſtoria Regum Judaicorum frequentiſſimæ. In Imperio Romano Auguſtus *DOMINI Appellationem, ut maledictum & opprobrium, ſemper exhorruit. Cum ſpectante eo Ludos pronunciatum eſſet in Mimo!* O DOMINUM Æquum & Bonum: & *uni-*

univerſi, quaſi de ipſo dictum exultantes comprobaſſent, ſtatim manu vultuque indecoras adulationes repreſſit & in ſequenti Die graviſſimo corripuit Edicto, Dominumque ſe poſthac appellari ne a Liberis quidem, aut Nepotibus ſuis, vel ſerio vel joco paſſus eſt: Et Tiberius: οὔτε δεσπότην ἑαυτὸν τοῖς ἐλευθέροις, οὐδὲ αὐτοκράτορα πλὴν τοῖς στρατιώταις καλεῖν ἐφίει. *Xiphilin. in Tiber.* Adde *Sveton. Tiber. XXVII.* Quanquam mores iſtorum temporum, æque ac hodienum, promiſcuam DOMINI Appellationem ferrent. vid. *Martial. Epigr. L. II. LXIIX. L. I. CXIII. L. IV. LXXXIV.* Et Seneca: *Obvios, ſi Nomen ſuccurrit, DOMINOS ſalutamus, Epiſt. III.* Contra Domitianus: *Acclamari in Amphitheatro Epulari Die libenter audivit,* DOMINO & DOMINÆ feliciter. *Sueton. Domit. XIII.* Et mox: *Pari Arrogantia cum Procuratorum ſuorum nomine formalem dictaret Epiſtolam, ſic cœpit:* DOMINUS & DEUS noſter *ſic fieri jubet.* Ante quem Caligula idem fecit *P. Diacon. L. VII. c. XX.* Poſtmodo autem rurſus intercidit, quo pertinet Martialis carmen, quo ſolitam illam ſub Domitiano formulam lepide declinat:

> *Fruſtra Blanditiæ venitis ad me*
> *Attritis miſerabiles labellis,*
> *Dicturæ DOMINUM DEumque, non ſum:*
> *Jam non eſt locus hac in urbe Vobis,*
> *Non eſt hic DOMINUS. ſed Imperator.*

Diocletianus tamen *ſe primus omnium, Caligulam poſt Domitianumque, DOMINUM palam dici paſſus eſt, & adorari ſe appellarique, uti DEum. Victor.* Idque iterum interdictum fuit a Juliano, quem vide in *Miſopogone.* Quæ de publica Salutatione accipienda cenſemus: Nam in privatis Appellationibus nihilominus Imperatoribus libere dabatur. Sic Feſtus *Act. XXV. XXVI. Claudium* Κύριον *appellat, h. Dominum. Eudæmon* in Supplicatione *ad Antonium,* Κύριε Βασιλεῦ Ἀντωνῖνε. Et Effœminatiſſimus Heliogabalus, cum ex more DOMINUS appellaretur, Titulum quidem non reſpuit, nec tamen DOMINUM, ſed DOMINAM ſe dici voluit: Θαυμαστῶς πόστε αὐχένα γυναικίσας καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐπεγκλάσας ἠμείψατο, καὶ ἔφη, οὐδὲν διστάσας. Μή με λέγε Κύριον, ἐγὼ γὰρ Κυρία εἰμί. *Xiphilin. in Heliogab.*

II. Chriſtiani admiſere quidem nonnullibi hunc Titulum: Ut in Aureo Numo quodam Conſtantini legere eſt: *FELICITAS*

Digitized by Google

PERPETUA AUGEAT REM DOMIN. NOST. Et initio Digeſtorum: *DOMINI Noſtri Sacratiſſimi Principis Juſtiniani &c.* Sæpius tamen fluctuarunt veriti, ne vim inferrent Divinæ Majeſtati. Nam *DOMINUS Dei eſt cognomen, Tertull. Apolog. c. XXXIV.* Et addit: *Dicam plane Imperatorem DOMINUM; ſed more communi, ſed quando non cogar, ut DOMINUM Dei vice dicam.* Hinc factum, ut mutilum tandem redderent, ac non Dominos amplius, Sed DOMNOS, & Græci non Κυρίυς ſed Κύρυς, Principes ſuos vocarent: Solum Deum vero & Servatorem, Dominum, Κύριον. Sic in Epiſt. Leonis Epiſcopi Senonenſis ad Childebertum Francorum Regem: *DOMNO Illuſtri, glorioſiſſimo DOMNO, & in Chriſto Filio Childeberto Regi &c.* Vid. *Tom. II. Concil. Reg. p. 612.* Et Trojanus Epiſcopus Santonenſis ad Eumenium Epiſcopum Numnetenſem: *DOMNO ſemper ſuo; Eumenio Epiſcopo &c.* In medio vero, ubi de DEO loquitur: *His itaque reddo in DOMINO debitæ Salutationis Officium:* Concluſio *Ora pro Nobis DOMNE merito in Chriſto Beatiſſime.* cit. *T. II. Conc. p. 614.* Juramenti, quod Papa Paſchalis II. Henrico V. Imperatori præſtitit, initium eſt: DOMNUS *Papa Paſchalis non inquietabit* DOMNUM *Imperatorem Henricum.* Cumque poſtea Euchariſtiam Henrico porrigeret, DOMNE *Imperator Henrice*, ait, *Corpus DOMINI &c. damus tibi in confirmationem veræ Pacis.* E Græcis Exempla ſunt: *Curopalates de Offic. Conſtant. p. 220.* Ἔκθεσις Βασιλέως Κύρυ Ἀνδρονίκυ &c. Infra περιεβιβάσθη παρὰ ȣ̓ Βασιλέως Κύρυ Ἀνδρονίκυ τȣ̃ παλαιολόγυ εἰς θρόνον. Unde tandem & Κῦρ formatum: Sic legitur in Antho Libro Vulgaris L. Græcæ ἐβασίλευσεν ἐς αὐτὸ τὸ π ὁ Κῦρ Κωνσταντῖνος ὁ παλαιόλογος. Sic Κυρὰ pro Κυρία *Domina* dicebant. Eodemque pertinet, quod *Jac. Phil. Bergomus L. 12. Chron.* dicit, Emanuelem Imp. Conſtant. Reinerio Montisferratenſi Uxorem dediſſe filiam ſuam Curamariam, quam conſtat apud Nicetam vocari Mariam. Igitur Cura-Maria hæc fuerit Κυρὰ Μαρία. Indeque nomen hoc detortum. Vid. *Douſ. Not. ad Chron. Georg. Logoth. p. n. 62.* Confer *Spelmann Archæol. in V. Dominus.*

III. Noſtra ætate DOMINI Titulus maxime conſpicuus eſt in Rege Galliæ, quem initio literarum & ſimilibus allocutionum occaſionibus ſolum SIRE, h. DOMINUM appellant, citra ullum aliud Epitheton. Quod etiam in literis Anglorum ad Regem ſuum nonnunquam legere eſt. Rationem Gallorum nonnulli ab Antiquo Gallico

lico Seir & Seiros petunt, quod Solem ſignificat. Monarchas ſuos enim revera Solem Franciæ ſuæ eſſe. V. *Favyn Theatre d' honneur L. II. c. XII. Fullerus* ab Hebraico *Sar* derivat. Sar enim Virum primarium ſignificat, quem ἄρχοντα Græci dicunt. Hinc noſtrum *Syr* & Gallorum *Sire*, inquit *Miſcell. Sacr. L. I. c. XI.* Communius a Κύριος vel Κύρος formant. Sed queruntur, non ſolum Regi, ſed etiam inferiorioribus, non e Nobilitate ſuperiori quidem, verum Mercatoribus nomen hoc tribui. Ita *Paſquier Recherch. p. 690. Voyés comme Dieu ſe mocque de nos grandeurs! ce Roy, qui par ſon excellence, & prerogatiue de digné eſt par ſes ſubjects appellé Sire, n' a peu empeſcher, que ce meſme tiltre n' ait eſté baillé aux ſimples marchands.* Ecce ut Deus rideat noſtras dignitates! Rex ille, qui propter excellentiam ſuam, & dignitatis culmen, a ſubditis audit *Sire*, non potuit impedire, quo minus idem titulus etiam daretur mercatoribus minoribus. Loyſeau *des ordres chap. 11. n. 40.* teſtatur, hoc nomen etiam mechanicis attribui, non minus quam Regi: & addit rationem: [*que ce ne ſeroit aſſés honerer le Roy de l' appeller ſeulement Monſeigneur, ou Monſieur, attendu qu' il pourroit ſembler, qu' en ne le qualifieroit que Seigneur de celuy, qui l' appelleroit ainſi, ains purce qu' il eſt le Seigneur univerſel, & de tous, on l' appelle Sire, indefiniment,* ϰ ϰαὶ ἀντονομασίαν. *Au contraire, pource qu' on ne ſe veut pas tant ſoubmettre au marchand, ou artiſan, que de l' aduouër pour ſon Sieur, on l' appelle ſimplement, Sire tel.*] quod non eſſet ſufficiens honos appellare Regem *Monſeigneur*, aut *Monſieur*, cum videri poſſet, eum ita appellari, ac ſi tantum eſſet Dominus ejus, qui eum iſto compellat titulo; itaque cum ſit Dominus univerſalis, & omnium, appellatur *Sire*, indefinite, & per antonomaſiam. Contra vero, quoniam nos haud adeo ſubjicere volumus mercatori, vel artifici, ut eum pro domino noſtro habeamus, eum ſimpliciter appellamus, *Sire tel*, Dominum talem &c. In Italia hujus generis eſt *Meſſere*, *Titulo de Maggioranza*, uti loquuntur; Neque Florentiæ aliis quam Doctoribus & Abbatibus tribuitur.

IV. Et Regis Hiſpaniæ uſitatum præfixum DON huc facit, quo in inſtrumentis publicis quoque uti ſolet: *DON Phelippe por la gratia de Dios Rey*, &c. Quod vero & inferiores ſuum fecere, adeo ut ipſa quoque abjectiſſima Judæorum Natio in Hiſpania eo ſuperbire conetur; Ac nominatim in Scriptis famoſi iſtius *Abarbanelis*, qui ante C. Annos vixit, nihil frequentius occurrit, quam *DON Iſaac Abar-*

Abarbanel &c. vid. Titulum Libri *Mejane Jeſchuah*, *Comment. in Prophetas poſteriores* &c. Cujus tamen rationem ille reddit, quia Regia Davidis familia prognatus ſit, quod faſtuoſum commentum cum ipſis prudentioribus Judæis merito vilipendimus. In Africa Occidentali hoc ſenſu uſurpatur Titulus *SYD* vel *SID*: Ut *SYD Ibrabim Duque, SYD Ibrabim Manino, SYD Mohamet Pinalien*: Quæ nomina erant Legatorum Dynaſtæ Urbis Salanæ ſ. Sale ad Status Fœderati Belgii miſſorum An. M DC LIX. Quorum commiſſionem ac Titulos habes in *Append. ad P. IV. Hiſtor. Thuld. p.* 299. Eodem uſus olim Rogerius Rex Siciliæ, qui ſe Dominum reddiderat partium nonnullarum Orientis, eoque Numis ſuis inſcribi curaverat ab uno latere; Rogerius Rex: Ab altero *Alchabir CID*, i. magnus ac potens Dominus. V. *Caſaub. not. ad Gregor Nyſſen. Ep. ad Euſtatb. Ambroſiam & Baſiliſſam p.* 58. *Selden. Titl. of Hon. L.* 1. *c. VI.* §. *IV. p.* 102. Et in Hiſpania celebris eſt Hiſtoria CIDI ſ. Rooerici CIDI Principis Rerum geſtarum gloria clariſſimi, fabuloſis tamen narrationibus onuſti, eoque nec ipſis Scenis incogniti: De cujus origine poſt recenſionem nonnullam factorum ejus ita differit *Mariana*: *Accidit, ut Zamoræ Urbe quadam* &c. *pactum vectigal quinque Regulorum legati repræſentarent, CIDUMque bonoris cauſa vocarent, quod Nomen Arabum Lingua Dominum ſignificat. Verumq; coram Rege & aliis Principibus factum, quæ res multorum illi invidiam conciliavit &c. Rex id nomen ratum illi eſſe voluit: Eoque deinceps per totam vitam cohoneſtatus eſt veteris appellationis nulla ferme memoria.* Libr. IX. Rer. Hiſpan. c. V.

V. DIVI Titulus mediis Seculis inter Imperatores frequentior fuit, quam vel primis nato Chriſto, vel noſtra ætate: Non ille quidem, quem defunctis Imperatoribus poſt Apotheoſin tribuebant, quomodo DIVUM JULIUM, DIVUM AUGUSTUM &c. dicebant: Sed quem vivis decernebant, tanquam mortale faſtigium egreſſis & venerationem hominum meritis, quemadmodum *Tacitus* jam tum de Nerone commemorat: *Cerealium Anicium pro ſententia dixiſſe, ut Templum DIVO Neroni quam maturrime publica pecunia poneretur. Annal. XV. LXXIV.* Quo quidem inter Chriſtianos Imperatores nihil uſitatius fuit. Vid. *Codicem* ac *Novellas* paſſim. Et in abſtracto: *Noſtrum Numen LIII. C. Ubi ſenatores.* Adeo ut etiam ad ea, quæ ad ipſos pertinebant, hoc cognominis extenderent:

τὸ

Τὸ θεῖον πραισέντον, Divinum Præſentum ſeu Prætorium. *Novell. XXII. in fin.* Τὸ θεῖον ἡμῶν ἤδικτον, Divinum Edictum Noſtrum *L. VII. C. de Summ. Trin.* Τὸ θεῖος ἡμῶν παλάτιον, Sacrum ſeu Divinum Palatium Noſtrum *Novell. LXXX.* Θειότατοι, *Diviniſſimi*, Imperatores communiſſime appellantur ab *Autore Chron. Alexandr. Theophane in Chronographia, Joh. Melele* & aliis: Quos perſtringit *Socrates Hiſtor. Eccl. L. VI. in proœm.* ac ſe vereri dicit, ne odium eorum incurrat, qui Titulorum ſatagentes Imperatores θειότητας καὶ Δεσπότας, καὶ ὅσα χρηματίζειν εἰώθασι. Et Carolus M. prolixa invectiva in hunc morem agit *Capitular. de non adorand. imagin. Cap. III.* De eo, quod Conſtantinus & Hærena geſta vel ſcripta ſua *Divalia* nuncupant: *Priſcæ gentilitatis obſoletus error Chriſti adventu repulſus quoddam cernitur in his reliquiſſe veſtigium, qui ſe fidei & religionis Chriſtianæ jactant retinere faſtigium, qui & intra Eccleſiam novas & ineptas conſtitutiones audacter ſtatuere affectant & ſe* Divos *ſuaque geſta* Divalia *gentiliter nuncupare non formidant. Unde fit, ut quod Protoplaſti perpetravere florigera in ſede viroſa ſerpentis promiſſione illecti, hoc iſti perpetrent in Eccleſia antiqui hoſtis fraude decepti, cum videlicet & iſti per inanis gloriæ celſitudinem ſe* Divos *nominari non renuant & per avariciæ rapacitatem, per quam vere laudis culmen adiri tentant, Eccleſiæ novum aliquod inferre contendant.*

V. Divi loco Titulum SACRATISSIMI, SACRI & ſ. aliquando adhibuerunt. Sic Imp. Juſtinianus initio Dig. & alibi paſſim: *SACRATISSIMUS Imperator. Sacra Noſtra Pietas L. III. C. ubi ſenatores. Comes* SACRARUM *Largitionum* dicebatur Theſaurarius Imperatoris: *Comes ſacri palatii*, τοῦ θείου Παλατίου, qui Aulam moderabatur, vid. *C. de off. Com. ſacr. Larg.* &c. SADRUM *Encauſtum L. 6. C. De Diverſ. Reſcriptis*, Liquor Purpureus, quo Subſcriptio Imperatoris fiebat. SACRI *affatus*, quoscunque noſtræ Manſuetudinis in quacunque parte paginarum ſcripſerit autoritas *ead. l. init.* Et adhuc Imperium noſtrum Sacrum, Sacroſanctum Romanum Imperium. Vid. *Aur. Bull.* paſſim. Imperatores *Sacratiſſimi*. Vid. *Capitulationes* recentiorum Imperatorum. Vide inprimis autem doctiſſimam Diſſert. *Böcleri* de Elogio: Sacrum Romanum Imperium in *Append. ad Notit. S. R. Imperii.* Et inter Formulas Hiſpanorum eſt: *La Sacra Catholica Real Mugeſta del Rè nueſtro Sennore &c.* Eodemque ſenſu priſcos Catholicos & Orthodoxos Impera-

E to-

tores Titulus ſuis Honorem PONTIFICIS MAXIMI inſeruiſſe ſentit *Goldaſt. præf. in Conſtit Imp. ad Imp. Matthiam*, quo indicarent datam ſibi Poteſtatem a Deo ſupremo Imperatore & Cœlico Monarcha in omne Hominum genus, Sacrum, profanum, ſub Imperio ſuo degentium. Quo de plura *ſeq. Diſſ. II. C. I. § VII.*

VI. SERENISSIMI Titulum legere eſt cit. *L. III. C. Ubi Senatores: Cui Noſtra Serenitas Domeſticorum ſcholam regendam mandavit, cuive ſacros noſtri Numinis Theſauros, aut res privatas noſtræ Pietatis vel SERENISSIMÆ Auguſtæ noſtræ Conjugis gubernandas injunxit*, aut Zeno Imperator. Et Anaſtaſius *L. V. C. de Præpoſ. Sacr. Cubic. Jubemus duobus Viris Illuſtribus Præpoſitis utriusque Sacri Cubiculi, tam noſtræ Pietatis, quam SERENISSIMÆ noſtræ Conjugis.* Noſtra SERENITAS L. ante cit. Adde *L. XIII. C. de Re Militari.* Et *L. IV. C. de Officio Magiſtri militum. L. III. C. de Statutis & Imaginibus:* Eodem utitur *Richardus* Imp. in Edicto, *Quo Civitas Imperialis Tigurina ab iniqua proſcriptione eximitur, & Imperio aſſeritur* dato A. MCCLXII. apud *Goldaſt. Conſt. 1. p. 308.* Propioribus Seculis eundem ab Impp. aliis Regibus tributum legimus: Wenceslaus Imp. in Reſcripto *de Impediendis tollendi Schiſmatis inter Bonifacium IX. & Benedictum PP. A. MCCCXCIIX. Wenceslaus &c. SERENISSIMO Principi Domino Karulo Regi Francorum Illuſtri.* Confer Mandatum Sigismundi Imp. ad Regem Franciæ, ut veniat ad Conſilium Conſtantienſe: Sigismundus &c. SERENISSIMO *Principi Carulo &c.* Fridericus III. Reſcripto ad Regem Angliæ Ipſum *SERENISSIMUM & Potentiſſimum* ſalutat, dato A. MCCCCXCII. Quem & SERENISSIMA Venetorum Reſpublica aſſumſit, ratione trium Regnorum Cypri, Candiæ, & Dalmatiæ. Hinc & Legati Ejus prærogativam habent in Capella Papali præ Duce Sabaudiæ, non obſtante parili Sabaudi in Cyprum prætenſione. Eundem affectat Reſpublica Genuenſium ex poſſeſſione Regni Corſicæ. Et in univerſum fere Italiæ Duces; Unde Coloretus Magni Ducis Hetruriæ in Germaniam Legatus Literas Electoris Trevirenſis, quas Illuſtriſſimi, non Sereniſſimi, Titulo inſigniverat eas Principi ſuo ſe allaturum negavit. Cumque Elector contra deduceret, nullum Italiæ Principem trecentis retro annis alioquin *Illuſtriſſimi* titulo ab Anteceſſoribus ſuis inſignitum fuiſſe, Legati tamen pertinacia & Saxonis exemplum mutationem procurarunt. Epiſcopos etiam poſſe SERENISSIMOS

SIMOS appellari ſcribit *Zabarella in Clem. in plerisque in 4. notab. de Elect.* Apud Germanos noſtros Titulus Durchläuchtig & in Abſtracto Durchläuchtigkeit huic æquivalet, ex quo a Bavariæ Ducibus ille Germaniæ illatus fuit. V. *Limn. L. Enucl. L II. c. XVII. n. 8.*

VII. E maxime fixis etiam eſt Titulus τῦ ὄγκυ & ὑψηλότητ☉ ſ. Celſitudinis, In Concreto CELSISSIMI, ſumptus ex Apoſtoli verbis *Rom. XIII. 1.* ubi vocantur ἐξυσίαι ὑπερέχυσαι, *Poteſtates ſupereminentes.* Tale quid enim Celſitudinis vocabulo indigitatur. Ad Titulum CLEMENTISSIMI facit *L. XVII. c. de Epiſcopis & Clericis. Placet noſtræ CLEMENTIÆ.* Tituli hodie minus uſitati ſunt: GLORIOSISSIMUS: Quomodo Johannes Pontifex Romanus Juſtinianum appellat *C. de Summa Trinitate: Glorioſiſſimo & Clementiſſimo filio Juſtiniano &c.* Et alios Reges Epiſcopi iſtorum temporum paſſim. Quos & RELIGIOSISSIMOS non una vice vocabant: Ut Leonem Conc. Chalcedonenſe: Theodoſium & Valentinianum Conc Epheſinum; Carolum Imp. & Franciæ Regem Concilium Suenonenſe in Gallia: Regem Hiſpaniæ Recaredum Innocent. III. *Decretal. c. Majores §. item quæritur de Baptiſmo.* Vid. *Tomos Conciliorum.* Titulum ILLUSTRIS Imp. Fridericus II. habet ab initio *Conſtit. adverſus Patarenos: Incipiunt Capitula &c. edita per Dominum Fredericum ILLUSTREM Virum Romanorum Imperatorem.* Eumque Regibus communiter tribuere Curia Romana olim ſolebat: Sic Ferdinandum & Iſabellam Alexander VI. vocat ILLUSTRES in ipſo Diplomate, quo Catholicorum Titulum ipſis conceſſit. Vid. *Bullar. Laërt. Cherub. V. 1. p. 392. Marian. de Reb. Hiſpan. L. XXVI. c. XII.* Et Philippus ac Maria Angliæ Reges a Pontifice Illuſtres vocabantur, etiam poſt collatum Henrico IIX. Defenſoris Fidei Titulum, cujus ratio videtur ex immani illa Pauli III. Bulla in Henricum IIX. edita peti poſſe. Eundem Imperatores noſtri Regibus Bohemiæ tribuere ſolebant. Vid. *Reſcripta Rudolphi I.* & ſeqq. Impp. Conradus Imp. Titulum fert *EXCELLENTISSIMI* atque PRÆCLARI in SCto Romano *de Recuperandis Imperii Romani Juribus per electum Imperatorem: Excellentiſſimo atque Præclaro Urbis & Orbis totius Domino, Conrado Dei Gratia Romanorum Regi &c.* INCLYTUM Richardum Romanorum Regem vocat Rudolphus I. Imp. Decreto A. MCCLXXV. Caroli M. Titulus eſt Initio Capitularis de non adorandis Imaginibus: *Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi ſeu*

Spectabilis viri Karuli nutu Dei Regis Francorum &c. Idem ab Innocentio III. vocatur *Magnificus: Romanum Imperium in Perſonam* Magnifici *Caroli a Græcis tranſtulit in Germanos. Decret. 1. VI. XXXIV.* De Friderico Imp. loquitur Gloſſa Jur. Feudalis in Procem. Und darum ſo hat der Hochgelobte und Hochgebohrne (des GOtt ewiglich gedenck) dieſes gegenwertigen Buchs Ausgeber Käiſer Friedrich von Stauffen &c. cit. *Gold. Diſcurſ. Proleg. ad T. 2. Conſt. Imp.*

DISSERTATIO II.

DE TITULIS REGIIS SPECIALIBUS.

CAPUT I.

Titulus Cæſaris, Nobiliſſimi, Deſpotæ, Sebaſtocratoris, Augusti, Semper Augusti, Advocati Eccleſiæ, Pontificis Maximi, Gothici, Alemannici, &c.

I.

SPeciales Titulos Regios viſuris primo ſe offerunt Tituli Sacroſancti Imperii Noſtri, *Cæſarum, Auguſtorum &c.* Ac CÆSARIS quidem Nomen a Julio CÆSARE per Francos & Romanos in Invictiſſimos Imperatores noſtros derivatum eſt. Διὰ ὃν ἐν ἅπασι τοῖς τῆς γῆς ἔθνεσιν ὀνομαστότατόν ἐστι τὸ Καίσαρος ὄνομα, καὶ ᾧπερ ἡμεῖς ἀντ' ἄλλου τινὸς τῶν τῆς βασιλείας συμβόλων σεμνυνόμεθα: Per quem *apud omnes Terræ populos nominatiſſimum CÆSARIS Nomen eſt, & nos præter omnes alias Imperatoriæ Majeſtatis notas eo gloriamur.* Imperator *Novell. XXX. 1.* Quæ, quanti iſto tempore æſtimatus fuerit hic Titulus, ſatis arguunt. Et ſane Julius ipſe in Nomen hoc Octavium Teſtamento adoptabat. *In ima cera C. Octavium etiam in Familiam nomenq; adoptavit. Sueton. Jul. LXXXIII.* Non tamen a Julio ortum, ſed Juliæ Gentis Nomen fuit. Vid. *Joh. Glandorp.* qui peculiari Tractatu familias Juliæ Gentis illuſtravit: Ubi inter alia: *Antiquiſſimas Cæſarum*, ait, *invenio duos Sextos A. V. C. D XLVI. Liv.*

L. XXVII.

Lib. XXVII. Proximi ab his (III.) Sext. & *(IV) L. Julii Cæſares A. D LXXIII. Liv. L. XL.* & *XLIII. Priſcianus L. X.* &c. Confer Caſaubon. not ad Sueton. Jul. XXXVI. De origine Vocis Vid. *B. Parentis noſtri Orig. L. L.* & *Martin. Lex. in Voce Cæſar.* Neque ignotum eſt noſtrum Kaiſer & Græcum Καῖσαρ mutata paulum Pronunciatione inde derivari. *Laici enim non habentes peritiam Proſodiacæ primi legerunt Keſar pro Cæſar.* Petr. de Andlo de Imp. Rom. L. I. c. VII. Otfridus Monachus Weiſſenburgenſis vetuſtiſſimus omnium noſtri Idiomatis Scriptor in Libris Evangeliorum ſcribere ſolet Keyſer / Keiſores p. 363. 417. 427. ap. *Freber. not. in cit. P. de Andl.* Cauſam, ut aſſumeretur, Goldaſtus ſuſpicatur in penuria vocum ſitam fuiſſe, quod alia non eſſet, qua Imperator a Rege diſcriminaretur. *Præf. in T. III. Conſtit. Impp.*

II. Progreſſu Temporis latius diffuſus fuit hic Titulus, adeo ut CÆSARES etiam vocarentur, qui Imperatorum vel indubii Succeſſores, vel ſaltem proximi Conſanguinei videbantur. Cujus primum Exemplum Galba dedit in L. Piſone, quem, cognita ſeditione Vitellii, CÆSAREM deſignavit. *Xiphil. in Galba.* Paulo poſt Veſpaſianum Senatus Imperatorem, Filios v. Titium & Domitianum CÆSARES renunciavit. *Idem in Veſpaſ.* Seculo III. cum Imperatores Tituli Imperatorii pertæſi, Auguſti appellari mallent, plures in Nomen CÆSARIS aſſumpti, adeo ut Carus, ſtatim atque Auguſtus factus eſſet, Carinum & Numerianum CÆSARES faceret, itemq; Conſtantius & Galerius duos CÆSARES aſſumerent. Χειροτονοῦνται παρ' αὐτῶν Καίσαρες δύο. *Eutrop. Brev. L. X.* Conſtantini M. tempore deniq; Res Romana ſub uno Auguſto & tribus CÆSARIBUS eſſet, ὅπερ οὐδέπω πρότερον ἡ τῶν ῥωμαϊκῶν ἔσχε πραγμάτων κατάστασις. Idem *Eutrop. L. X.* Quippe filiis ejus Galliam, Orientem, Italiam moderantibus: Quibus mox quartus acceſſit Dalmatius CÆSAR Conſtantini ex Fratre nepos. Quem numerum ſucceſſores Conſtantini poſthac pro lubitu variaverunt.

III. Ac ne quid deeſſet Dignitati CÆSAREÆ, alios Ipſi annexus fuit, NOBILISSIMATUS Titulus, hodie nimium quantum degenerans a veteri illo Splendore: Cujus primam mentionem *Pancirollus* in A. CC. LXIX conjicit, Licinio Valeriano in Marmore Vindobonæ, & mox Carino ac Numeriano Carini Filio in aliis vetuſtis monumentis NOBILISSIMORUM Cæſarum Titulos ferentibus.

Digitized by Google

Comm. in Notit. Imp. Or. c. XV. Et Severum ac Maximianum ita inſignit *L. 1. C. de Feriis. Imperatores Conſtantius & Maximianus AA. Severus & Maximianus Nobb. cc.* Sed cum etiam ad alios Principes ſanguinis nonnunquam extendêre, ita tamen, ut non niſi ſpeciali indultu ipſo uti liceret: Id quod liquido claret in Zoſim. Hiſtor. L. II. Vit. Conſtant. Συνῆρχεν δὲ αὐτοῖς τρόπον τινὰ Δαλμάτιος, Καῖσαρ ὑπὸ Κωνσταντίνου καταστα θεὶς, ἔτι δὲ καὶ Κωνστάντιος ἀδελφὸς ὢν αὐτοῦ, καὶ Ἀναβαλλιανὸς εἰσθῆτι χρώμενοι κοκκοβαφεῖ καὶ περιχρύσῳ τῆς τοῦ λεγομένου ΝΩΒΕΛΙΣΣΙΜΟΥ παρ' αὐτοῦ Κωνσταντίνου τυχόντες ἀξίας αἰδοῖ τῆς συγγενείας. Dicit Imperium cum Cæſaribus, Conſtantini M. Filiis, fere commune habuiſſe Dalmatium, Conſtantium & Anaballianum. Et Dalmatium quidem in CÆSAREAM Dignitatem evectum; Reliquos Agnationis Reverentia NOBILISSIMATUS Honorem adeptos. Hinc & Anaballianum Regem vocat *Amm. Marcell. L. XIV. ab init.* Idem *Olympiod. in Exc. Photii*: Οὗτος (Honorius) δύο παῖδας ἔχει Κώνσταντα καὶ Ἰουλιανὸν, ὧν τὸν μὲν Κώνσταντα Καίσαρα χειροτονεῖ, εἶτα ὕστερον κατὰ τὰς αὐτὰς ἡμέρας καὶ τὸν Ἰουλιανὸν ΝΩΒΕΛΙΣΙΜΟΝ: Vides iterum Conſtantem CÆSAREM creatum, Julianum vero NOBILISSIMUM factum. Eodemq; ſenſu Gratianum *N. P. Nobilem. NOBILISSIMUM Puerum* appellatum cenſemus *L. II. C. de Magiſtr. Municip.* Et Valentinianum *L. V. C. de Feriis.* Fuit & ad ſequiorem Sexum tranſlatus: Hinc *Domus NOBILISSIMÆ Marinæ* Arcadii filiæ in I Regione Conſtantinopolis, quæ NOBILISSIMÆ Titulo inſignita innupta manſit *T. Cedreno. Et Domus NOBILISSIMÆ Arcadiæ* Ejusdem Arcadii Filiæ in IX Regione Urbis apud Cedrenum. Confer *Lindenbrog. in Amm. L. XIV. Meurſ. Gloſſar. in* ΝΟΒΕΛΙΣΙΜΟΣ, & infra *Diſſert. XI. c. 1. §. IV.* Noſtro tempore, quia ad alios ſe extendit hic Titulus, ab Illuſtribus Perſonis uſurpari fere deſiit. Hinc A. MD. LXI. Saxoniæ Elector & alii Proteſtantes Pontificis M. Pii IV. Literas aperire noluerunt quia inſcriptæ erant: Dilecto Filio, NOBILI VIRO. Vid. *Arnd. Not. ad Trutinam Statuum Europæ p. 145.*

IV. Ad CÆSAREAM Dignitatem ut redeamus, ea ſub Imperio Conſtantinopolitano magis magisque imminuta primo Σεβαστοκράτορας, Sebaſtocratores, mox Deſpotas quoque ſibi præferri paſſa eſt. Sebaſtocratoris Nomen ſub Alexio Comneno I. cœpit circa A. MLXXX. *Codin. L. 1. c. 11.* Ἰστέον, ὅτι μέχρι τῆς βασιλείας Ἀλεξίου τοῦ Κομνηνοῦ τὸ τοῦ Σεβαστοκράτορος ἀξίωμα οὐκ ἦν, ἀλλ' εὐθὺς μετὰ τὴν

Βασι-

Βασιλέα πρῶτον πάντων ἦν τὸ τοῦ Καίσαρος. Οὗτος δὲ ἐπὶ τὸν Μελισσηνὸν Νικηφόρον τὸ τοῦ Καίσαρος Ἀξίωμα τετίμηκεν. ἦν δὲ αὐτῷ καὶ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, καὶ πρῶτος κατὰ τὸν χρόνον ὁ Κομνηνὸς Ἰσαάκιος. Ἔχρῆν δὲ τοῦτον μείζονι τιμηθῆναι ἀξιώματι, ἕτερον δὲ ἀξίωμα οὐκ ἦν (ὡς ἐφθημένον εἰπόντες) πλὴν τὸ τοῦ Καίσαρος. Ὀνοματοποιήσε δὲ νεὸν ἀξίωμα συνθεὶς αὐτὸ ἀπὸ τοῦ Σεβαστοῦ καὶ Αυτοκράτορος, καὶ ἐφηρμόσατο τῷ ἀδελφῷ τὸ τοῦ Σεβαστοκράτορος ὄνομα, δεύτερον οἱονεὶ Βασιλέα τοῦτον πεποιηκὼς καὶ ὑποβιβάσε τούτου τὸν Καίσαρα. *Applicuit Fratri Nomen Sebaſtocratoris, alterum veluti Imperatorem ipſum faciens, Cæſaremq; ei poſtpoſuit.* Conf. *Ann. Comnen. Alex. III.* Qua quidem ratione in Aulam Imperatoriam inter Proceres introductum eſt, cum antea ſoli Theſſaliæ Principes eo venirent, jure hoc accepto a Conſtantino M. quod etiam obtinuere usque ad tempora Andronici Palæologi, ſub quo in Johanne Duca defecit *Niceph. Greg. L. VII.* At ſequenti ſeculo ſub Alexio Comneno II. & A. M C LX. & huic Dignitati derogatum prælato ei Deſpotatus Honore, Cæſarea vero ad quartum ab Imperatore rejectâ Phranzes ad h. A. *Filiam Natu grandiorem Irenen nomine Purpurea induere Sandalia juſſit, quod illam & cui deſponderetur Succeſſores & Heredes poſt obitum ſuum fore conſtituiſſet. Quam cum Alexio Paleologo in matrimonii communitatem dediſſet, mox eundem ad Deſpotatus bonorem extulit.* Et cum Michael Palæologus Deſpotes renunciatus eſſet, ratio allegabatur; οὐ δέον εἶναι τὸν τὰ Βασιλικὰ καὶ κοινὰ διοικοῦντα πράγματα, καὶ πρεσβείας πολλῶν ἀναδεδεγμένων ἐθνῶν, μὴ καὶ τῆς Βασιλείας ἔγγιστα ἔχειν τὸ ἀξίωμα; τιμῆς ἕνεκα τοῦ τῶν ῥωμαίων γένους, καὶ ἅμα βεβαιώσεως τῶν μεταξὺ γινομένων καταστάσεων. Indignum eſſe, eum qui Imperii & Reipublicæ negotia adminiſtraret, gentiumque legationes audiret Dignitate Regiæ proxima carere, tum in honorem Romanæ Nationis, tum in confirmationem rerum medio tempore gerendarum. Atque adeo *Deſpotæ* Titulo ornabatur & a Patriarcha & a Filio Imperatoris. Ταῦτ᾽ ἄρα καὶ τὸ τοῦ Δεσπότου ἀξίωμα δέχεται παρά τε τοῦ Πατριάρχου καὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ Βασιλέως. *Niceph. Gregor. L. III. c. X.* Idemq; mox Imperatorem ſe gerens, excluſo Johanne Imperatoris Filio, ſingulos iſtos Dignitatum gradus diſtribuit; reverſisque ex Bello Peloponeſiaco, Sebaſtocratori *Deſpoticam* Poteſtatem decrevit: Magnus Domeſticus *Cæſar*, Cæſar cum Deſpotæ Socero *Sebaſtocrator* appellatur. *Niceph. Greg. L. IV. c. I.*

c. 1. Adde Georg. Logetheten. p. 55. & Cat. 52. Sed iterum & hac Dignitate nullum quidem nomen majus, honos tamen major & innominata Dignitas Imperatoriæ proxima conſtitit: Quod itidem fecit, cujus mentio modo facta, Michael Palæologus, qui Coronam in Familiam ſuam intulit. *Cantacuzen. L. IV. c. V.* de ſeipſo: *Miſſa Triremi in Theſſaliam filium Manuelem accerſit eumque Conſtantinopoli cum Nicephoro Duce Genero ſuo Deſpotam declarat. Matthæum Seniorem Filium nulla Dignitate nominatim cohoneſtat, honore tamen ſupra Deſpotas effert, nempe ut eſſet Imperatori proximus; quem honorem primus Palæologorum Imp. Michael propter Filium Conſtantinum Porphyrogenetum invenit, videbaturq; ea Dignitas Deſpotarum Dignitati antecellere.* Deſpotæ vero Sebaſtocratores & Cæſares inde ad plures transmiſſi, talesque nominarunt Filios, Fratres, Generos Imperatorum, Patriarcham, etſ. Sic Alexius Ducas Alexium Palæologum Δεσπότην ἐπίμηον, Deſpotam deſignavit. *Georg. Logothet. Chron. Conſtant.* Theodorus Laſcaris Deſpotas, Sebaſtocratores, Magnos Domeſticos, & Protoveſtiarios conſtituebat *Idem.* Vide plura in *Meurſii Gloſſario Mixobarbaro*, Vocibus Δεσπότης Σεβαστοκράτωρ Καίσαρ. Noſtrum vero Tempus tandem raro exemplo Cæſaream Dignitatem priſtino ſplendori reddidit, adeo ut Imperatores noſtros CÆSARUM, CÆSAREÆ Majeſtatis & ſ. Titulis frequentiſſime veneremur.

V. Titulo AUGUSTI a Juris Publici Scriptoribus plene pleneque ſatisfactum. Notum eſt, ipſum a Senatu Romano Octavio primo decretum fuiſſe: *Quod Nomen cunctis antea inviolatum, & huc uſque cæteris inauſum apicem declarat Imperii. P. Diacon.* De Origine Vocis Baudius: *Amabilis ille error pleriſque Cæſaribus utilter inſedit, ideo ſe AUGUSTOS appellari, quod Imperium augere debeant, non imminuere, nec debilitare. De Induc. Belg. L. II. p. 81.* Tiberius appellationem hanc recuſavit, licet heres ab Auguſto inſtitutus. Καὶ τὸν κλῆρον τοῦ Αὐγούστου λαβὼν, τὴν ἐπίκλησιν αὐτοῦ ταύτην οὐκ ἔθετο. *Xiphilin. Tiber.* Apud ſequentes Imperatores Imperatorio Titulo aliquando potior habitus fuit. Sic AUGUSTOS, h. Imperatores tres, Pupienum, Balbinum, Gordianum ſimul fuiſſe dicit *Eutrop. L. IX.* Vid. Scriptores Rerum Romanarum paſſim. Et pro Conjugibus Imperatorum vix aliud Nomen repereris, quam AUGUSTÆ. Sereniſſimæ AUGUSTÆ, noſtræ Conjugis *L. III. C. Ubi ſenatores.*

Mam-

Mammæa Alexandri Mater, cum ſola AUGUSTA vocari vellet, nurum ideo aula exigebat, quia eodem Titulo frui volebat. *Herodian. in Alexandro.* Pellici Marciæ AUGUSTÆ Honores omnes tribuebat Commodus, excepto Igni præferri ſolito. *Herodian. in Commodo.* Soæmis AUGUSTA apud eundem *in Heliogabalo.* Mediis Seculis Auguſtos ſolum vocatos, quos Autoritas Pontificia ratos habuerit indicat *Vadianus de Monaſter. Germ L. 1. fin. Non ignorant, qui temporum iſtorum Hiſtoriam tenent, Auguſtorum cognomentum ſolenne vel primis Imperatoribus eo tempore ad Francos translatum fuiſſe, quo iisdem Imperii nomine, rejectis Orientis Monarchis, oblatum eſt ac deinde a noſtris in hunc usq; diem retentum. Sed illo quidem abuſu, quod cum veteres, quorum Electionem Senatus probaſſet, Imperium ingreſſi Auguſti ſalutarentur, noſtris non niſi ab Urbis Pontifice delibutis, quidam Auguſti cognomentum permittunt.* Alios etiam alii allegant, qui eodem Titulo uſi fuerint, ſed tamen in communem uſum non veniſſe fatendum erit. Sic Wilhelmum Conqueſtorem AUGUSTUM appellatum fuiſſe teſtatur *Bodinus de Rep. L. 11. c. 11.* Et de Philippo Gallorum Rege ait *Rigordus* antiquus Autor in præf. ad vitam ejus. *Miramini quod in prima fronte hujus operis voco Regem AUGUSTUM: AUGUSTOS enim vocare conſueverunt Scriptores Cæſares, qui Remp. augmentabant, ab Augeo, Auges dictos. Unde iſte merito dictus eſt AUGUSTUS ab Aucta Republica. Adjecit enim Regno ſuo totam Viromandiam (1. Territorium circa S. Quintinum) quam Prædeceſſores ſui multo tempore amiſerant & multas alias terras: reditus etiam Regni plurimum augmentavit.* Quem citat *Selden. Titl. of Honour. L. 1. c. V.* De Clodoveo Rege dudum ante *Sigebertus: Ludovicus* (h. Clodovæus) *ab Anaſtaſio Imperatore Codicillos de Conſulatu & Coronam auream cum Gemmis & Tunicam Blatteam accepit, & ex ea die Conſul & AUGUSTUS dictus eſt.* Et nuperum Regem Angliæ Carolum I. AUGUSTISSIMUM & invictiſſimum ſalutari meminimus a Numo Anno MDCXXXIII. cuſo. Græcorum Σεβαςὸς Venerandum proprie denotat, nec incongrue tamen huc referri arbitramur ſecuti judicium *Xiphilini in Auguſto:* Αὔγουστος ὡς καὶ πλεῖόν τι, ἢ κατ' ἀνθρώπους ὢν ἐπικλήθη, πάντα γὰρ τὰ ἐντιμότατα καὶ ἱερώτατα ΑΥΓΟΥΣΤΑ προσαγορεύεται. ἐξ ὅπερ καὶ ΣΕΒΑΣΤΟΝ αὐτὸν ἑλληνίζοντες, διάπερ τινὰ σεπτὸν, προσεῖπον. *Auguſtus dictus, eſt quia hominum naturam excederet. Nam ea quæ Sacroſancta & in maximo bo-*

F nore

gemachte Inſtantien der Deputatorum, daß ſie ſolches zu præjudiz Jhro Käyſerl. Maj. und des gantzen Reichs / deren regierender Käyſer ſolchen Titel a Cæſare Auguſto ſucceſſive geführet und behalten / nicht könten geſchehen laſſen: Auch auf angeführte Exempel ſelbſt in contrarium hat Herr Servient ſich endlich erkläret / er habe bereits am Königl. Hofe berichtet / verhoffe ehiſtes Tages darauf Reſolution, daß es verhoffentlich keine Difficultät werde geben. Interim könne ers geſchehen laſſen / doch allein ſub ſpe Rati &c. Deputati mit der ausgedruckten Proteſtation, daß ſie von ſolchem Titel nicht könten abſtehen / ſeyn ad differentiam ſecundam progrediret. Theatr. Europ. T. VI. f. 568.

VII. ADVOCATOS ECCLESIÆ appellari Imperatores Noſtros, Capitulationes ipſorum docent. Inter Suaſoria Legati Friderici III. pro coronatione ejus & inſtituendo Concilio eſt: *Cæſarem eſſe ADVOCATUM ECCLESIÆ.* Vid. *Goldaſt. Polit. Imp. p. 324.* Articulus Capitulationis Glorioſiſſ. Imp. Rudolphi II. eſt, *quod tempore talis Dignitatis, Officii & Regiminis Remp. Chriſtianam & Sedem Romanam, Sanctitatemque Pontificiam & Chriſtianam Eccleſiam*, ceu Ejusdem Advocatus, *commendatam ſibi habere, tueri, ac defendere velit. c. l. Goldaſt. p. 608.* Et Ferdin. II. Daß wir in Zeit ſolcher unſer Königlichen Würden / Ampts und Regierung / die Chriſtenheit und den Stuhl zu Rom / auch Päbſtliche Heiligkeit / und die Chriſtliche Kirche / als derſelben Advocat, in guten treulichen Schutz und Schirm halten. *Capitul. Art.* 1. Item Sacratiſſimi & Invictiſſimi Leopoldi I. *Quod toto Regiminis noſtri tempore Chriſtianitatem ac Sedem Romanam, Summum Pontificem & Chriſtianam Eccleſiam*, tanquam ejusdem Advocatus, *in bona ac fideli protectione & tutela conſervabimus.* Vid. *Tr. Hiſtorico Polit. ad 111. P. Hiſtor. Thulden. p. 100.* Originem a Carolo M. aliqui petunt, qui cum Romanos a Longobardis liberaſſet, a Pontifice M. & Populo Romano ADVOCATUS Eccleſiæ ſalutatus fuerit. Niſi Germanica Paraphraſis Dignitatis Imperialis id opinantibus Cauſa extiterit, dum Carolum Vogt von Rom dixere, h. Imperatorem Romanum. Sic enim & Attila in antiquiſſimis noſtris Carminibus vocari ſolet der Werlte Voget / h. mundi Imperator, & Theodoricus, Vogt von Bern / Imperator Ravennenſis; Ac proinde ſimiliter Carolus M. Vogt von Rom / non Advocatus, ſed Imperator Romanus. *Gold. præf. in T. 111. Conſtitt. Impp.* Nec abludit Vetus illud PONTIFICIS MAXIMI Nomen, quod Romani Imperatoribus deſignabant διὰ τὸ τῆς ἀξίας ὑπερέχον, propter dignitatis Excellen-

 tiam

tiam *T. Zoſimo in Gratiano & Theodoſio.* Et planius adhuc *Xiphilin. in Aug.* ἔκτι τοῦ ἐν πάσαις ταῖς ἱερωσύναις ἱερᾶσθαι, καὶ προσέτι καὶ τοῖς ἄλλοις τὰς πλείους διδόναι, καὶ τῶν ἱερέων κυριεύουσιν. Ideo ſacerdotibus dominantur, quia omnibus ſacerdotiis funguntur, & præterea aliis plura dare poſſunt. Huc refert Freherus *l. 50. ff. de Petit. Hered. Tamen Principali vel Pontificali Autoritate compelluntur ad obſequium ſupremæ Voluntatis.* Et ſane non levis ſuſpicio eſt Primos Chriſtianos Imperatores ad firmandam Autoritatem ſuam in Rebus Sacris hoc Cognomen retinuiſſe; Neq; motum fuit ante Gratianum, qui primus illud una cum Stola Pontificali reſpuit, ἀθέμιτον εἶναι χριστιανῷ τὸ σχῆμα νομίσας, ratus habitum hunc Chriſtiano indignum eſſe. *Zoſimus l. c.* Nihilominus de illo quoque *Auſonius in Panegyrico: Unus in ore omnium Gratianus, Poteſtate Imperator, virtute Victor, Auguſtus Sanitate, Pontifex Religione, indulgentia Pater, Ætate Filius, Pietate utrumq; ſuperat.* Et poſtea: *Pontificalia potius vocentur, quæ Tu Pontifex Maximus Deo participatus habuiſti.* Apud alias Gentes etiam Reges Sacerdotesq; ſimul fuiſſe dubitare non ſinit Ovidii iſtud de Ænea:

Hunc Anius, quo Rege homines, Antiſtite Phœbus
Rite colebatur, temploq; domoq; recepit.

Add. *Diſſ. prec. c. IV. §. V.*

IIX. Aliud genus Cognominum inter Romanos erat a devictis Gentibus petitum: Qualia in Juſtiniano Alemanici, Gothici, Francici, Germanici, Antici, Alanici, Wandalici, Africani. Eaque SCto dabantur, ne quicquam ſine Donatione aliqua Imperatores habere viderentur. Sic Druſo poſterisq; ejus Senatus inter alia complura marmoreum arcum cum tropæis via Appia decrevit & Germanici Nomen. *Sueton. Claud. 1.* Quantum adulationibus heic datum ſit, non attingemus. Trajanus certe a moribus potius quam a Gentibus appellari voluit. Ὠνομάσθη μὲν ἐπειδὴ καὶ τὴν Νίσιβιν εἷλε καὶ τὰς Βάτνας, Παρθικός. πολλῷ δὲ μᾶλλον ἐπὶ τῇ τοῦ Ὀπτίμου προσηγορίᾳ, ἢ ταῖς ἄλλαις ξυμπάσαις, ἅτε καὶ τῶν τρόπων αὐτοῦ μᾶλλον ἢ τῶν ὅπλων οὖσῃ, ἐσεμνύνετο. *Niſibi Batnisq; captis Parthicus cognominatus eſt: Sed Cognomine Optimi multo magis gloriari videbatur, ex quo Natura moresq; ejus ſuaviſſimi magis, quam arma cognoſcerentur. Epit. Dion. in Trajano.* Et Antoninus a moribus Pius dictus fuit.

CA-

CAPUT II.

Titulus Catholici, Chriſtianiſſimi, Primogeniti Eccleſiæ, Defenſoris Fidei.

I.

AB Imperio noſtro ad Sereniſſimos Reges Hiſpaniæ, Galliæ, & Angliæ digredimur, quorum Singuli peculiaria ſua Agnomina ferunt, Singuli Prærogativæ aliquid inde petere geſtiunt.

II. Hiſpaniæ Rex vocatur CATHOLICUS: *La Catholica Perſona de vueſtra Mageſtad*, ſcribitur in Literis ad Regem. Item *La Sacra Catholica Real Mageſtad.* Et cum Carolus V. Hiſpaniæ imperaret: *Sacra Ceſarea CATHOLICA Mageſtad.* Excellentiam hujus Tituli Scriptores Hiſpaniæ eapropter commendant, quia CATHOLICI Nomen eos proprie concernat, qui puram ac ſinceram fidem profitentur. Quo ſenſu *Pacianus adv. Novatianos: Chriſtianus mihi nomen eſt, CATHOLICUS vero Cognomen, illud me nuncupat, iſtud oſtendit; hoc probat, illud ſignificat; Et ſi reddenda poſtremo CATHOLICI Vocabuli ratio eſt, & exprimenda de Græco Interpretatio Romana, Catholicus ubiq; unum, velut Doctiores putant, obedientia omnium nuncupatur. Vid. Valdeſ. de Dign. Regn. Hiſpan. c. XIII. n. XIX. & ſeqq.* Originem communiter petunt a Recaredo circa A. D XC. admodum, cui cum Arianos ejeciſſet, in Concilio Toletano III. hic Titulus datus, atq; acclamatum ſit *Cui a Deo æternum meritum, niſi Vero CATHOLICO Recaredo Regi &c.* vid. *Marian.* infra citandum. At in Inſcriptione hujus concilii non niſi Titulum Glorioſiſſimi, Piiſſimi, & Fideliſſimi Domini videre eſt. Vid. *Garc.* Loiyſa in *Concil. Hiſpan. Valdeſius* dicit, ipſum a Pontifice Religioſiſſimi Nomen tantum habuiſſe. De Alphonſo I. Pelagii Genero certum eſt, quod Titulum hunc tulerit circa A. D CC XC. Vid. *Garibay L. IX. c. IX. Ambroſ. Morales L. XIII. c. X.* Quod etiam loquitur Sepulchrum ipſius, cui inſcriptum eſt: ALPHONSUS CATHOLICUS. *Valdeſ. c. l.* Cauſam ejus geminam reddunt, unam a felicibus Expeditionibus Alphonſi in Mauros; Alteram a ſtudio Concordiæ Eccleſiaſticæ in ipſo conſpicuo. Poſt hunc varii Hiſpaniæ Reges hoc uſi ſunt: *Sanctius Craſſus* in Privilegio Monaſterio a Samos dato, *Alphonſus VI.* in Concilio apud oppidum de Huſillos, *Alphonſus IIX.*

in Inſcriptione Cœnobii S. Facundi; *Johannes I.* in Teſtamento Henrici III. Filii ejus. Vid. *Valdeſ. c. l.* A Ferdinando V. vero demum, Illo, cui nihil antiquius erat, quam Religionem omnibus negotiis ſuis prætexere, Titulis Regum Hiſpaniæ conſtanter adhæſit, ſeu Alexandro VI. P. M. ita decernente, ſeu undecunque natus: ſine dubio, ut tanto religioſior Rex appareret: eoque Ferdinandi CATHOLICI Nomine adhuc commemorari ſolet. *Sic Mariana de Reb. Hiſpan. L. XXVI. c. XII. Ab. Alexandro Pontifice Ferdinandus CATHOLICI cognomentum accepit in Poſteros cum Regno transfuſum ſtabili poſſeſſione.* Et *L. VII. c. IV. CATHOLICI Cognomentum, quod Recaredo olim Regi, quo tempore univerſam Gothorum gentem repudiatis Arii opinionibus in Catholicæ Eccleſiæ caſtra revocavit, in Toletano Epiſcoporum conventu acclamatum, intermiſſis multis ætatibus Alexander eo nomine VI. Pontifex Maximus in Ferdinando Arragone Rege inſtauravit, effecitque ut conſequentibus Regibus proprium hæreditariumque eſſet.* Confer *Zuritam Annal. Arragon. L. II. c. IV.* Sed monendus eſt Lector, non omnia Marianæ Exemplaria ita habere; ſed Moguntina tantum; Toletana vero A. M D XCII. & Francofurtana, *in T. II. Scr. Hiſpan.* non Alexandro VI, ſed Julio II. id tranſcribere, unde & *Baronius* Autorem Collationis hujus non Alexandrum, ſed Julium facit. Interim pro Julio nihil eſt, quod allegari ſoleat; Pro Alexandro autem extat Bulla Ejus A. M CCCCXCVII. ad Ferdinandum & Iſabellam data, cujus Inſcriptio quidem, antiquum morem adhuc ſapit, quo Reges a Sede Romana Illuſtres vocabantur: *Alexander &c. Cariſſimo in Chriſto Filio Ferdinando Regi & Cariſſimæ in Chriſto Filiæ Elizabeth Reginæ, Caſtellæ, Legionis, Arragonum, Siciliæ & Granatæ* Illuſtribus *Salutem.* Verba tamen, quibus CATHOLICI indigitantur, prope initium ſunt: *Unde cum ad hanc ſacram Petri ſedem Divina favente Clementia meritis licet imparibus evecti fuerimus, cognoſcentes* Vos tanquam veros & CATHOLICOS Reges & Principes, *quales ſemper fuiſſe novimus &c. Vid. Laërt. Cherubin. Bullar. T. 1. p. 346. Ed. Ult.* Evidentiora ſane Scriptores Hiſpanici vix ſuppeditant; Et ſcrupuli loco nobis merito eſt, cur Julius II. Ferdinandum de novo Illuſtrem vocet Bullâ *de Portionibus Fructuum ex Beneficiis militiæ de Calatrava &c. A. M D IIX.* edita §. 1. *Sane pro parte Cariſſimi in Chriſto Filii Ferdinandi Arragonum & Siciliæ* Illuſtris *Regis &c.* Nam ſi Titulus CATHOLICI Ferdinando jam af-

fixus

fixus fuiſſet, cur Julius antiquum morem revocaſſet: Cæterum Epitaphium Ferdinandi & Iſabellæ huc faciet:

Mahometicæ Sectæ Proſtratores & hæreticæ Perfidiæ Extinctores, Ferdinandus Arragoniæ, Elizabetha Caſtellæ, Vir & Uxor unanimes, CATHOLICI appellati Reges, marmoreo conduntur hoc tumulo.

Quod citat *Alonſ. Lopez Nobiliar. T. II. L. VI. p. 4.* Nec prætereundum CATHOLICI Titulum etiam Clodovæo Galliæ Regi tributum *Conc. I. Aurelian Domino ſuo, CATHOLICO Eccleſiæ Filio, Clodovæo Glorioſiſſimo Regi &c.* Vid. *Sirmond. Concil. Gall.* Deniq; & Childeberto in teſtimonium incorruptæ in Gallia Religionis a Gregorio I. datum fuiſſe Elogium CATHOLICI, monet Petrus Daneſius, Franciſci I. ad Concil. Tridentinum Legatus, Oratione ad Patres habita apud *Petr. Suav. Hiſt. Conc. Trid. p. 210.*

III. Galliæ Reges Titulo CHRISTIANISSIMI gaudent, *Le Roy Tres Chreſtien: Sa Majeſte Tres Chreſtienne, CHRISTIANISSIMA Majeſtas.* Quem usq; a Sacro Oleo ad Baptiſmum Clodovæi ſeu Ludovici I. cœlitus miſſo, penes ipſos fuiſſe, non pauci Scriptorum Galliæ ajunt. *Chaſſanæus in Catalogo Gloriæ Mundi Conſid. XXXI.* Rex Franciæ *cum ſit Chriſtus, ſcilicet Oleo ſacro Divinitus emiſſo unctus & Sacratus, omnibus celſior eſt atque major; ex quo vocatur CHRISTIANISSIMUS. Wilhelm. Marlot.* Magnus Prior Monaſterii S. Nicaſii Remenſis *L. IV. c. XIX.* ait, *Reges Franciæ ea ſolos felicitate frui, ut ungantur digniori liquore, qui unquam è cœlo in Terram defluxerit, ob quem dicti ſunt Protectores Fidei, Hæreticorum Hoſtes, Primogeniti Eccleſiæ & CHRISTIANISSIMI.* Nos huic negotio de Oleo Sacro Gallorum & Ampulla Remenſi Diſſert. IV. ſatisfaciemus *de Cerimoniis Inaugurationis Regiæ*, in præſens hoc tantum edocti, eſſe inter ipſos Scriptores Galliæ, qui de iſta Sacri Olei miſſione ambigant, veluti *Thuanus L. CIX. A multis de eo ambigitur*, ait, *cum de illo ipſo S. Remigius in ſuo Teſtamento ſileat, nec Gregorius Turonum Præſul, aliusve ex veteribus fide dignus Autor mentionem ejus faciat.* Allegatur pro Titulo CHRISTIANISSIMI etiam Teſtamentum S. Remigii, qui Clodovæo Baptiſmum contulit. Sed genuinum iſtud non eſt, quod vero genuinum eſſe creditur, CHRISTIANISSIMI mentionem nullam facit, ſed hoc tantum habet: *DOMNUS Inluſtris Memoriæ HLUDOVICUS, Quem de Sacro Baptiſmatis fonte ſuſcepi.*

A Pi-

A Pipini & Caroli M. tempore ſæpius ita appellatos fuiſſe Reges Galliæ alii confidentius urgent. Hinc *Guicciardinus*, cum immenſas Donationes Pipini & Caroli M. Sedi Romanæ conceſſas enumeraſſet, *ob quæ Beneficia*, addit, *Reges Galliæ celebrati, & honoribus a Pontificibus affecti, CHRISTIANISSIMI appellationem ſunt conſecuti. Discurſ. de Orig Poteſt. Secul. in Rom. Eccleſ. L. IV. Hiſtor. Vid Hieron: Bignon. de L. Excellence des R. de Fr. L. III. p. 514. Mariana de Reb. Hiſpan. L. XXVI. c. XII.* Titulum CHRISTIANISSIMI a Pio II. Ludovico XI. primo datum fuiſſe ſcribit. Adde *Valdeſ. l. ante cit. num. XXI.* Quod eo modo forſan accipiendum, quo a Ferdinando Catholici Titulum initia ſumſiſſe in antecesſum diximus. Idque tanto probabilius accidit, quia Alexander VI. aliquando hunc Titulum a Gallis ad Ferdinandum Catholicum transferre molitus fuit, Gallo tum temporis Sedi Romanæ parum æquum ſe præbente: vid cit. Autores.

IV. Oſtendendum vero fuiſſe alios etiam, qui CHRISTIANISSIMI appellationem tulerint. Pro Imperatoribus Noſtris extat *Diſſertatio Henrici Bebelii*: Quod Imperator Romanorum jure ſit CHRISTIANISSIMUS dicendus *T. 1. Script. Germ. Schard. p. 254.* Et in *Goldaſt. Polit. Imperial. Part. XI. N. II.* In Prologo ad Expedit. Aſiat. Friderici I. ab Anonymo ſcriptam legere eſt: *CHRISTIANISSIMUS, & Invictiſſimus Romanorum Imperator Fridericus.* Vid. *Tom V. Caniſ. p. II. p. 44.* Monumento Caroli M. inſcriptum eſt: *Caroli M.* Chriſtianiſſimi *& Orthodoxi Romanorum Imperatoris, qui Regnum Francorum nobiliter ampliavit, & per Annos 47. feliciter rexit, Corpus hoc conditum eſt ſepulcro.* Nec alienum eſt ab hoc negotio; qua Imperator Marcianus φιλόχριστος vocatur Actis Concilii Chalchedonenſis, quod Interpres reddit, CHRISTIANISSIMVS. Διάταξις τοῦ εὐσεβεστάτου καὶ φιλοχρίστου βασιλέως Μαρκιανοῦ &c. *Vid. T. IX. Concil. Reg. p. 211.* Bonifacius ad Honorium Auguſtum: *Angeretur pluribus, Princeps CHRISTIANISSIME, mater Eccleſia &c. C. Eccleſiæ meæ, Diſt. XCVII.* De Juſtiniano Exemplum habes *L. Inter Claras C. de Summa Trinitate.* Pro Regibus Hiſpaniæ *Valdes l. ſæp. cit.* allegat Recaredum, Siſebutum; Item Cinthillianum in Concil. Toletano VI. Quiricum ſeu Ervigium, Epiſtola Leonis Papæ ad ipſum data, Ramirum Arragoniæ Regem, Epiſtola Gregorii VII. Alphonſum M. Caſtellæ Regem, Epiſtola Johannis IIX. *Beda Hiſtor.*

ſtor. Eccleſ. L. II. Oswaldum Regem Angloſaxonum CHRISTIANISSIMUM vocat. Et Cypri Reges hoc Cognomen habuiſſe notat *Horn. Introd. ad Geogr. Antiq.* Hieroſolyma a Saladino occupata reliquias Chriſtianorum cum Guidone Luſiniano in Cyprum migraſſe, eamq; per aliquot ſecula contra Muhammedanos defendiſſe, & propterea etiam illius Inſulæ Reges CHRISTIANISSIMOS appellatos. Ipſam Francorum Nationem ſic dictam fuiſſe ex *Agathia Hiſtor. α.* colligit accuratiſſimus *Seldenus:* Χριστιανοὶ ἅπαντες τυγχάνουσι ὄντες καὶ τῇ ὀρθοτάτῃ χρώμενοι δόξῃ. Quaſi Chriſtianiſſimos diceret. Eodemq; alludit *Nicol. de Clemangiis L. de Lapſu & Reparatione Juſtitiæ: Hæccine eſt antiqua virtus, Laus, Probitas & Religio, culturaq; Juſtitiæ, quibus ſunt noſtri præ cæteris appellati Populi CHRISTIANISSIMI.* Sed quia de Francis ibi agitur, ſatius fuerit, omnes extantiores Europæ populos heic comprehendi, cum notum ſit, Græcos iſtius temporis univerſis fere Europæis Francorum Nomen tribuiſſe. Johannem Gerſonem, famoſiſſimum illum Theologum & Cancellarium Pariſienſem, Doctoris CHRISTIANISSIMI Nomen habuiſſe, Thuano docemur. *Is Caroli VII. temporibus Regius ad Conſtantienſe Concilium Orator Autoritate ſua & Doctrinæ opinione pervicerat, ut multa in eo ſalutaria & memorabilia Decreta inſererentur, indeq; re bene ad Dei gloriam, & decus regni geſta reverſus.* Doctoris CHRISTIANISSIMI, *non ſolum apud nos, ſed inter exteras Nationes, ſummo Conſenſu Nomen meruerat.* Thuan. *L. CXXXVII. ad A. MDCVI.*

V. Habent & Titulum PRIMOGENITI ECCLESIÆ Reges Galliæ: Ejusque rationem reddunt, quia primas in tuenda Religione & protegendo Pontifice ſemper tenuerint. Confer Orationem Petri Daneſii *prec. §. 11.* Hinc Regem ſuum Conſiſtorio Romano tantopere commendat Carolus Lotharingus Cardin. Guiſianus, ſe eo miſſum teſtatus, *ut Potentiſſimi Regis PRIMOGENITI ECCLESIÆ FILII, & Gentis Chriſtianæ Anteſignani ſe & ſua Eccleſiæ more majorum ſubmittat, & opes ac Facultates pro illius ac Pontificis Salute ac dignitate conſervanda polliceatur.* Thuan. *L. IV. A. MDXLVII.* Eodem reſpexit Ferrerii Regis Galliæ Legati acerbiſſima Oratio, cum in Concilio Tridentino inter Legatos Gallicos & Hiſpanos de prærogativa contendi cœptum eſſet, & Patres partes Gallorum frigidius fovere viderentur: *Pium tanquam Patrem Impium PRIMOGENITUM,*

h. *Regem Chriſtianiſſimum, inauditum perverſo omni judiciario ordine, condemnaſſe ablata ſeſſionis, qua ſecundum Imperatorem cæteros Orbis Principes præcedere ſolitus ſit, prærogativa.* Pium *pro pane* FILIO PRIMOGENITO petram dediſſe, & pro piſce ſerpentem &c. V. *Thuan. L. XXXV. A. MDLXIII. Petr. Suavis Hiſt Conc. Trid. L IIX. p. 850.* Sed Anglorum Natio hunc Titulum Regibus ſuis vindicat: Lucium enim Regem Britanniæ primum inter Reges fuiſſe, qui Chriſtianiſmum amplexus fuerit, *Autor Status Angl p 1. in App. ad Cont. XIX. Diac. Ecc. c. IV.* & Angliam nonnullibi Literis Romanæ Sedis vocari *Primogenitam Eccleſiæ. teſt Howel. de præc. P. 1. S. 2. p. 11.*

VI. Potentiſſimus Anglorum Rex vocatur DEFENSOR FIDEI. Anglice: *Charles by the Grace of God, King of England, Scotland, France and Ireland, Defendour of the Faith.* Cui occaſio fuit Liber ab *Henrico IIX. Rege* Angliæ contra *Lutherum editus*, quo judicium illius de Indulgentiis & Sacramentis reprehendit ſumto ſcribendi argumento ex *Libro de Captivitate Babylonica Sleidan. Comm. L. III.* Ejus Archetypum etiam nunc in Vaticano aſſervant, cui manu ſua Rex aſſcripſit:

Anglorum Rex Henricus
Leoni mittit hoc opus &
Fidei teſtem & amicitiæ.

Henricus enim, utpote Secundo genitus, a Parente Henrico VII. Archiepiſcopatui Cantuarienſis deſtinatus pueritiam humanioribus Literis ac rebus Sacris addiſcendis impenderat; At præter opinionem Regnum adeptus, Arthuro Fratre natu majori vita functo, nihilominus gloriam aliquam e ſcripto ejusmodi quæſiturus, Ingenii vires in tam nobili controverſia periclitari voluit. Quod quidem id effecit, quod alii, qui in eundem finem ſcribebant; *Luthero* enim ſemper reſpondente, libri multiplicati ſunt, contentionum ardor augebatur, multorum curioſitas excitabatur, qui capti ſtudio diſcutiendi controverſias facile deprehendebant abuſus & errores, qui redarguebantur, adeoque a cultu Pontificio alieniores ſæpe fiebant. Fecit utique hæc Regis ad eam Cauſam acceſſio, ut plerique in hac controverſia ſibi non ſatisfacerent, immo fit ut in pugna Spectatorum favor ad debiliorem plurimum propendere ſolet, & quæ ab eo geruntur, licet mediocria, fiunt maximi: Ita hic Adverſarii potentia factum, ut haberet *Lutherus* populum ad favendum cauſæ ſuæ multo, quam ante, pro-

procliviorem. Quod eſt Sagaciſſimi *Petri Suavis*, ſeu quod genuinum Nomen ejus eſt, *Pauli Scarpii Servitæ* Judicium, ſæpius laudata *Hiſt. Conc. Trid. L. 1.* Et *Lutherus* Regio Nomine nihil deterritus, Henricum æque vehementi acerbitate excepit, qua minoris famæ Homines proſequi ſolebat; Ac licet poſtea vehementiæ ſuæ ipſum pœniteret Literis Deprecatoriis ad Henricum miſſis, mox tamen ad priſtina rediens eadem vehementia eum de novo impetivit, ſentiens quippe ſe Henricum placando non fore, quod Literis ſuis ad ipſum ſibi promiſerat. Scriptum primum *Lutheri* extat *T. II. Jenenſ. A. MDLXXII. f. 130.*

VII. Leo X. interea Henricum de Se & Eccleſia tam bene meritum honorifice DEFENSORIS FIDEI Elogio decoravit A. MDXXI. Regni Henrici XII. *Feliciter ſane, quod hic a Pontifice Rex ſteterit: Alias ejus ſcripta pari cum Actis virulentia traducerentur: Poſt enim duos publicavit Libros nihilo deteriores, ſive ſtilum, ſive argumentum ſpectemus, hunc*, de Autoritate Regia contra papam, *illum*, de Concilio Mantuano ſententiam ſuam: *In quibus quia aliud quiddam ſpirare viſus eſt, Pontificem non habuit famæ ſuæ tubicinem.* Jacob. Ep. Winton. *Præf. in opera Reg. Jacobi R. f. 13.* Bullæ Pontificiæ tenor talis: Leo Epiſcopus ſervus Servorum Dei, Chariſſimo in Chriſto filio Henrico Angliæ Regi, Fidei Defenſori, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. *Cum ſupernæ diſpoſitionis arbitrio, licet imparibus meritis, teque diffundimus cogitatus ut fides Catholica, ſine quâ nemo proficit ad Salutem continuum ſuſcipiat incrementum. Et ut ea, quæ pro cohibendis conatibus illam deprimere, aut pravis, mendacibusque Commentis pervertere & denigrare molientium ſana Chriſti fidelium præſertim Dignitate Regali fulgentium Doctrina ſunt diſpoſita, continuis proficiant incrementis, partes noſtri Miniſterii & operam impendimus efficaces. Et ſicut alii Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri Catholicos Principes, prout Rerum & temporum qualitas exigebat, ſpecialibus favoribus proſequi conſueverunt, illos præſertim, qui procelloſis temporibus & rabida Schiſmaticorum & Hæreticorum fervente perfidia, ſolum in fidei ſerenitate, & devotione illibatâ Sacroſanctæ Rom. Eccleſiæ immobiles perſtiterunt; Verum etiam tanquam ipſius Eccleſiæ legitimi Filii ac fortiſſimi Athletæ Schiſmaticorum & Hæreticorum inſanis furoribus ſpiritualiter & temporaliter ſe oppoſuerunt. Ita etiam nos Majeſtatem Tuam propter excelſa & immortalia erga nos, & hanc ſanctam Sedem*

in quâ Divinâ permiſſione ſedemus opera & geſta condignis & immortalib. Præconiis ac laudibus efferre deſideramus, ac ea ſibi concedere, propter quæ invigilare debeat a grege Dominico lupos arcere, & putrida membra, quæ myſticum Chriſti corpus inficiunt, ferro & materiali gladio abſcindere & nutantium corda fidelium in Fidei ſoliditate confirmare.

Sanè cum nuper dilectus Filius Johannes Clerk, *Majeſtatis Tuæ apud nos Orator in Conſiſtorio noſtro coram Venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinalibus, & compluribus aliis Rom. Curiæ Prælatis LIBRUM, quem Majeſtas Tua Charitate, quæ omnia ſedulo, & nihil perperam agit, Fideique Catholicæ Zelo accenſa, ac devotionis erga nos & Hanc Sanctam Sedem fervore inflammata contra Errores diverſorum Hæreticorum ſæpius ab hac ſancta ſede damnatos, nuperque per Martinum Lutherum ſuſcitatos & innovatos, tanquam nobile & ſalutare quoddam Antidotum compoſuit, nobis examinandum, ac deinde Autoritate NOSTRA approbandum obtuliſſet, ac luculenta Oratione ſua expoſuiſſet, Majeſtatem Tuam paratam ac diſpoſitam eſſe, ut quemadmodum veris rationibus, ac irrefragabilibus Sacræ Scripturæ ac Sanctorum Patrum Autoritatibus notorios Errores ejusdem Martini confutaverat: Ita etiam omnes eos ſequi, & defenſare præſumentes totius Regni ſui viribus & armis perſequatur, nosque ejus LIBRI admirabilem quandam & Cœleſtis gratiæ rore conſperſam doctrinam diligenter, accurateque introſpeximus, Omnipotenti Deo, a quo omne Datum optimum & omne donum perfectum eſt, immenſas gratias egimus, qui optimam & ad omne bonum inclinatam mentem Tuam inſpirare, eique tantam gratiam ſuperne infundere dignatus fuerit, ut ea ſcriberes, quibus ſanctam ejus Fidem contra novum Errorum damnatorum hujusmodi Suſcitatorem & reliquos Reges & Principes Chriſtianos Tuo exemplo invitares, ut & Ipſi etiam Orthodoxæ fidei & veritatis Evang. Veritati in periculum & diſcrimen adductæ omni ope ſuâ adeſſe, oportuneque favere vellet. Æquum autem eſſe cenſentes eos, qui pro fidei Chriſti hujusmodi defenſione pios labores ſuſceperunt, omni laude, & honore afficere, volentesque non ſolum ea, quæ Majeſtas Tua contra eundem Mart. Luth. abſolutiſſima doctrina, nec minori Eloquentia ſcripſit, condignis laudibus extollere ac magnificare, Autoritateque noſtra approbare & confirmare, ſed etiam Majeſtatem Ipſam Tuam tali honore ac titulo decorare, ut noſtris ac perpetuis futuris temporibus Chriſti fideles omnes in-*

intelligant, quam gratum acceptumque nobis fuerit Majeſtatis Tuæ Munus, hoc præſertim tempore nobis oblatum. Nos qui Petri, quem Chriſtus in Cœlum aſcenſurus Vicarium ſuum in terris reliquit, & cui Curam ſui Gregis reliquit, Veri Succeſſores ſumus, & in Hac ſancta Sede, a qua omnes Dignitates ac Tituli emanant, ſedenius, habita ſupra his cum iisdem Fratribus noſtris maturâ deliberatione, de eorum unanimi Conſilio & aſſenſu Majeſtati Tuæ Titulum Hunc Viz. Fidei-Defenſorem &c. *Et profecto hujus Tituli excellentia, & dignitate ac ſingularibus meritis Tuis diligenter perpenſis & conſideratis, Nullum neque dignius, neque Majeſtati Tuæ convenientius Nomen excogitare potuiſſemus, quod quoties audies ac leges, toties propriæ Virtutis optimique meriti Tui recordaberis Nec hujusmodi Titulo intumeſces, vel in ſuperbiam elevaberis, ſed ſolita tua prudentia humilior & in Fide Chriſti ac devotione hujus ſanctæ ſedis, a quâ exaltatus fueris, fortior & conſtantior evades, ac in Domino bonorum omnium Largitore lætaberis perpetuum hoc ac immortale Gloriæ Tuæ Momentum* Poſteris Tuis relinquere, *illisque viam oſtendere, ut ſi tali Titulo ipſi quoque inſigniri optabunt; talia etiam operâ efficere, præclaraque Majeſtatis Tuæ veſtigia ſequi ſtudeant, quam prout de nobis & dicta ſede optimè meritam una cum Uxore & Filiis, ac omnibus, qui a Te & ab Illis naſcentur noſtra Benedictione in nomine Illius, a quo illam Concedendi poteſtas data eſt, larga & liberali manu benedicentes Altiſſimum Illum, qui dixit:* Per me Reges regnant, & Principes imperant, & in cujus manu corda ſunt Regum, *Rogamus ac obſecramus, ut eam in ſuo ſancto propoſito confirmet, ejusque devotionem multiplicet, & præclaris pro ſanctâ Fide geſtis ita illuſtret, ac Toti Orbi Terrarum conſpicuam reddat, ut judicium, quod de ipſa fecimus, eam tam inſigni Titulo decorantes, a nemine falſum aut vanum judicari poſſit. Demum mortalis hujus vitæ finito curriculo ſempiternæ illius Gloriæ Conſortem atque participem reddat.*

Dat. Romæ, *apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſio, quingenteſimo viceſimo primo, 5. Idus Octobris. Pontificatus Noſtri Anno nono.*

Ego Leo Chriſt. Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. S s.

Additum ſigillum Leonis cum Elogio: Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, & exaudivit Me. *Juxta poſita* XXVII. *Cardinalium ſubſcriptio.* Extat in *Laërt. Cherubin. Bullar. T.* 1. *ad A.* MDXXI. & Jac. Howel. *de Præc. ſ.* 20. 21. Et Anglice in *Job. Speed. Hiſtor. Henr.* IIX. Ac

 Rex

Rex poſt acceptam Bullam Titulum hunc ſtatim uſurpabat, h. m. *Henr. IIX. D. G. Angliæ & Franciæ Rex*, *DEFENSOR FIDEI*, *& Dominus Hiberniæ.* Poſtmodo autem, Hibernia in Regnum evecta, ea reliquis Regnis juncta fuit,& Nomen DEFENSORIS FIDEI poſtremum locum obtinuit. Et cum progreſſu temporis Obedientiam Pontifici præſtandam exuiſſet, ne Titulum hunc, quo apprime delectabatur, Pontifici amplius debere videretur, Statuto Parliamentario ſanciendum curavit, ut Titulus DEFENSORIS FIDEI in perpetuum Regiis Titulis annexus eſſet, cui deinde etiam adjecere *Titulum Supremi Capitis Eccleſiæ Anglicanæ.* Tenor Statuti eſt:

> *The Kings ſtyle ſhall be: Henry the eigth by the grace of God King of England, France and Ireland,* Defendor of the Faith, *and of the Churchof England, and alſo of Ireland; in earth the ſupreme head: Which ſtyle ſchall be united and annexed for ever unto the Imperial Crowne of the Realme of England &c.*

Vid. *Act. Parliam. A. XXXV. Henr. IIX. in Collect. Ferd. Pulton.* Eumque poſt hac ipſo Maſculino quoq; Maria & Elizabeth Reginæ uſurparunt, *h. m. Elizabetha D. G. &c. DEFENSOR FIDEI.*

IIX. Antiqua aliqua Hujus Tituli Veſtigia extant in Archivis Elienſibus, *Regiſtro Th. Arundel Epiſcopi Elienſis A. M CCC LXXXIV.* Ubi Reſcripti Regii ad Archiepiſcopum & ſuffraganeos ejus verba ſunt: *Nos Zelo Catholicæ FIDEI, cujus DEFENSORES & ſumus & eſſe volumus, Autoritatem vobis damus ad arreſtandum & in priſonis veſtris detinendum omnes errorum & Hæreſium Prædicatores.* Vid. *Spellmann. Epiſt. Dedicator. ad Carol. 1. Reg. Angl. in T. 1. Concil. Angl.* E Regibus Anglo Saxonicis etiam Oswaldum hoc Titulo uſum docet *Jac. Howel.c. Tr. de Præc. Lib. 1. c. 1. Sleidanus cit. l. 3.* Henricum Defenſorem Eccleſiæ appellatum commemorat. Sed παρόραμα hoc eſt diligentiſſimi viri, cum Titulum hunc & ſimiles Imperatores ſibi potiſſimum vindicent, cujus rationes dedimus præc. capite. Et reſpexerunt ſine dubio ad diſcrimen ejusmodi ipſi Londinenſes, qui cum Carolus V. Henricum viſitaturus Londinum veniſſet, hoc Diſtichon in honorem utriusque pepigere, quod noſtro tempore adhuc in Curia Londinenſi conſpicuum fuit:

Carolus, Henricus, vivant DEFENSOR uterq;
Henricus FIDEI, Carolus ECCLESIÆ.

Vid.

Vid. *Selden ſep. cit. Titles of Honour.* Ad exceſſum vero partemq; abuſus pertinet iſta Lutheri Invectiva von Käiſerl. uneinigen und widerwärtigen Geboten. *T. II. Jen. Ed. 1555. fol. 432.* Die Schrifft ſaget/ daß der Chriſtliche Glaube ſey ein Felß/ der dem Teuffel/ Tod/ und aller Macht zu ſtarck iſt / und ſolche Krafft ſoll ſich beſchirmen laſſen von einem Kinde des Todes. Hilff GOtt! wie unſinnig iſt die Welt. Alſo rühmet ſich auch der König von Engelland ein Beſchirmer der Chriſtlichen Kirchen und des Glaubens: Ja die Ungern rühmen ſich Gottes Beſchirmer/ und ſingen in der Litanie: Ut Nos Defenſores Tuos exaudire digneris: Du wolteſt uns deine Beſchirmer erhören. Ach! daß auch etwa ein König oder Fürſt wäre / der Chriſtus Beſchirmer würde / und darnach ein ander/ der den H. Geiſt beſchirmet/ ſo meyne ich/ wäre die H. Dreyfaltigkeit/ und Chriſtus ſamt den Glauben nicht übel verſehen.

CAPUT III.

Titulus Porphyrogenneti, Sultani, Calipha, Sophi, Schach, Mogol, Cham, Magni Neguſch, Precioſi Johannis &c.

I.

VEnimus ad Imperium Conſtantinopolitanum, cujus Imperatores Græci olim Nomen PORPHYROGENNETI amaverunt. Talis Conſtantinus Πορφυρογεννήτης, PORPHYROGENNETA, Autor, ſeu Βασιλικῶν, ſeu repetitarum in Baſilica Prælectionum. Vid. *Cujac. Obſerv. L. VI. c. IX.* Non ita tamen, quin omnibus e Familia Imperatoria commune eſſet. Sic Anna Comnena, illa de Rebus Geſtis Alexii Comneni, Parentis ſui, Hiſtoria Celebris Auguſta, Ἄννη ἡ Κομνήνη, ΠΟΡΦΥΡΟΓΕΝΝΗΤΟΣ Καισαρίσση ſcribitur. Vid. Titulos *Alexiados Ed. Aug. Vindel. A. M DC X. a Dav. Hœſchelio & in Corp. Hiſtor. Byzant. N. 13.* Et Thomas ultimi Imp. Conſtantini Frater eodem Titulo utitur. Vid. *Cruſii Turco-Græc. L. IV. Ep. LIX.* Originem habet, non a Purpura vel Purpureo veſtimento, ſed ἀπὸ τῆς Πορφύρας, Loco, ubi Auguſtæ pariebant. Ita *Nicet. Acominat. Hiſtor. V.* Ὠκονομήθη μὲν ἡ ΠΟΡΦΥΡΑ καὶ εὐτρεπίσθη πρὸς τὴν ὑποδοχὴν τῆς γεννήσεως. Extructa eſt PORPHYRA ad excipiendum Partum. Et *Anna Comnena Alexiad. L. VI.* primum indigitat τὸ ἀφωρισμένον πάλαι ταῖς τικτούσαις τῶν Βασιλίδων οἴκημα, Mox ſubjicit: Πορφύραν τοῦτο οἱ ἀνέκαθεν ὀνομάζουσιν, ἐξ οὗ καὶ τὸ τῶν ΠΟΡΦΥ-

ΡΟΓΕ-

Digitized by Google

ΡΟΓΕΝΗΤΩΝ ὄνομα εἰς τὴν οἰκουμένην διέδραμε. Et iterum: Τοιαῦτα πίνουσα τοῖς ΠΟΡΦΥΡΟΓΕΝΗΤΟΙΣ ἡμῖν ἐξ αὐτῶν βαλβίδων τῆς ἡμῶν γενήσεως ξύμβαντα. Vid. plura in Scriptoribus Hiſtoriæ Byzantinæ. Adeo ut PORPHYROGENNETUS ſeu Porphyrogenneta perinde ſit, ac ὁ ἐν Πορφύρᾳ γεννηθεὶς, in Porphyra natus. Loco Πορφυρογεννήτου habetur Πορφυρόφυτος in *Conſt. Manaſſ. Chron. p. 120. Corp. Hiſtor. Byz. N. XV.*

Ἐξήνθησε βασιλέως σὺν ἅμα Κωνσταντίνῳ
Οἱ Πορφυρόφυτοι βλαστοὶ τοῦ Ῥωμανοῦ τοῦ Πράκου.

II. Apud hodiernos Imperatores Conſtantinopolitanos ſeu Turcicos uſitatus eſt Titulus SULTANI ſeu Soldani, SULTAN Selim, SULTAN Machomet &c Quem & Ægypti & Syriæ Domini tulerunt, ipſumq; Saladini Nomen eo referetur. vid paſſim Scriptores Rerum Aſiaticarum. Proprie tamen huc non pertinet, cum Turcæ omnes Dignitate præcellentes ita nominent. Vid. *Busbeq. Epiſt. III. p. m. 153. Cl. Hottinger. Compend. Theatr. Orient. P. 111. c. 1.* Adeo ut Singiaccus quidam etiam Baſſam eo nomine appellet apud *Busbeq. c. l.* Quod & origo vocis confirmat, ab Hebraico *Schalat i. Dominari:* Unde Arabum *Salat* & *Sultan.* Proprium vero Nomen Imperatorum Turcicorum eſt CHAKAN, ut *Chan* Tartarorum. *Cl. Hottinger. Hiſt. Orient. p. 175. & Comp. Theatr. Or. P. 111. c. 1.*

III. CHALIPHA ſeu Calipha, Caliphas, Califfus, eſt ab Hebr. *Chalaph*, mutare, innovari &c. & *Cheleph*, ἀντὶ, vice. Ut Chaliphas ſit vicarius: Nomen apud Arabes auguſtiſſimum, ac quatuor tantum primis Muhammedis Succeſſoribus proprie tributum, Abubecro nempe, Omaro, Othmano Ali. *Hotting. cit. Comp. Th. Or. c. 111.* Quaſi Muhammedis locum in Terra tenentibus: Cæteris deinde Imperatoribus Muhammedannorum omnibus additum. Sic Petr. Martyr de Ægypti Dominis: *Ab Anno ſeptingenteſimo quarto a ſalute noſtra & Chriſti Natali Ægyptii de Mahometico genere Regem, ut ſe a Græcorum ſervitute liberarent, ſibi crearunt, qui CALIPHUS appellabatur. Ab hujus Caliphi nomine reliqui omnes Ægypti Reges CALIPHI ſunt appellati; ad Annum usque tertium & quinquageſimum ſupra milleſimum, cit. Legat. Babylon. L. 111. p. 403.* Confer *Haithon. de Tartar. c. XV.* Eum ad ſacrum Ordinem translatum fuiſſe, exemplo ſunt CALIPHÆ Babylonii ſeu Bagdadenſes. De quorum uno ſuo tempore

pore *Benjamin Tudelenſ. Itinerar. p. 63. Hic Muhammedanorum Religionis Antiſtes eſt, ipſiq; omnes Muhammed. Reges faſces ſubmittunt: iis enim eodem modo præeſt, quo Papa Chriſtianis.* Qui tamen & Politicum Regimen in regiones ſibi ſubjectas exercebant, donec Filii Boujæ e poſteris Iizdegird Perſarum Regis regnarent: Qui CALIPHARUM quidem ſucceſſionem & ſeriem Bagdadi non impediverunt; niſi ea ratione ac modo, ut iſti nomine tenus ferme regnarent, ſumma vero poteſtas penes Boujæ poſteros remaneret. vid. *Conſt. L. Empereur. Not. in Benjam. p. 183.* Ac de recentioribus Ægypti CALIPHIS iterum *Martyr l. c. Habent & ipſi (Ægyptii) ſummum Pontificem, ad quem hujus Imperii machina, ſi Ægyptii Homines eſſent, pertineret. Jus ſuum ut cæteri conſuevere, Mammeti Cairi Regiam tenenti trium milliam auri drachmarum precio Pontifex vendit. Is CALIFFUS dicitur. E Tribunali Soldano ſtanti pedibus vitæ necisque liberam poteſtatem præſtat. Ipſe deſcendit: ſe ipſum ſpoliat: Soldanum imperaturum induit: abit privatus.* Prorſus eodem modo, quo & Japoniæ Imperatores Darios ſuos, Imperio, quod penes eos ſolos erat, exuerunt, ſpecie Imperii & integra rerum ſacrarum adminiſtratione ipſis relicta. vid. *Varenii Deſcr. Japon.* De ſerie CALIPHARUM Bagdadenſium qui & quousque regnarint. vid. *cit. l. Hotting. p. 180.*

IV. Apud Perſas uſitati ſunt Tituli SCACH & SOPHI. SCHACH, SCHAH, Xa *Pedro Texeira* & aliis Hiſpanicis Scriptoribus, *Caput, Doctorem, Regem*, proprie *Senem* ſignificat, ac præmittitur Nomini Regio: *SCHACH Iſmael Sofi, SCHACH Mahumed, SCHACH Abas &c.* vid. *Olear. Itinerar Perſ.* Nonnunquam tamen & Inferiores eo participant. Sic Legatus Mahometis Giereji, Tartariæ Præcopenſis & Scythiæ Europææ Domini, ad Invictiſſ. Imperatorem Noſtrum Leopoldum, tum temporis Regem Hungariæ, ſalutabatur *SCHACH Tegir Aga.* vid. *Thulden. Hiſt. L. VII. A. MDCLIIX.* SOPHI Nomen Regio Titulo annexum eſt ab Iſmaële SOPHI, primo Rege Familiæ, quæ hodie imperat, quique tanti apud Perſas adhuc æſtimatur, ut per caput ejus jurent religioſiſſime. Vocantur ita, quia TZOPHI Arabice ſignificat puræ Religionis Hominem & in melius reformatum: Cujusmodi ſuam religionem eſſe contendunt, eoque nomine Capitale illis cum reliquis Muhammedanis odium, ut Samaritis cum Judæis. *Scal. de Emend. Temp. L. V.* Communiter a Flocco laneo origo petitur, quod hoc diſcrimine inter

ter alia Perſæ a Turcis divertant, ut laneo operimento caput tegant, Turcis lineum & ſubtiliſſimum Tulipantum præferentibus. *Leunclav. Pand. Turc. c. LXXXI. & CLXXXIIX. Ab Oſmanidis*, ait, *SOPHI Cognomentum & Kiſſelbaſſæ per ignominiam fuit inditum a SOPHI Arabica Voce, quæ* Lanam *ſignificat; quippe cum Mahumetani, & præſertim Oſmanici, more veteri Tulipanto Lineo ſubtiliſſimi operis caput involvant, nova iſthæc* Sophilariorum *religio præcipit inter alia, ne caput faſtu quodam lineis ejuſmodi ſpiris ornetur: ſed ut tegumenta capitum a lana, non magni re precii, conficiantur. Et quia laneum hoc tegumentum Capitis, quo præter aliorum Mahumetanorum morem hi nunc utuntur, plicas habet duodecim, & Arabica vox* Enaſſer *duodecim ſignificat, etiam aliud Nomen* Enaſſeriariorum *conſecuti ſunt, ac ſi Græco vocabulo dicas Dodecaptychos, aut Latino Duodecimplices. Quod denique tegmen ejuſmodi rubro duntaxat colore tinctum geſtare ſoleant, Kiſſelbaſſilarii quoque dicti ſunt, velut rubra Capita.* Sed Regio titulo tum temporis annexum fuiſſe diximus; Cætera enim recte monet *Selden. l. ſup. cit.* Vocem SOPHI vel SOPHILAR longe ante Iſmaelem Sectæ Ali Doctrinam profeſſæ impoſitam fuiſſe. Ad de *Hottinger. Hiſtor. Orient. p. 372. & Hoornbeeck Summ. Controv. L. III.*

V. Indiarum Rex Magni MOGOR ſeu MOGOL appellationem habet, derivatam ſine dubio a Tartarorum Gente, quam Moglos & Mogolenſes dixere. *Haithon. de Tartar. c. XVI.* Huic enim originem ſuam ſe debere, ac ſpeciatim a Timuro ſeu Tamerlane, notiſſimo Scytharum Monarcha, ſe deſcendere gloriatur. *Chanziaban* appellatur *a Joh. Twiſt. Deſcript. Guzuratæ*, qui & *Magnum Magoll vocat.* CHAMI Nomen Tartaris illud eſt, quod Perſis Schach, & Turcis Sultan. Quid ſignificet, accipe a *Matthia a Michou* viro in hiſce talibus non leviter verſato, *Sarmat. Aſian. L. I. c. IIX.* Imperator eorum &c. *dicitur* ULII CHAM, *quod ſonat magnus Dominus, ſive Magnus Imperator, ULU enim magnus, CHAM vero Dominus & Imperator eſt &c.* Quod videre Scriptores medii ævi nonnulli & *Magnum Canem* appellarunt. Hinc *Chambalu* Regia, ut putatur, Tartarorum ſedes. Gingis-Chaniſmus, Religio Tartarorum, a Ginge CHAN Autore Familiæ Regiæ nomen habens. Malunt tamen Eruditi CHAN, quam CHAM dici, cum CHAN apud Turcas & Perſas etiam in uſu ſit. Talis erat CHAN, ſeu præfectus, Provin-

ciæ Schirwan apud *Olear. Itiner. Perſ.* CHAN Schamachiæ &c. *Ibidem.* Et apud *Zacuth. in Hiſtor. Caliph.* Morad CHAN, Temur CHAN, Altun CHAN. Vid pluribus *Hottinger. Hiſtor. Eccl. ſec. XIII. p. 481. & ſeqq.* Idem Nomen *Chagani* celebris iſtius Mauritii tempore Principis præ ſe ferre videtur: Scribit enim ad Imp. τῷ Βασιλεῖ τῶν Ῥωμαίων ὁ χαγάνος ὁ μέγας Δεσπότης ἑπταγενῶν, καὶ Κύριος κλιμάτων τῆς οἰκουμένης ἑπτά. Quid aliud enim Χαγάνος ὁ Μέγας, quam Magnus Chajan ſeu CHAN & Ulu Chan, vel ἑπταγενεῖς, & κλίματα ἑπτά, quam ſeptem principales Nationes Tartarorum, quas deſcribit *Haithon. c. L. c. XVI.* Eodemque pertinebit Ἀγγάνης Rex apud *Joh. Melelem vit. Juſtiniani* & complures alii modica corruptione a Chani Titulo deflectentes apud *Scriptores Hiſtor. Byzant.*

VI. Magnus Æthiopiæ Imperator hodie in Itinerariis Magnus NEGUS appellari ſolet, vid. *Vincent. Le Blanc. Itiner. p. II. c. VI.* & alios. NEGUS ſeu Neguſch eſt Rex, Lingua Æthiopum, ut Magnus NEGUS idem ſit, quod Magnus Rex: Quemadmodum Itali Imperatorem Turcicum *Il Grand Signor* appellare ſolent. Præcedenti ſeculo communiter ab Europæis vocabatur PRESBYTER JOHANNES. *Sic Ludovic. Vartomannus Navig. L. II. c. XV.* Ac PRESTEGIANI h. Apoſtolicus, ad modum Æthiopicorum Regnum, qui ante CCCC. Annos in Drangiana & India longe lateque imperarunt, demum a Ginge Tartarorum Imperatore ſubacti, interfecto ultimo eorum Uncamo. Vid. *Scal. De Emend. Temp. L. VII. M. Paul. Venet. L. 1. c. LI. Ratio erat, Non quod is Sacerdos eſſet, ſed quia Archiepiſcopi Primatis more, quando pacificis rebus prodibat in publicum, unum habebat in Comitatu, qui erectam Crucem præferret. Nicol. Godign. de Abyſſin. reb. L. 1. c. V.* Tandem in PRECIOSUM JOHANNEM transmutarunt. Vid. *Damian. a Goes de Moribus Æthiop. Maffejum Hiſtor. Indic. Franciſc. Alvarez Itinerar. Æthiop. &c.* paſſim, Inducti Relatione Zaga Zabo Legati Imperatoris Æthiopum, qui ne Europæi plane fruſtra fuiſſe viderentur, levi converſione Precioſum ex Presbytero formavit. *Quod ſi libeat ſciſcitari,* ait ille, *de Agnomine noſtri Imperatoris, is ſibi perſuaſum habeat, illum perpetuo appellari PRECIOSUM JOANNEM & non PRESBYTERUM JOANNEM, ut hic falſo jactatur. Scribitur enim noſtro Sermone &c. quod ſonat* Joannes Belul, *hoc eſt,* Joannes Precioſus ſive Altus: *Et in*

Digitized by Google

Chaldaica Lingua ſcribitur &c. Joannes Encoë, *id ſi interpreteris etiam* Joannis Precioſi ſive Alti *ſignificatum habet.* Apud *Damian. a Goes p. 88.* At ne illud quidem Cl. Hottingero arridet, rato Johannis Precioſi Nomen Davidi tempore Inaugurationis datum, non vero Familiæ eſſe. *Mos in Æthiopia invaluit, ut tempore Inaugurationis Regibus Æthiopiæ Boni ominis Cauſa cognomentum aliquod votivum, quod deinde Nomini Baptiſmali, plerumq; prævalet, acclamaretur. David ergo ille, ſeu Rex Abyſſinorum, a quo Zaga Zabo miſſus erat, cognomento* Wanag Sagghed, *pro* Jakua Sagghad, *quod* Gemmam Precioſam *ſignificat, deſignabatur, atque hoc eſt, quod Zago Zabo quidem caſtigavit, ita tamen ut erroris veſtigia & opinionem inveteratam non exemerit.* Sed huic forte ſatis faciet integer Davidis Titulus in Literis ad Emanuelem Regem Portugalliæ An. MDXXI. & Anno MDXXIV. Et ad P. M. eodem A. MDXXIV. perſcriptis: *Ego Atani Tin bil*, i. Teſtis Virginis, *quod eſt mihi Nomen a Baptiſmate, nunc vero cum Imperii ſceptro aſſumſi Nomen* David, *Dilectus Deo, columna Fidei, Stirpis Juda, Filius David, Filius Salomonis Regum Iſrael, Filius Columnæ Sion, Filius ſeminis Jacob, Filius de Manu Mariæ & Filius Nau per Carnem.* Ubi certe nulla aſſumti in Coronatione PRECIOSI JOHANNIS Tituli mentio. Interim pro Nomine hoc militat, quod & *Ludov. de Uretta* dicit, ipſum *Beldigian* dici, *Hiſtor. Æthiop. L. II.* Et *Cotovic. Itinerar. Hieroſol. p. 209.* quod *Belulgiam* vocetur. Vid. præter alios *Brian. Walton. Proleg. Bibl. XV.* Sed verior Etymologia τῦ PRESTEGANI nebulas haſce forſan diſcutiet. *Preſte* in Oriente commune nomen Chriſtianorum in hanc usque diem eſt, in reſiduo *Gani*, vocem Chan facile eſt animadvertere, *Preſtegani* igitur erit *Preſte Chan*, h. Chriſtianus Chan, Chriſtianus Rex: Qui etiam revera erant priſci iſti in Oriente Reges, qui primo innotuerunt hoc nomine. Quam novam non ingratam tamen Etymologiam ab Inſigni Viro *Andr. Müllero*, Præp. Berol. primum accepimus.

VII. Regis *Monomotapæ* in Africa, Nomen ſingulare eſſe *Magni Tabecbi & Tabaqui* docet *Le Blanck Itin. p. II. c. IV. Yncarum Titulum* in Peruvia audire erat, antequam Hiſpani iſtud Regnum everterent, extatq; hodienum *Garcilaſſi de Vega* Commentarius de Rebus Peruvianis, qui Yncarum ſanguinem Titulis ſuis in ipſa fronte Libri annumerat. *Primera parte de los Commentarios Realesque tratan del origen*

origen de los Yncas, Reyes que fueron del Peru, de ſu Idolatria &c. Eſcritos por el Ynca Garcilaſſo de la Vega, natural del Cozco, *y Capitan de ſu mageſtad. Liſbon. M DC IX. fol. Arſacidarum* apud Parthos, *Pharaonum* & *Ptolomæorum in Ægypto, Flaviorum* inter Gothorum Reges in Hiſpania, & ſimilia Nomina Profundioris Antiquitatis ſtudioſis jam plene planeque expenſa atque illuſtrata ſunt.

TANTUM.

DISSERTATIO III.

DE TITULIS REGIIS SPECIALIBUS.

CAPUT I.

Tituli Regum Hiſpaniæ: Eorum varietas: Tit. Regis Jeruſalem, Galliæ, Navarræ: Portugalliæ: Varietas in Titulo Regis Angliæ: Ejus in Regnum Franciæ Prætenſio: Tit. Regis Hiberniæ, Ducis Aquitaniæ & Normanniæ.

I.

DUm ulterius progredimur in propoſito noſtro, e Titulis Specialibus videndi erunt tum integri, quos uſurpant Sacratiſſimi Reges Noſtri; tum quibus Jus ſuum alioqui collapſum non nullibi eruant.

II. Atque a Regno HISPANIÆ ut incipiamus, notum eſt, qua Luxurie Titulorum ibi laboretur. Philippi IV. Titulus fuit: *Philippus DEI Gratia* Rex *Caſtiliæ, Leonis, Arragoniæ, Duarum Siciliarum, Hieroſolymorum, Luſitaniæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galliciæ, Majoricæ, Seviliæ, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Gienis, Algarbiæ, Algeziræ, Gibilterræ, Inſularum Canariæ, Indiarum Orientalium & Occidentalium, Inſularum & Terræ Firmæ Maris Oceani*, Archi-Dux *Auſtriæ*, Dux *Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani*, Comes *Habſpurgi, Flandriæ, Tirolis, Barcellonæ, Dominus Biſcayæ & Molinæ*. V. Pacificationem Hiſpano-Gallicam A. M DC LIX. Amplior erat Philippi III. *Don Phelippe por la gracia de Dios* Rey de

Caſtilla, de Leon, de Aragon, de las dos Sicilias, de Jeruſalem, de Portugal, de Navarra, de Grenada, de Toledo, de Valencia, de Galicia, de Mallorca, de Sevilla, Cerdena, Cordona, Corcega, Murcia, Jaen, de los Algarves, de Algezira, Gibraltar, Islas de Canaria, Indias Orientales, y Occidentales, Islas, y Tierra Firme del Mar Oceano, Archiduque *de Auſtria*, Duque *de Borgonna, de Brabante, Milan, Atenas, y Neopatria*, Conde *de Habſpurg, Flandes, Tirol, Barcelona, Roſſillon y Cerdania*, Marques *de Oriſtan, y Goçiano*, Sennor *de Viſcaja y de Molina.* Vid. Edict. Ejus contra Baronii Tractatum de Monarchia Siciliæ. Tract. Induc. Belg. apud *Metteran. L. XXIIX.* &c. Ampliſſimus vero Caroli V. *Carolus Divina favente Clementia Romanorum* Imperator *Semper Auguſtus*: Rex *Germaniæ, Caſtiliæ, Aragonum, Legionum, Utriusq; Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galliciæ, Majoricarum, Hiſpalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Giennis, Algarbiæ, Algeziræ, Gibraltaris, Inſularum Canariæ, Indiarumque & Terræ Firmæ, Maris Oceani*: Archidux *Auſtriæ*, Dux Burgundiæ, *Lotharingiæ, & Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Craniæ, Limburgiæ, Lutzemburgiæ, Geldriæ, Calabriæ, Athenarum, Neopatriæ & Wirtembergæ*, Comes *Habſpurgi, Flandriæ, Tirolis, Goritiæ, Barcinonis, Arthois & Burgundiæ*, Palatinus Comes *Henegoiæ, Hollandiæ, Seelandiæ, Phirdæ, Kiburgi, Namurci, Roſſilionis, Ceritaniæ & Zutphaniæ*, Langravius *Elſatiæ*, Marchio *Burgojæ, Oriſtani, Gotiani*, ac S. Romani Imperii Princeps *in Suevia, Catalonia, Aſturia* &c. Dominus *Friſiæ, Vandalicorum, Portenojæ, Biscajæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis & Mechliniæ.* Conſtit. Caroli V. ſuper Judicio Cameræ de An. M D XLIIX. apud *Goldaſt. Conſt. Imp. T. II. p. 242.* Quos ideo ſeorſim citandos duximus, quia differentiis aliquot variant, quæ præſentem Rerum Statum non uno modo concernunt.

III. Cauſam tantæ Luxuriei ex parte attigimus *Diſſ. I. C. I. §. IV.* Illuſtratam habes infra ad *§. V.* Carolum V. eo amplioribus Titulis affici neceſſum erat, quia Cæſarea & Catholica Majeſtas in eo concurrebant. Reliqua quod attinet, notamus I. In Caroli Titulo omitti *Ducatum Mediolanenſem*, quia ipſius tempore demum adjiciebatur Ditionibus Hiſpanicis, feudi loco ab Imperio accipiendus. Hinc Philippus II. III. & IV. eum Titulis ſuis inſeruerunt. II. Omitti Regnum *Portugalliæ*, quia poſt mortem Caroli demum jus ſuum in illud

illud quæſiverunt Reges Hiſpaniæ, quiq; vi Tractatuum An LXIIX. initorum inter Portugalliæ & Hiſpaniæ Reges iterum expiravit. III Carolum diſtinctim vocari *Ducem Burgundiæ & Comitem Burgundiæ*, ad diſtinguendam Burgundiam proprie ſic dictam, quæ Ducatus Burgundiæ eſt, a Comitatu Burgundiæ, quem communiter hodie appellant *La Franche Comté.* Quanquam jam a Maximiliani temporibus Ducatus Burgundiæ ſub Gallis fuerit, iisque & Comitatus vi Bellica noſtro tempore acceſſerit. IV. Vocari etiam *Ducem Lotharingiæ, & Calabriæ*, quæ in reliquis omittuntur. V. In Philippi IV. Titulo omitti *Ducatus Athenarum & Neopatriæ*, ſeu ut alibi habetur, *Atticæ*, ſine dubio, quia non niſi nomina ſunt, ab omni re vacua. Et de Neopatria vix ipſe ſitus notus eſt: Patræ, Achajæ Urbs, quæ Pauſaniæ & Stephano Teſtibus antea Aroe, Ἀρόη, dicta fuit. Patræ Veteres dicuntur a Conſtantinopolitanis Scriptoribus, hodie Patra Teſte Sophiano, Balubactra Leunclavio. Patrarum Novarum vero mentio fit apud Gregoram & Nicetam, ſed an aliæ ſint ab iſtis, ipſe *Ortelius* dubitat, Patras enim & Laonicus habet in planicie, quæ eſt in radicibus montium Locrenſium circa Thermopylas. Vid. *Ortel. Theſ. Geogr.* Confer *Cruſ. Turco-Græc. L. III. p. 226.* V. Omitti etiam Titulum *Hollandiæ, Seelandiæ & Friſiæ* Tenore *Tractat. Pac. Hiſpano-Belg. Art. I.* Quem nec Philippus III. cit. Tit. adhibuit, forſan intuitu Induciarum tunc vigentium, quibus itidem in Libertatem Reip. Belgicæ conſenſerat. Denique & Titulum Comitatuum *Ruſcinonenſis ſ. Roſſillon & Cerdaniæ.* Quippe Gallis ceſſorum vi *Articul. Pyren. XLIII.* Monet quidem Cl. *Sprenger. in Pont. Jur. Publ. c. XX. p. 210.* in Philippi IV. Titulis & Balearium Regnum præteriri. Sed iſtud Majoricæ, ſeu ut Hiſpani loquuntur, Mallorcæ nomine indigitari notorium eſt, adeo ut nihil dubitemus, ipſum dilucide ſatis poni. De Navarræ Titulo agemus ſq. §. V.

IV. Memorabile vero inprimis eſt, Reges Hiſpaniæ ſalutari Reges JERUSALEM: Cujus origo ex Titulo utriusque Siciliæ petenda, cui Regnum Hieroſolymitanum olim perpetuo jure annexum fuit. Cum enim circa finem Seculi XII. Saladianus Ægyptius Chriſtianorum in Palæſtina regnum occupata Hieroſolyma immenſum attenuaſſet, & Johannes Brenna ſeu Brennenſis, Gallus, accepta Tyri corona Regnum jam in exitium propendens inſtauraturus, rogan-

gandi auxilii cauſa in Italiam veniſſet, Fridericus II. Imp. & Rex Siciliæ Jolantam ſeu Violantam ejus Filiam in Uxorem duxit, ac dotis loco omne jus, quod Johannes in R. Hieroſolymitanum & partes Syriæ habebat, in ſe transferri paſſus eſt, ita tamen, ut Regno Neapolitano & Siciliæ uniretur. Unde Fridericus Titulum hunc libere uſurpavit. *Fridericus D. Gr. Romanorum Imperator Semper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex*: Vid. Conſt. II. & III. Frider. contra Hæreticos *T. I. Conſt. Imp. Gold. p. 294.* Item *Hieruſolimitanæ & Siciliæ Rex* Conſtit. de Metallifodinarum Privilegio Dominis Planenſibus conceſſo *ib. p. 298.* Quem etiam ut reipſa ſe habere oſtenderet, in Palæſtinam profectus Saracenos Hieroſolyma ejecit, & A. MCCXXIX. XV. Cal. Apr. ſolenni ritu corona Regia in ea ornatus fuit. Quanquam Friderico adhuc ſuperſtite ea Chriſtianis iterum erepta in Saracenorum poteſtatem ſine Spe ulterioris receptionis tranſiit. Quo de videndi *Scriptores Bellorum Sacrorum & Rerum Hieroſolymitanarum editi a Reinero Reineccio: Chriſtoph. Beſold. Hiſtor. Urb. & Regni Hieroſolym. &c. Argent. MDCXXXVI.* Poſt Fridericum in Filios Conradum, Henricum & Manfredum hoc jus derivatum fuit, inde Petrus Arragoniæ Rex id ſibi vindicavit, quippe Uxori ſuæ Conſtantiæ Manfredi Filiæ debitum: Et ex eo tempore Tituli Regni Siciliæ eoque Regni Hieroſolymitani Diademati Hiſpanico alligati manſere, licet variis ſubinde caſibus jactati, & ſi Hieroſolymitanum ſpectes, re prorſus inanes. Quo pertinet lepidum Dicterium Baylii Legati Eliſabethæ Reginæ Angliæ in Legatum Hiſpanicum eo nomine aliquando jactum. Cum enim inter eos quæreretur, qua Lingua collocuturi eſſent? Hiſpanus reſpondit, Lingua Gallica utendum fore, quia Regina Angliæ ſit Regina Franciæ. Baylius vero: Non ſane, ait, ſed utemur Lingua Hebraica, quia Rex tuus eſt Rex Jeruſalem, indigitaturus Regi Hiſpaniæ tantum poteſtatis in Palæſtinam eſſe, quantum Dominæ ſuæ in Galliam. Vid. plura de Origine & Progreſſu hujus Tituli in *Valdeſ. de Dign. Regn. Hiſpan. c. XVII.*

V. Galliarum Rex ſe parciorem præbet in hoc negocio; Ideo non niſi *Franciæ & Navarræ Regem* inſcribi videris. Cauſa Brevitatis videtur ab Unione partium Regni pendere; Quicquid Locorum enim Galli lucrantur, id Regno & Coronæ non perſonæ Regis accedit: Cum e contrario aliis in Regnis, ſi quæ Provinciæ accedant, non Regnis adeo quam perſonis Regentibus adjungantur; Unde in

pleriſque Titulorum luxuries, in Gallia vero Brevitas: Ipſorum Regnorum denominatio, ſi Franciam ſeu Gallias ſpectes, plana eſt, ſi Navarram, ambigua, quippe in quam potius prætendit aliquid, quam ut revera eam poſſideat: Origo ejus ab Antonio Borbonio Vindocino Henrici IV. Parente ſumpta, qui jure Uxoris Johannæ Labretanæ Henrici Labretani Filiæ, Johannis, quem Ferdinandus Catholicus Regno ejecit, Neptis, Titulum hunc in ſe transtulit, & ad Henricum IV. ejusque poſteros transmiſit. Tenuerat eam Johannes Labretanus usque ad A. M D XII. ac medio tempore cum Ludovico XII. Rege Galliæ fœdus pepigerat, quem Pontifex Maximus Excommunicationis fulmine ferierat. At Ferdinandus Catholicus imparatum a rebus omnibus invadebat, & Regno cedere ac in Benearniam cis Pyrenæum ſe recipere cogebat. Cujus occaſio erat, quia Ferdinandus Pontificis Autoritatem prætexuerat, *qua fieri dictitabat, ut quos ille Hoſtes haberet, eos Bello perſequi teneretur; Eoque conjunctis cum Genero ſuo Henrico IIX. R. Angl. viribus in Aquitaniam, in qua Anglus ſibi jus vindicabat, impetum facere decreverat. Et quia ad eam expeditionem opus habebat iter per Navarræ Regnum cum Exercitu facere, miſſis Oratoribus a Johanne Labretano Rege petierat, ut ſibi libere per ejus Regnum tranſire liceret, quod cum ab illo propter amicitiam, quæ ipſi cum Gallo intercedebat, non impetraret, occaſionem arripuit invadendi Navarræ Regni, Thuan. L. I.* Eoque Regnum Navarræ Hiſpaniæ Regibus acceſſit, in eorumque Titulis inſertum fuit, Parte tamen aliqua Labretanis relicta, quam *Navarre Baſſe* vocant h. Le pais de Basques, de Donnezan & Bearnia: Quibus a Regibus Galliæ adjecti Comitatus de Foix, Comitatus de Bigorre, & Comitatus d' Armagnac. V. *Memoires de Mornay de Statu Regis Navarræ & ditionibus ejus in Gallia p. 134.*

VI. Portugalliæ Regum Titulus eſt: *Alphonſus D. Gr. Rex Portugalliæ, Algarbiæ, & citerioris atque ulterioris Lateris Oceani Africani, Dominus Guineæ & Conqueſtorum Navigationum & Commerciorum in Æthiopia, Arabia, Perſia & Indiis* &c. quem v. *Diar. Europ. Cont. V. ad A. MDC LX. M. Decembr.* Similem vid. *T. II. Scriptt. Hiſp. Piſter. f. 1315.* in Epiſtola Emanuelis Portugalliæ Regis ad Leonem X. P. M. de Victoriis in Africa habitis. In quibus ſingularia, I. Reges Oceani dici; In quo non obſcurum Imperii maris documentum elucet; II. Nomen Dominii Actionibus ipſis attribui, Naviga-

tionibus, Commerciis, cui ſimile Exemplum vix alibi occurrit: Ratione fortaſſis exiſtente, quod Prætenſiones in ipſas Regiones, a quarum Commerciis ſe Dominos appellant, ita ſenſim ſe firmaturos ſperaverint.

VII. Regis Angliæ Titulus eſt: CAROLUS Dei Gratia *Rex Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ.* Priora inter ipſos Anglos & Scotos controverſa, cum nec Angli Scotis, nec Scoti Anglis poſtponi velint. Hinc Angliam tanquam Sedem Regiam Angli & Hiberni reliquis præponunt; Scoti vero inverſo ordine Scotiæ ſubjiciunt h. m. *Rex Scotiæ, Angliæ, Fr. & Hib.* Cui quidem rei Jacobus VI. ipſo ſtatim initio Imperii ſui finem impoſiturus utrumque Regnum uno Magnæ Britanniæ nomine comprehendere conatus fuit, ad evitandam poſthac adverſarum Nationum æmulationem: Quem in finem etiam Numos cudi curavit cum Elogio: *Henricus Roſas, Regna Jacobus;* Et *Faciam eos in Gentem unam.* Et Oratione peculiari id ipſum commendavit habita in Convent. Ordinum A. MDCVII. d. XXXI. Mart. quam V. *in Opp. Ejus f. 507. & ſeqq.* Sed quia Angli pariter ac Scoti renitebantur veriti, ne dignitas Regnorum ſuorum hac ratione imminueretur, res Succeſſu caruit; Nec unquam vel Decreto Parliamenti receptum, vel inter conditiones, quibus Anglia & Scotia conjunctæ ſunt, acceptatum fuit, quod Autor *Orbis Politici c. 3. n. 3. ſ. VI.* Idemque *in Orbe Imperante* de R. Britanniæ *Per III. Can. 1.* tradit; item *Thuanus L. CXXXI.* Prævaluere enim ipſæ illæ rationes, quas contra Unionem iſtam ibi producit. Nec prævalere potuit Regis Autoritas, niſi in privatis Inſcriptionibus. Hinc licet in ejusmodi aliquibus Reges hodienum Magnæ Britanniæ Titulum adhiberi patiantur, vix tamen in Edictis Publicis, Statutis Parliamentariis etſ. uſurpari permittitur. Scotiam vero quod attinet, vulgus ibi jam dudum ſibi Regum ſuorum in univerſam Britanniam Regimen promiſit, abducto e Scotia per Edvardum III. R. Angl. informi marmorem, hodienum ſub ſella Inaugurationi Regiæ deſtinata in Templo Weſtmonaſterienſi conſpicuo, cui olim Jacobum Patriarcham in Peregrinatione ſua incubuiſſe creditum fuit, ac de eo fatidicum hoc Carmen circumlatum:

Ni fallat fatum, Scoti hunc quocunque locatum
Inveniunt Lapidem, regnare tenentur ibidem.

Vid. *Wilb. Sanderſon Vid. Mariæ Reg. Scotiæ & Jacobi Regis Angliæ*
Ed.

Ed. Lond. 1656. *fol. min.* Et inter Scriptores noſtros *Seſquiſec. Anglic. pag.* 33.

VIII. De Franciæ Titulo res pleniori enumeratione indiget, quem Angliæ Reges a tempore Edwardi III. geſſerunt, Galli varia rerum ſuarum fortuna hactenus tolerare coacti ſunt: Nec quicquam ab Anglis remiſſum, niſi quod nuperi Interregni tempore Cromwellus eum Titulis ſuis non insereret contentus ſolo, nomine *Protectoris Reip. Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ.* Vid. Inſtrumenta ejus paſſim. Duxerat Edwardi III. Regis Angliæ Parens Edwardus II. Iſabellam Philippi Pulchri Galliarum Regis unicam Filiam in Uxorem: Quare Edwardus III. Philippo moriente Regnum Galliæ ſibi Succeſſionis jure vendicavit. In Gallia contra Philippus Valeſius Legem Salicam obtendebat, cujus vigore Corona Gallica ad Colum alligata non eſſet: *La Couronne de France n' eſt pas allién a la quenouille.* Itaque Edwardus ſe gladio ſuo eam alligaturum reſpondit. Et dictum, factum, Galliam invaſit, Galloſq; tribus graviſſimis præliis ita enervavit, ut Pictones, Santones, Petrigorios, Lemovices, Pontiniacos, Caletes, Comitatum Guinarum, Normanniam, Andegavum Turones & Aquitaniam ſuam redderet; Ac ne quid deeſſet infelici Galliæ, ſuccedenti tempore Henricus V. Rex Angliæ Carolum VI. Philippi Nepotem eo usque adegit, ut exheredato proprio filio ſuo Carolo VII. ipſum in Regni heredem adoptaret, cujus vi etiam Henrici Filius Henricus VI. puer VI. Annorum Lutetiæ Pariſiorum ſolitis ceremoniis coronatus fuit. Sed ex eo tempore, ſegneſcente Anglorum induſtria, ipſiſque in Lancaſtrenſium & Eboracenſium factiones divertentibus Gallia melius habere cœpit, & Carolo VII. Jus ſuum vindicante illa Anglis ſe ſenſim ſubduxit. Plura de hoc negocio vide in *Johannis Froiſſarti* [Froſſardum communiter ſcribunt] *Hiſtoria de Bellis Francorum & Anglorum ab Anno M CCC XXXV. ad An. M CCCC.* cujus Epitome a Sleidano Latinitate donata extat in Scriptoribus Britanniæ Ed. Heidelb. A. M D LXXXV. Et cum Cominæo edita Hanoviæ Anno M DC VI. 12. &c. Volume premier de Chronique d' *Enguerran* [eſt *Ingbiramus* & Celebris Aub. Miræus in Notis ad Scriptor. Eccleſ. male *Johannem* vocat] *de Monſtrelet.* ab A. M CCCC. usque ad A. M CCCC LXVII. paulo poſt tempus, quo Cominæus incipit. *Petrum Cameracenſem de Querelis Angliæ & Franciæ & Jure ſucceſſionis utrorumq; Regum in Regno Franciæ.* Adde

Alani Chartier Chronique du Roy Charles VI. & VII. a Nevers A. MDC XIV. 4°. Hiſtorie de Charles VI. Roy de France, & de choſes memorables advenues de ſon Regne de l' An. 1380. jusques en l' An. 1422. par Jean Juvenal des Urſins *Archevesque de Rheims, miſe en lumiere par* Theodore Godofrey *Pariſ. MDCXV. 4°.*

IIX. Hiberniæ Titulus à tempore Henrici IIX. inter Titulos Regios extitit, ante quem non aliter quam Dominos Hiberniæ appellatos fuiſſe conſtat, h. m. *Rex Angliæ & Franciæ, Dominus Hiberniæ.* Confer *Diſſ. 1. c. 1. §. VIII.* Antiquitus etiam Reges Angliæ *Duces Aquitaniæ* & *Normanniæ* ſalutatos fuiſſe Inſtrumenta vetera docent, ita tamen, ut Domini Hiberniæ Nomen hisce præponeretur. Cauſa nitebantur eadem, qua Regnum Franciæ ſibi tribuerunt; Ac ne vel iis plane ceſſiſſe viderentur, in Auguratione Regia hodienum in more poſitum habent, ut duo Juvenes, alter Ducis Aquitaniæ, alter Normanniæ Ducis Titulo Regem præcedant, ab eoque Feudum iſtorum Ducatuum accipiant.

CAPUT II.

Tituli Regum Daniæ ac Suediæ: Reges, Duces, Principes Vandalorum: Gothi, Vandali, Civitates Vandalicæ: Titulus Regis Poloniæ, Controverſiæ, pacta circa illum.

I.

SEreniſſimis Regibus Daniæ, Suediæ ac Poloniæ hoc Caput impendemus, quos heic ſpectare Materiæ Paritas jubet. Sereniſſimi Daniæ Regis Titulus eſt: *Fridericus D. Gr. Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum & Gothorum Rex, Dux Slesvici, Holſatiæ, Stormariæ, & Ditmarſiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorſt &c.* Sereniſſimi Regis Suediæ iſte: *Carolus D. Gr. Suedorum, Gothorum, Vandalorumq; Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Eſthoniæ, Kareliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiæ & Vandaliæ, Princeps Rugiæ; Dominus Ingriæ ac Wiſmariæ &c.* De *Norwegia* in Danico Titulo primum monemus, eam & Holſatiæ Duces ſibi tribuere, nullo tamen Regis, Ducis, aut Principis, ſed ſingulari HEREDIS Nomine. *Fridericus D. Gr. HERES NORWEGIÆ, Dux Holſatiæ &c.* Uſu rariori, niſi quod ſuperiori ætate Vladislaus Locticus Premisli Poloniæ Regis ſucceſſor maluerit *Heredis Regni Polonici*, quàm Regis nomen uſurpare. V. *Cromer. de Orig. & R. G. Polon. L. 11. p. 576.*

p. 576. Et Vladiſlaus Jagello ſe itidem Pomeraniæ, Ruſſiæque Dominum & Heredem ſcripſit. V. *Diploma Unionis Poloniæ & Lithuaniæ in Herbat. Stat. Regn. Pol. f. 524.* Ratione Vandalorum & Gothorum vero Tituli iidem ſunt, ſitu tamen varii. Hic enim ſcribitur Gothorum, Vandalorumq; Rex; Ille Rex Vandalorum & Gothorum: Et quod amplius eſt Sereniſſimus Suediæ Rex & Rex Vandalorum & Dux Vandaliæ ſ. Vandalorum vocatur: Perinde ac Sereniſſ. Elector Brandenburgius etiam Ducis Vandalorum Nomen habet. Et Sereniſſ. Duces Mechlenburgici Principes Vandalorum ſcribuntur. Veteres Daniæ Reges v. Slavorum Nomen loco Vandalorum & Gothorum amarunt. Sic legitur in Privilegio Erici Regis Epiſcopo Revalienſi dato An. M CC XLIX. *Ericus Dei Gratia Danorum Slavorumq; Rex* ap. *Pontan. Hiſt. Dan. L. VII.* Succeſſor ejus Abel & Juliæ Ducis Titulum addidit: *Abel D. G. Danorum Slavorumq; Rex, Dux Juliæ.* ib. f. 340. Eſthoniæ Ducatum ſequentes Reges: *Margarita D. G. Danorum Slavorumq; Regina, Domina Eſthoniæ* ib. f. 369. Woldemarum *Danorum Slavorumq; Regem Illuſtrem & Ducem Eſthoniæ* appellat Magnus Norwegiæ & Suediæ Rex *ib. f. 468.*

II. De *Gothis* non habemus, in quo multi ſimus: Notorium quippe eſt, iſtam Nationem antiquitus Scandinaviam ſ. Scandiam, h. univerſum Tractum Regionum Septentrionalium ad mare Balthicum inſediſſe, idque reſidua adhuc nomina Gothiæ, Oſtro Gothiæ, Weſtro Gothiæ in partibus Regni Suediæ ſatis teſtantur. Vid. *Andr. Burei Deſcript. Orb. Arctoi Witteb. M DC XXXI. 12o. Joh. Loccenii Antiq. Sueo Goth. L. I. Laz. de Migrat. Gent. L. X.* Unde & Gothos apud Suedos præponi autumamus, quia indubitatam Gothorum ſedem adhuc habent. *Vandalos* quod attinet, eorum mentio fit, quia in partibus Litoralibus Maris Balthici dominantur, ubi olim Veterum Vandalorum Sedes erat: Neq; Germanica noſtra Phraſis aliud vult, quando iſti der Gothen und Wenden Könige: Sereniſſimus Elector Noſter der Wenden Hertzog; Et Duces Mechlenburgici Fürſten der Wenden ſalutantur. Scimus quidem Vandalos & Venedos tanquam Nationes diverſiſſimas ab Eruditis haberi; Et Vandalos Veteres Germanos fuiſſe inter Herminones & Ingævones medios & ad Sinum uſque Codanum habitantes; Venedos autem ſeu Vinidos Nationem Slavonicam, quos ideo & *Plinius* Sarmatis accenſet *L. IV. C. XIII.* V. *Cluver. German. Ant. L. III. C. XLIV. & XLVI.*

I 3 Sed

Sed curioſum iſtud diſcrimen ad noſtra tempora pertractum nolimus, ac ne pertrahi quidem poſſe credimus, introducta jam usque a quinto Seculo mixtura utriusque Nationis, quique inde ſequitur, ipſorum nominum promiſcuo uſu. Id quod nec diligentiſſimo *Cluverio* improbari *c. l. ejus c. XLVI.* oſtendit. *Nempe ut Marcomanni & poſtmodum Czechi, quia Bojohæmum occuparunt, dicti ſunt Bojohæmi; Sic Vinidos Sarmatas, quia Vandalorum obſediſſent agros, appellatos eſſe Vandalos: Cui appellationi haut parum cauſa etiam præbuerit, quod Vinidorum ac Vandalorum nomina haut omnino ſibi invicem eſſent abſimilia.* Sic Galatas Joſephus *Ant. L. 1. c. VII.* Gomerenſes dicit, non quia Gomero prognati erant, ſed quia loca inſederant, quæ Gomeritæ antea inhabitarunt. V. *Voſſ. de Idol. Gent. L. I. c. XXXIII.*

III. Confirmamur in hac ſententia noſtra, quia nè Venedi quidem in locis iſtis amplius ſuperſunt, ſed ejecti Saxonum Coloniis eos reliquere, nihilo ſecius remanente, non Venedorum, ſed ipſo Vandalorum nomine; Unde Krantzius Wandaliæ nomen promiſcue uſurpat, totis Libris VII. de Wandalia; Et Adamus Hamburgenſis Wandaliam ejusque limites fuſe deſcribit apud *Baron. T X. Annal. ad An. DCCCCLXXI.* Non veterem iſtam, ſed qualis per Occupationem Venedorum facta & Saxonibus reddita fuerat: Quodque potiſſimum eſt in Fœdere Hanſeatico ſex inter eminentiores Civitates, *Vandalicarum Civitatum* Nomen hodienum retinent, Lubecanempe, Hamburgum, Roſtochium, Stralesunda, Wiſmaria, Luneburgum: Non quid ideo in Venedos, vel Vandalos abierint, ſed quia in locum eorum ſucceſſere. Quo facit Locus *Krantzii L. 1. de Wandal. c. 1. In hoc maritimo Tractu Wandaliæ ab olim a Wandalis (quos Sclavos etiam noſtri dixere) habitato nunc vero a Saxonicis occupato, floruerunt ab olim aliquot ſplendidæ Urbes, quarum tanta erat potentia, ut potentiſſimo Danorum Regi ſæpe confligerent: Nunc partim funditus everſa, partim ad vilitatem redactæ marcuerunt. Sub Saxonum autem Gubernaculis aliæ locis extructæ, nunc potiſſimum propitio Deo florent; Quæ Vetus Regionis Nomen etiam nunc ipſa erubeſcunt, usque hodie appellatæ Wandalicæ Urbes.* Quarum & Conventus, qui inſtitui ſolet, antequam Comitia univerſæ Hanſæ celebrentur, *Conventus Wandalicus* dicitur. Vid. *Hagenmejer. de Fœd. Hanſeat. c. IV.*

IV. Po-

IV. Polonia Regem ſuum veneratur Titulo *Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Smolenſciæ, Czerniechoviæque, Nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Hereditarii Regis.* Cujus poſtrema tempore Sigismundi III. Regis Poloniæ acceſſerunt, ut cum a Proceribus Suediæ Regno abdicatus eſſet, Poſſeſſionem ſi non naturalem Regni Suediæ, tamen Civilem ex Continuatione Tituli & Inſignium retinuiſſe videretur. Hinc & durantibus Bellis utriusque Nationis acerbiores Polonorum Invectivas in Sereniſſimos Suediæ Reges, eosque Reges Poſſeſſores Sueciæ etſ. appellari ſubinde videre licet, quemadmodum & Angli tempore Bellorum Gallicorum, Regem Galliæ non Galliæ ſed Gallicum Regem appellare amant, Regis ſui prætenſionem ita firmaturi. Sed Res illa compoſita fuit Pace Olivenſi A. MDCLX; Et Sereniſſimus Rex Poloniæ Prætenſionibus in Regnum Suediæ renunciavit, Titulos v. & Inſignia, niſi in Inſtrumentis ad Regem Suediæ ad Dies Vitæ retinuit, ita tamen, ut Succeſſores ipſius iis in poſterum perpetuo abſtineant. *Art. III. Tract. Pac. Suedo Pol. Quoad Titulos & Inſignia ita conventum eſt, quod Sereniſſimus Rex Poloniæ, prout hactenus, ita in poſterum ad Dies vitæ ſuæ utetur integris Titulis & Sigillis inſignibusque Regni Suediæ in Polonia & ad omnes Principes, Status & privatos extra Suediam, ſine ullo tamen plenariæ ſupra dictæ renunciationis præjudicio; Dictis v. Titulis & Inſignibus non utetur ad Sereniſſimos Reges, Regnumque Suediæ in Literis, aliisque Diplomatibus aut Scriptis, ſed obſervabitur ab utrimque receptus hactenus modus abbreviandorum Titulorum cum Etcæterationibus, itaut poſt verba*, Magnus Princeps Finlandiæ, *tres Etcæterationes in Titulo Sereniſſimi Regis Suediæ, & viciſſim poſt verba*, Magnus Dux Lituaniæ, *tres Etcæterationes in Titulo Sereniſſimi moderni Regis Poloniæ adjiciantur. Inſignibus tamen Regni Suediæ in Sigillis Regis & Reip. Poloniæ, dum in Suediam ſcribetur penitus omiſſis. Poſt obitum v. moderni Sereniſſimi Regis Poloniæ Succeſſores ejus & Reſp. Poloniæ in Titulos & Inſignia Suediæ nihil unquam prætendent; Sed utrimque Reges & Regna ſuis quisque Titulis & Inſignibus tantum plenarie gaudebunt & utentur.* Neque etiam omittendum, præter ſolitum Regiorum Titulorum poſitum, Titulum Suecorum Gothorum Vandalorumque Regis aliis inferioribus poſtponi: Quod alibi vix occurrit, niſi in Titulo Ducis Sabaudiæ, ubi itidem Regis Cypri appellatio poſtremum locum obti-

tinet N. D. *Gr. Dux Sabaudiæ*, *Cabaleſii*, *Aſtæ*, *Genevenſis*, *Montisferrati*, *Princeps Pedemontii*, *Marchio Saluſæ*, *Comes Genevæ*, *Romontis*, *Nicæ*, *Aſti & Tendi*, *Baro Vallium & Foſſinii*, *Dominus Vercelæ*, *Marchionatus Cedri*, *Oniliæ & Mari*: *Marchio Italiæ*, *Princeps & Vicarius Perpetuus Sacri Romani Imperii*, *REX CYPRI*, cujus Tituli rationem *V. Diſſ. I. §. XIII*.

CAPUT III.

Exceſſus Titulorum: Titulus Pauli V. P. M. Atilæ, Orientalium Populorum, Africanorum, Tituli Pœnitentiales, Plantagenetti, Carolus Martellus, Tit. Servi Servorum.

I.

HActenus intra Legitimos Limites Titulorum Regiorum verſati fuimus; Sed ut nulla res eſt, quæ non in Abuſum trahi apta ſit, vel trahatur etiam, ita Titulos hoſce etiam ſuos Exceſſus, Defectusque pati tota die docemur. Mirum eſt in ipſo Throno Romano Abuſum ejusmodi aliquando receptum fuiſſe & Paulum V. Inſcriptionem ſibi tribui paſſum: *Alla Immortalita di Paolo Quinto, Pontefice migliore degli Ottimi, Maggiore de Maſſimi; dell' anime fedeli Padre Beatiſſimo, cuſtode della vigna Eccleſiaſtica; Paſtore della greggia Catolica; Nocbiero della Nave Apoſtolica; Simulacro di Dio, Vicario di Chriſto, miniſtro dello Spiritu Santo; Fonte di Prudenza, Speechio di Bonta, Sole di Gloria: Cultore della Religione, Defenſore della giuſticia, Protettore della Pietà, domatore di Rubelli, Conciliatore di Principi, di Moli immenſe erettore Magnifico, Campione dell' autorità di Piero, armato di doppia ſpada, Spirituale & Temporale. Il cui impero ſi termina con le ſtelle; al cui ſcettro ubi diſce il mondo, trema l' inferno; le cui chiavia prono & ferrano il paradiſo; all' umbra del cui provido governo, verdeggia la pace, floriſce l' abbondanza ricovera la virtù, vivono felicii popoli, ſotto la cui aquila giace proſtrato il dragone, dal cui piede è concul cata l' Hereſia &c.* Quam citat ex Dedicatione Libri *Dicerie Sacre*, *quem Cavalier Marino* Pontifici Maximo obtulit, *Beſold. Diſſ. de Majeſt. c. III. §. I.* Et longe deterior eſt Adulatoria Formula, qua Innocentium X. Italo-Græcus Joh. Bapt. Cattum-Syritus proſecutus eſt: *Sed Filius DEI fuit* Philius, *non fuit* Pamphilius. *Fuit interceſſor* Dei & Hominum, non fuit univerſalis Mediator Angelorum & Hominum ſeu Pamphilius.

lius. Si ex nominis analogico æternoque anagrammate præſagire licet myſterium aliquod in tempore; Tu ab æterno prædeſtinatus es eſſe Pamphilius in Terris, ac dici Pamphilius æmulus Filii Dei in cœlis. Pamphilius ergo eris, Univerſalis nimirum reconciliator Angelorum & hominum in Terris hoſtiliter pugnantium, Regum & Populorum &c. cit. *Conring. in Caſtig. alterius Append. Exam. Erberm. p. 55. 56.* Baronius T. III. Annal. ad A. CCC XXXV. Sylveſtrum P. M. hoc Titulorum nexu proſequitur: *Sacerdotis vere Magni, Pontificis M. Principis Epiſcoporum, Heredis Apoſtolorum, qui & primatu alter Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchiſedeck, Dignitate Aaron, Autoritate Moſes, Judicatu Samuel, Poteſtate Petrus, ac divina extitit Autoritate Chriſtus.* Sed hæc factis Privatis annumerabuntur, Uſum publicum enim alia præ ſe ferre notum eſt. Alia ſpecimina ejusmodi v. infr. Diſſ. XIII. § XII. In Oriente autem faſtus talis ab antiquiſſimis temporibus usque radicatus fuit: Ideo Atila communiter ſcribi voluit: *Nembrothi Nepos, nutritus in Engaddi, Dei Gratia Rex Hunnorum, & Medorum, Gothorum, Dacorum, metus Orbis, Flagellum Dei.* *Nadayni* tamen iſtud in dubium vocat *Flor. Hungar. L. I. c. XI.* Quia ſi Atila ſecundum Scriptorum Hungaricorum ſententiam ex Japheti poſteris fuerit, filius Nembrothi filii Cham eſſe non poſſit: Dubium quoque eſſe unde hauſerit Nembrothi noticiam: Neque Atilam Medis imperaſſe: Et Principem a fide alienum dicturum fuiſſe non Dei, ſed Deorum Herculis aut Martis gratia: Denique Engaddi nullibi eſſe, niſi in Judæa prope mare mortuum: Quam litem non facimus noſtram. Interea facile fieri potuitut, tum Nebrothi tum Engaddi vocabula non e Sacris deprompta, ſed corrupta ex Hunnico aut Tartarico ſermone fuerint, cujusmodi fuit Tangot, nomen Provinciæ Tartariæ, Magodanior nomen Principis etſ. ab Engaddi non abludentia vocabula: Et Emre ſeu Imbre, quomodo Emericum hodienum effecerunt, non diſſimile Nebrothi nomini. De Flagelli Dei appellatione v. communis Scriptorum conſenſus eſt V. *Nicol. Olabum Archiep. Strigon. Vit. Atilæ C. IX. & XV. In Script. Hungar. Sambuci.* Et plura huc facientia ſubminiſtrabunt *Phil. Callimachus Experiens in Attila ead. Ed. Scr. Hungar. Sambuci;* Et *Priſcus Rhetor*, ſeu Thrax veluti a Johanne Melele nuncupatur, *in T. I. Hiſtor. Byzant. Excerpt. de Legationibus p. 33. & ſqq.*

II. Majus eſt, quod Sapores olim Perſarum Rex præ ſe tulit; Epiſtola ad Conſtantium ſcripta cum initio: *Rex Regum Sapor, particeps ſiderum, Frater Solis & Lunæ.* Vid. *Fulgoſ. L. IX. c. V.* Quod tamen Stilo Aulæ iſtius potius, quam ſingulari cuidam faſtui tranſcribimus; Nam & Schach Abas noſtro tempore non diſſimili Titulo uſus fuit, cujus Exemplum proſtat in literis ſalvi conductus Legato Anglico An. MDCXXIIX. datis hoc tenore in L. Belgica: *De Hooge ende Machtige Starr, wiens hooft met de ſonne bedeckt is, wiens beweginge is te vergelycken by het hoogſte Firmament &c.* apud *Herbert. Itiner. p. 111.* Qui nihilo minus modeſtiæ nomine laudatur ab *Olear. Itiner. Perſ. L. V. c. XXIX.* quod Subditum in Titulis ipſi dandis copioſum monuerit: Se Titulis neque majorem neque minorem redditum iri, dicendum modo eſſe, cujus gratia acceſſerit. Specimen Tituli ex Aula Turcica emanantis hoc eſt: *Sultanus, Rex & Filius Imperatoris Turcici, pugnator Dei Græcorum, Babyloniorum, minorisq; Hieruſalem Rex, Baſſa Jordanorum, Idumæorum & Famaſinorum, Gaudium Dei, Majoris & Minoris Ægypti Rex, Illuminatus Princeps Alexandrinorum, Armeniorum & omnium eorum, qui in Paradiſo mundano vivunt, Filius Mahumeti & Cuſtos Civitatis ſuæ, Adminiſtrator Paradiſi mundani, Regens Sancti Sepulchri Mahometani, Rex Regum, Princeps Principum, Dominus Dominantium in mundo viventium ab Eois in Heſperos, Bellator Deorum & ſuper omnes in mundo degentes ſublimatus: Deus Unionis, Dominus Sanitatis, Angelus Paradiſi, ſtrenuus perſecutor totius Chriſtianitatis, Spes Solamenq; Ethnicorum, Dominus & Heres mundi.* Quem ex *Gockel de Reg. Europ. c. 1. nunc exhibemus.* Eodem longe amplior eſt, quem Solimannus literis creditoriis Legato ſuo in cauſa Induciarum Octennalium ad Ferdinandum I. datis addidit: *Ego Dominus omnium Dominantium Regnator Orientis & Occidentis, qui potens ſum, facere & non facere, quæcunq; libet, Dominus totius Græciæ, Perſiæ & Arabiæ, Dominator omnium eorum quæcunq; Regi & Domino ſubjici poſſunt, Magnus Heros horum temporum, & fortis Gigas latiſſimi hujus orbis, univerſi Maris albi atrique, & ſanctæ civitatis Mecbæ, ſplendore Dei relucentis, & caritatis Modinæ: ſanctæq; & caſtæ urbis Jeruſalem Dominus, Rex nobiliſſimi Regni Ægypti, Dominus terræ Joniæ, civitatumque Athenarum, Senarum, Sacri templi Dei Zabilon & Baſſio, Rethian & Magodin: ſedes ac ſolium magni Regis Nasbin Rettam, & Dominus Inſulæ Algie-*

ræ & Princeps regnorum Tartariæ, Meſopotaimæ & Medorum, Georgianorum & univerſæ Græciæ, Moreæ & Anatoliæ, Aſiæ, Armeniæ, Walachiæ, Moldaviæ & totius Hungariæ, aliorumque quam plurium Regnorum ac Dominiorum, quorum ego ſum Imperator, ter magnus ille Cæſar Soldanus Solimannus, filius Magni Imperatoris Soldani Selim, qui a Deo habeo poteſtatem ad regendum in freno omnes populos, & potentiam ad aperiendum omnium civitatum ac fortalitiorum portas & clauſtra, in manu mea potenti traditi ſunt omnes fines terræ, nullis exceptis, ego Dominus Orientis a terra Tſcin usque ad fines Africæ, quem Deus fortem in acie gladii bellatorem conſtituit. Inter cujus potentiſſima Regna pro minimo reputat caſtrum impugnabile Cæſareæ, & pro viliſſimo reputat inter hereditarias meas ditiones Imperium ſeu Dominium Alexandri Magni; mecum eſt fortitudo totius mundi & virtus firmamenti. Quem exhibet *Schardius* Hiſt. Op. Rer. Germ. *T. III. f. 1089.* Solent etiam Regem Biſnagar ejusmodi faſtus accuſare Rerum Indicarum Scriptores, qui inſcribi velit: God der grote Lantſchappen / Köning der Königen / en Heer von de geheel werelt. V. *Le Blanc. Itinêr P. I. c. XI.* Sed Stilum Aularum iſtarum h. receptam ibi ſcribendi conſuetudinem jam excuſationis loco allegavimus; Namque & noſtris Principibus illæ ſi non ejusdem generis, ſolito tamen & moribus noſtris majores Titulos attribuunt. Sic ad Regem Poloniæ Joh. Caſimirum ab Imperatore Turcico perſcriptum: *Sereniſſime inter præfulgentes Majeſtate Dominos Jeſum colentes, inter Monarchas Gentium Meſſiam adorantium, Celeberrime Arbiter Operum Reip. Populorum Nazarenum ſectantium, Collis ſublimitate honoris & Dignitatis Regni Polonici conſpicue, Gentiumque in dicto Regno nunc temporis moderator J. Caſimire &c.* Diar. Eur. *Cont. XV. App. p. 2.* Et ad Regem Galliæ ab Oſmane A. MDCXIIX. *Chriſtianæ Fidei Glorioſiſſimo & Potentiſſimo Defenſori, Regum Antiquiſſimo, Nobiliſſimo Gentis Chriſtianæ Arbitro, Galliarum Imperatori, cujus rebus & vitæ ut ſit exitus felix, ut cedant illi ex voto omnia, ut imperet diu & feliciter optamus & precamur Deum* Gramond. *Hiſtor. L. III.* Sed fruſtra eſt, dum ſingularem venerationem, qua Gallos Turca proſequatur, cæteros vero Principes tanquam nihil auſuros contemnat, in hiſce ſibi cernere videtur; Et Turcam non minori honoris apparatu alios quoque Reges proſequi inſtituta allegatorum Titulorum comparatio manifeſto indicat.

 III. Nec

III. Nec Africanis Gentibus deeſt illa Titulorum Superbia: Ideo Abyſſinorum Rex inſcribitur: *Dilectus a Deo, Columna Fidei, Cognatus Stirpis Judæ, Filius David, Filius Salomonis, Filius Columnæ Sion, Filius ſeminis Jacob, Filius manus Mariæ, Filius Nau per Carnem. Imperator magnæ & Altæ Æthiopiæ, magnorum Regnorum & Ditionum & Terrarum Dominus, Rex de Xoa, de Caffate, de Fatigar, de Angole, de Baru, de Baaliganze, de Aden de Vangue, de Gojame, ubi Nilus oritur, de Damaraa, de Vagnemedri, de Ambeaa, de Vagne, de Tigri Mabon, de Sabaym, unde fuit Regina Saba, de Bernagaes, & Dominus usque ad Nobiam finem Ægypti*, in literis ejus ad Emanuelem Portugalliæ Regem ſcriptis A. MDXXI. apud *Dam. a Goes de mor. Æthiop.* Et Marocanus Rex A. MDCVI. ad Ordines Belgii Confœderatos dederat literas, quæ longiſſimum continebant Titulum triginta Verſibus Rhythmicis conſcriptum, quem ſequebantur tres aut quatuor Lineæ, rem ipſam, cujus gratia literæ eſſent, exponentes. Ita ut Prologus fabula multis partibus major eſſet. V. *Scalig. Ep. ad Steph. Ubert.* & ex eo *Lanſ. Orat. contra Polon. p. m. 805.* Quo referes etiam, quod Baſilius M. ſupremus Ruſſiæ Princeps ſuperiori ſeculo ſe *Magnum Dei Camerarium* vocare geſtierit. In quibus omnibus illud merito cogitamus, quod Legatus Hiſpanicus repoſuit Ordinibus Belgicis apud *Baud. L. II Induc. Belgic.* Relinquendum magnis Principibus hoc oblectamentum, ut inanes ſibi Titulos reſervare poſſint, quemadmodum pueris dantur crepundia a blandis nutricibus. *Totus mundus exercet Hiſtrioniam*, ait facetus quidam Autor: Certe nusquam magis ſcenæ & populo ſervitur, quam in actionibus Magnatum: Ubi quo plus pompæ & Oſtentationis apparet, eo minus ſolidæ veritatis ſubeſt. Nunc ad alia.

IV. Namque non Exceſſu ſolum, ſed etiam Defectu hic laboratur, ut Magnates abjectis Nominibus infra ſortem ſuam deſcenderint. Talia fuerunt Nomina Humiliatoria ſeu Tituli Pœnitentiales mediis Seculis ac potiſſimum tempore Expeditionum Sacrarum ab ipſis ſuſcepti aut a Pontificibus impoſiti. Quales *Berger*, Opilio, *Griſe Gouelle* Tunica Cinerea, *Grand. Bœuf, Hapkin*, Securis, *Sans Terr*, Extorris, *Mal duit*, *Plantagenet*, ſeu *Platageneſt* & *Plantageniſta*, Cognomen Godofredi Ducis Andegavenſis, cujus Filius Henricus II. Rex Angliæ nomen hoc cum Dignitate Regia ad poſteros ſuos transmiſit, quorum Ultimus Edvardus Plantagenet ab Henrico

rico

Digitized by Google

rico VII. Rege Angliæ Londini capite plexus fidem fecit hujus familiæ. Nomen aliqui interpretantur Scipionem ſcopis alligatum, einen Beſenſtiel. Simile eſt nomen *Martelli* h. Mallei, quod geſſit Caroli M. Avus Carolus Martellus dictus, quemque ea propter ipſe *Thuanus* non Martellum, ſed *Carolum Tudem* vocat *L. I. Hiſtor. p. m. 9.* Plura V. in *Fuller. Church Hiſtory of great Britain L. III. p. 30.* Eodem pertinet in Germanicis noſtris Humberti Nomen, q. Unwerth, non Charus: *Humilitatis virtute Nomen quæſitum, quaſi diceret: Noli curare ſublimia, præſtat humili loco contentum eſſe, quam Tragica gloria charum fieri velle. Luther. de Nomin. Propr. German. p. 23.* Et Nomen *Servi Servorum* in Titulis Pontificiis: Non ad deſignandam maledictionem aliquam, quam ex Gen. IX. XXIV. fervidiores urgent; ſed Humilitatem unde unde ortam. Et Gregorius M. hoc Titulo primum affici ac Succeſſoribus Formam Humilitatis exemplo ſuo ob injurias a Longobardis acceptas ita oſtendere voluiſſe notatur ab *Alb. Stadenſi ad A. MLIIX. & Polydoro Vergilio de Inv. IIX. 11.* Dixeris forſan, Titulum hunc mutuo ſumptum ad Imp. Juſtiniano, qui ſe *Ultimum Dei Servum* vocat *L. 1. pr. C. de Off. Pr. Pr.* Reſtaur. Caſtald. *de Imp. Q. XLIII. n. 2.* Aliud tamen Judicium eſt *Carpzov. Vindic. Juridico-Pol. adv. Dilingens. Proœm. §. III. & Salmaſii in Appar. de Prim. Pap. p. 200.* Pertinetque huc non inelegans Diſtichon ap. *Uſſer. De Chriſt. Eccleſ. Succeſſ. & Stat.*

Servierant Tibi Roma diu Domini Dominorum,
Servorum Servi *ſunt Tibi nunc Domini.*

CAPUT IV.

Titulus Principum Hereditariorum, Deſignati Regis, Infantis, Principis Aſturiarum, Delphini, Principis Walliæ.

I.

POrtum cominus videmus, ſi varietatem Titulorum in Regibus minorennibus & Heredibus Regiis prius delibaverimus. Nam licet Heredes Regii in certam ſpem habendi Regni foveantur, iisdemque, defunctis Parentibus, Majeſtas non ætate & annis accreſcat, ſed momento præſto ſit, non tamen Exercitium adeo, quam facultatem & jus imperandi habere cenſentur, cum tenella ipſorum ætas ſummæ iſtius Prudentiæ, quæ ad exercenda Majeſtatis jura requiritur, ob Defectum judicii capax non ſit. Quare ad

Digitized by Google

exprimendam conditionem eorum Titulorum etiam varietas recepta fuit; Et manifeſto exemplo Reges Minorennes in Suedia adjecto Titulo *Principum Hereditariorum* ſalutantur: Cui Chriſtinæ tempore acceſſit, ut illa præter Titulum Principiſſæ Hereditariæ, Nomen Reginæ non abſolute, ſed *Deſignatæ Reginæ* ferret, quod tamen ſub hodierno Rege non obſervatum, qui quidem Princeps Hereditarius ſcriptus, ſed ſimul Rex abſolute, omiſſa Deſignationis Particula: *Carolus D. G. Suedorum, Gotorum, Vandalorumque Rex & Princeps Hereditarius &c.* V. Privileg Nobilitatis A. MDCLX. Senatui Rigenſi datum in Trr. ad *P. IV. Hiſtor. Thuld. p. 249.*

II. In Regno Hiſpaniæ & Portugalliæ uſitatum eſt Prolem Regiam *Infantes* vocari: Unde *Infantaſicum*, Loca Apanagii vice Liberis Regiis conceſſa. Marian *L. IX. c. VII. Urracæ Zamora, Elviræ Taurus ceſſerunt: Quæ Urbes* Infantaſicum *dictæ ſunt, voce eo tempore uſitata ad eam Hereditatis portionem, quæ minoribus Regum filiis vitæ cuſtodiendæ cauſa obveniebat, ſignificandam.* Sed ſuperioribus ſeculis id Regulorum Hiſpaniæ comune Nomen fuiſſe ex hisce Scriptorum Hiſpanicorum mihi videor colligere poſſe. Marian. L. X. c. IV. *Carrionis Reguli Diegbus & Ferdinandus* (Infantes *vulgo dicimus*) *viri ea ætate in Hiſpania genere & copiis nobiliſſimi.* Et Sanctius P. III. c. XXVII *Rodericus ad curiam Alphonſi Regis apud Toletum acceſſit Juſtitiam petiturus contra* Infantes *Carrionis.* Nec abſimile fuerit, quod in Vita S. Eugenii Carthaginenſis legitur: *Inſontem* Infantium *in ſuum gurgitem demerſerunt.* Et in Hepidani Annalibus ad A. M. XXXVI. Iſta *Juventus* mortua eſt Juventus, h. *Infanta*, cenſente *Goldaſt. Gloſſar. in Hepidan.* Ad magnitudinem Tituli pertinet, quod Sereniſſima Auſtriaca Familia eo ſæpe uſa ſit, etiam poſt adeptos alios Titulos Regios, eundemq; ipſi Archiducali Titulo antepoſuerit. Ferdinandus I. in Confirmatione Privileg. Sileſ. d. XV. Maj. A. MDXXIIX. Wir Ferdinand von Gottes Gnaden zu Hungarn und Böheim/ Dalmatien/ Croatien &c. König Infant in Hiſpanien / Ertz-Hertzog zu Oeſterreich &c. Et Rudolphus II. cum jam in Regem Romanorum electus fuiſſet, de quo nunc ad manus ſunt Juramentorum in Principatu Suidnicenſi ac Jaurenſi ipſi præſtitorum Formulæ: Ich ſchwere und gelobe GOtt dem Allmächtigen und dem Aller Durchl. Großm. Fürſten und Herrn/ Herrn Rudolphen dem Andern/ Römiſchen/ Hungariſchen und Böhmiſchen Könige/ Infant in Hiſpanien/ Ertz-Hertzogen

boden zu Oeſterreich ꝛc. Primogenitum autem & Regni Hiſpanici Heredem *Principem Aſturiarum*, *Prencepe de las Aſturias* vocant, a duplici Aſturia, Provinciis Hiſpaniæ ad Oceanum Cantabricum ſitis. Cujus initium a nuptiis Henrici, Johannis Caſtiliæ, Legionis & Galliciæ Regis, cum Catharina Johannis Gandavenſis Leiceſtriæ Ducis Filia A. MCCCLXXXIIX. habitis ſumptum. *Ut* Aſturum Principes *vocarentur edictum, more ex Anglia translato, ubi Regum Filii majores Walliæ Principes nominantur. Quod ab hac initio ſuſceptum ad noſtram ætatem conſervatur, ut Caſtellæ Regum majores Filii Huſſarum Principes ſint, quibus Annis conſequentibus Ubeda, Biatia, Illiturgisque ſunt addita.* Marian. L. XIIX. c. XII. Philippus II. tamen aliquando *Principis Navarræ* nomine uſus fuit: *Yo Don Phelippe de Navarra, hyo primogenito del Emperador Don Carolo.* ap. Armendariz Recopitacan LL. Navarr. L. V. Tit. V.

III. Primogenitus Regis Galliæ vocatur *Delphinus*, *Le Dauphin*, a Delphinatu, Provincia Galliæ, quam Humbertus Delphinatium Princeps, denato unico Filio ſuo, Philippo Valeſio tradidit, hoc pacto, ut Proximus Regni Heres perpetuo Delphinus Philippi Nepos, Johannis Ducis Normanniæ Filius vocaretur, primusque hoc Titulo cenſus fuit Carolus V. Vid. *Merul. Coſmogr. Gall. c. XXII. & XL.* Limn. *Not. R Gall. L. II. c. XXI.* & quos ille e Scriptoribus Gallicis magno numero citat. Sic etiam Ludovici XI. conjugem, cum Delphinus eſſet, *La Daulphine* vocat *Paſquier. in Indice des Recherches.* De origine produnt, vocatos Dominos Territorii iſtius *Daulphinos* a Guy quodam, ex antiquiſſimis Dominis iſtius loci, qui maximopere deſideraverit Succeſſoribus ſuis & ipſi Provinciæ cognomen hoc indere a Daulphino Nobili Viennenſi, cujus Filio Filiam ſuam deſponſaverat. *Duchesne Antiqu. & Rech. L. IV. c. II. Gollut. L. VI. des memoires C. XLVI.* Quæ ſi minus certa videantur, Antiquitatem tamen confirmabit Epiſtola Friderici II. Imp ad Capitaneum ſuum Siciliæ Comitem Viennenſem, qua ſcribitur: Delphinus Comes Viennæ, Conſanguineus & Amicus noſter. ap. *Petr. de Vineis L. II. Epiſt. XLIX.* Magnitudinem Nominis ex eo æſtimare eſt, quod Ducalibus Titulis illud antepoſuerint; Et a Carolo V. primo Delphino, quidem ita locatum legitur: *Charles Duc de Normandie & Daulphin de Vienne ap. Froiſſ. L. I. c. XXI.* Carolus VII. vero ſtatim, *Dauphin de Viennois, Duc de Berry & de Torrain & Cont de Poy-*

Poyton; Et recentius Henricus II. *Daulphin. de Viennois, Duc de Bretaigne.* Confer, quæ de poſitu Tituli *Infantum* paulo ante recenſuimus. De Diſcrimine *Delphini Viennenſis*, qui ille de quo hic agimus Regiæ Prolis Titulus, & *Delphini Avernienſis*, *Dauphin d' Auvergne*, quo Comites ex Humberti filia nati uſi ſunt. V. Serr. ante citt. & ex iis *L' Oyſeau des Ordres c. VII.* §. *XLI. Selden. Titl. P. II. c. III.* §. 1.

IV. Primogenitus Regis Angliæ vocatur *Princeps Walliæ*, atque integro Titulo: *Princeps Walliæ, Dux Cornubiæ, Comes Ceſtriæ & Flintæ*, isque omnium horum locorum Dominio ac reditibus plene fruitur. Principatum Walliæ Edwardus I. Angliæ adjecit, ac fuſo Leolino Walliæ Principe Edwardum II. Filium ſuum Principem Walliæ deſignavit, indeque Titulus ille Filiis Regum Angliæ natu maximus ceſſit. Vid. *Camden. in Flint ſchire.* Quos tamen peculiaribus Ritibus a Rege ad hanc Dignitatem eligi oportet: adeo ut fiant, non naſcantur. Quod etiam Delphino Galliæ uſu venit, licet uterque prima nativitate ſua iſtis nominibus inſigniatur: Cauſa ſine dubio exiſtente, ne extra Obſequii Terminos ſe poſitos opinentur. Secus vero eſt cum Ducatu Cornubiæ, cujus Duces naſcuntur, adeo ut ipſiſſimo inſtanti, quo lucem vident, Duces Cornubiæ ſint, eaque pleniſſimo jure fruantur. De Inauguratione Principis Walliæ V. *ſeq. Diſſ. IIX. c. IV.* §. *I.*

DISSERTATIO IV.

DE

INAUGURATIONIBUS REGIIS.

CAPUT I.

Perſonæ quæ Coronatione defunguntur: Ritus emendi Imperium a Sacro ordine: Controverſia inter Moguntinum & Colonienſem Electorem nomine Inaugurationis: Coronatio Romana: Titulus Electi Imperatoris: Pontificia Regum Confirmatio & Benedictio. Aſſiſtentes Regis Bohemiæ: Pares Franciæ: Quinq; viri Suediæ: Miniſtri Regni in Anglia: Officia in Imperio: Loci Inaugurationibus deſtinati, Triplex Coronatio in Imperio.

I. Præ-

I.

PRæſens hoc quicquid eſt operæ Inaugurationibus Regiis deſtinavimus, utpote quibus Regia Dignitas non quidem initia ſumit, quaquaverſum tamen patefit, cum antea tectior adhuc eſſet. Nos iterum, poſt delibatas Circumſtantias Perſonarum ac Loci, earum primo Communia, deinde Singularia conſiderabimus: Communia quæ habent, ſunt a Parte Conferentium Unctio & Clinodiorum Collatio, a Parte Regum ſ. recipientium Religionis Profeſſio, Juramentum, Creatio Equitum, Munerum erogatio, Convivii Inſtructio, quæ ſingula ſuo ordine enumerabimus.

II. Inaugurationes fieri ſolent a Sacro Ordine, & in eo a Summo Sacrorum Antiſtite, quod Hiſtoriæ omnium Locorum fere tradunt. Cauſa, ut obſequium ac reverentia Deo, & religioni exhibeatur, non ut Regibus novum aliquod Jus ita conferatur, quippe quod Beneficio Succeſſionis aut Electionis jam tum habent. V. *Ivon. Carnotenſ. Ep. CLXXXIX. Hiſpaniæ* Rex, quicquid eſt Cerimoniæ, quod ſubit, a *Toletano Archiepiſcopo*, utpote Primate Regni, id accipit: Rex *Portugalliæ* ab Archiepiſcopo *Bracarenſi: Galliæ* Rex ab *Archiepiſcopo Rhemenſi*, Eccleſiaſticorum Principe & primo Patre Franciæ: Quanquam & ratione horum rituum Anno MDXCIV, tempore Inaugurationis Henrici IV, quam Autrici Carnutum Nicolaus Thuanus Urbis Epiſcopus, deficiente tunc Archiepiſcopo Senonenſi peregit, cenſitum fuit, nihil extra Belgicam Remenſi licere: *Quippe eandem cujusque Metropolitani poteſtatem in Metropoli ſua eſſe; nec eſſe, cur unus tanquam proprium jus ambiat vindicare, quod multorum eſſe Commune conſtet, alioqui ex eo quosdam inferre auſuros, majorem vim Sacramentorum eſſe apud illos, quam apud alios, quod Eccleſiæ Unionem divideret. Thuan. L. LIIX.* Confer *Cap. II. ſeq.* & quæ ex Cerimoniali Francico paulum infra enotavimus: Inprimis *Ivon. Carnotenſ.* Epiſt. CLXXXIX. ubi complura Exempla Regum Galliæ alibi, quam Remis coronatorum. Rex *Angliæ* coronatur ab *Archiepiſcopo Cantuarienſi*, itidem Primate totius Angliæ: Rex *Hungariæ* ab Archiepiſcopo *Strigonienſi:* Rex *Poloniæ* ab Archiep. *Gneſnenſi:* Rex *Bohemiæ* ab Archiepiſcopo *Pragenſi.* Cui tamen & manum commodarunt in Coronatione Imperatricis Eleonoræ Mantuanæ coronamque ſimul impoſuere Burggravius & Sancti Georgii Abbatiſſa. Rex *Suediæ* ab Archiepiſcopo *Upſalienſi*: Rex Daniæ

L ha-

hactenus ab Archiepiſcopo *Lundenſi*: *Czar* ſ. Cæſar *Ruſſicus* a Patriarcha *Moſcoviæ*: Imperatores *Conſtantinopolitani* antehac a Patriarchis iſtius loci. Pleraque tamen non ſine Exceptionibus eſſe collectanea illa docent, quæ notentur ad Ceremon. Francicum de Inaugur. Henrici IV. p. 40. *Ille mos*, inquit Autor, *in plerisque Regnis obtinet, ut nempe certæ alicui Eccleſiæ Jus conſecrandi Reges competat: In Gallia hoc Jus ſibi vindicat Rhemenſis Eccleſia, & a Clodovæo repetit: Sit alibi, vel ab aliis Epiſcopis præſumatur Coronatio, inhibitorias literas a Pontifice ſolent impetrare, ad Jus ſuum conſervandum: Quibus tamen non diſtantibus ſæpius Reges noſtri publica utilitate flagitante alibi vel ab aliis Epiſcopis ſe conſecrari curaverunt; Quæ Quæſtio doctiſſime tractata eſt ab Ivone Carnotenſi adverſus Rhemenſem Eccleſiam in Coronatione Ludovici Groſſi, qui a Deimberto Senonenſi Archiepiſcopo & ejus ſuffraganeis Aureliani ante Altare S. Crucis unctus & coronatus eſt, dictante potiſſimum ſapientiſſimo Ivone Carnotenſi, cujus extat ea de re Tractatus inter Epiſtolas n. CLXXXIX. Cui junge Epiſtolam XIII. & Notas itemque Sugerium in Vita Ludovici p. 107. Chronicon Antiſſiodorenſe ad A. MCLIV. Andream quendam Hiſtoriæ noſtræ Veterem Scriptorem & Continuatorem Aimonii L. V. c. L. Idem Jus in Anglia Cantuarienſi Archiepiſcopo competit, cui ſimiliter aliquando derogatum: Nam Anſelmo Cantuarienſi exulante a Thoma Eboracenſi Henricus I. coronatus fuit. Anſelmus Ep. XC. Henricus etiam II. Filium ſuum Henricum III. in Regem Angliæ coronari voluit apud Weſt-Monaſterium a Rogero Archiepiſcopo Eboracenſi in Provincia Cantuarienſi; Qui & ideo ab Alexandro III. excommunicatus fuit, & qui cum eo Coronationi interfuerant Epiſcopi partim excommunicati, partim ſuſpenſi. Quod quidem jus cum Thomas Cantuarienſis acrius urgeret, utriusque odium incurrit, eaque inter cauſas præcipua memoratur. Quam in rem V. Matth. Pariſ. §. 117. Rogerium Hovedenum p. 518. 519. & ſeqq. Johannem Sarisberienſem Ep. 277. 280. Idem Privilegium in Hungaria Strigonienſi Epiſcopo competit Ep. CLVI. L. XIV. Regiſtri Innocentii III. Trivonitano Archiepiſcopo in Bulgaria & Blachia conceſſit Innoc. III. Cujus Privilegium extat in ejus Geſtis p. 60. Pro arbitrio tamen Regum vel rebus ita ſuadentibus ab aliis Epiſcopis alibi poteſt conſecratio celebrari. Eadem ratione Belam Regem Hungariæ ab Archiepiſcopo Colocenſi coronatum fuiſſe tradunt Innoc. III. Geſta p. 67. Quare prudenter in LL. Regni Suecici addi-*

tum:

Digitized by Google

tum : Quamvis Rex Upſaliæ ſoleat coronari, alibi tamen, ſi neceſſitas urgeat: poſſe. L. II LL. Sueciæ c. VII In iis, qui extra Religionem Chriſtianam conſtituti ſunt, *Mufti*, qui eſt ſupremus Sacrorum Miniſter in Imperio Turcico; Coronationem Domini ſui procurat, qvum Veteres Sultani eodem modo a Caliphis Babylonicis Imperium acceperunt; Sed peculiari ceremonia, ut numerata certa pecuniæ ſumma jus Eorum in Imperium ab ipſis quaſi emere viderentur. *V. Leunclav. Pand. Turc. cap. CCXXXVII.* Qui vendendi ac emendi ritus inter Caliphas & Sultanos Ægyptios etiam in uſu fuit, iſtis ſummam MMM Drachmarum Anni pro jure ſuo accipientibus. V. *Petr. Martyr. Legat. Bab. L. III.* quem citavimus *Diſſ. II. c. IV. §. III.* Sic & Imperatorem *Japaniæ Dairus* ſuus coronat. V. *Script. Japaniæ.* Ut Bramines, quos alii Reges Aſiæ negocio huic adhibent, & cæteros tranſeam. De *Peguanis* Regibus hoc peculiariter notare licuit, quod Ritus Inaugurationis eorum expediantur a Politico Principe, qui quaſi ſit Major Domus Regiæ & proximum a Rege locum tenens. In dit Ryck is een vorſt van hoge Staat / de Califerech genoemt / die een Conneſtebel of Groot meeſter is / welcks Ampt van alle outheit af beſtaat by de verkiezing en Kroning van de Koning te zyn / die niet zonder hem geſchieden kan. *Le Blanck, Itin. P. I. c. XXII.* Veluti & inter Veteres Surenæ jus fuit, ut non manus Sacerdotalis, ſed primus genere & factis maximus Regi Diadema imponeret ap. *Plutarch. in Craſſ.* Et Antigonum parta a Demetrio victoria, amici Diademate redimiverunt. *Plut. in Demetr. V. Carol. Paſchal. de Coron. L. X. Cap. VII.*

III. In Imperio noſtro tenore A. B. *Colonienſi Archiepiſcopo competit Dignitas, nec non Officium Romanorum Regi primum Diadema imponendi c. IV. §. III.* Hinc conſecrarunt Colonienſes Wenceslaum, Rupertum, Sigismundum, Fridericum III. Maximilianum I. Carolum V. Ferdinandum I. Ac jam ante A. B. Carolum IV. Fridericum II. Henricum VII. Albertum Auſtriacum & plerosque cæteros usque ad Carolum M. Sed dubium eſt, utrum continuata conſuetudo & univerſalis ſententia Caroli, an Jus Diœceſanum rationis loco militet? Aquisgranum enim, ubi prima Coronatio peragi ſolet, ad Diœceſin Colonienſem indubie ſpectat, ac proinde hujus intuitu Colonienſis fuerit Sacro hoc ritu ibi defungi: Quam quidem rationem graviorem viſam fuiſſe, argumento eſt, quia deficiente Colo-

nienſi eoque ceſſante Jure Diœceſeos aliquando Moguntini iſtud negotium procurarunt, accedentibus nonnunquam & aliis cauſis morbo, inhabilitate, vel injuria; atque ut planius loquitur *Mateneſ. quod* Colonienſes *majoribus ordinibus initiati non fuerint, vel quod pallium recens electi a Sede Apoſtolica conſecuti nondum fuerint, ſine quo ea quæ Ordinis ſunt exercere non poſſunt, vel denique quod Civilia Bella & varietates Religionum per Imperium paſſim graſſantes, aut alii obices id facere non permiſerint, de Coronat. Ferdin. II. p. 99.* Adde *Limn. J. P. L. 111. c. VI. n. 111.* Hinc recentiores continua ſerie ab Moguntinis coronati, Maximilianus II. Rndolphus II. Matthias, Ferdinandus II. Ferdinandus III. Ferdinandus IV. Unde factum tandem, ut in acres concertationes uterque Elector exarſerint, & Colonienſis Legatus in Coronatione Ferdinandi IV. graviſſimam Proteſtationem obtulerit: Es werde Se. Chur-Fürſtl. Durchl. von dem in der Güldenen Bulle Tit. 4. beſtätigtem Jure coronandi Regem Romanum jetzo per actum mere turbativum & violentum abgehalten/ und ſolches unter dem Vorwand / als wann bey etlichen nechſt vorigen Crönungen / ſelbige Verrichtung durch einen zeitlichen Chur-Fürſten zu Maintz beſchehen / und dahero jetzo Jh. Chur-Fürſtl. Gnaden ſich deſſen in Beſitz befinden ſolten / und aber berührter Actus in Cauſa plane diſpari, da nemlich die Chur-Fürſten in Cölln mit der Biſchöfl. Weyhe nicht verſehen geweſen/ ergangen / und alſo auf jetzige Jhr. Chur-Fürſtl. Durchl. indeme ſelbige zu Vertretung dieſes ihres Amts gnungſam qualificiret / eine illation gemacht / verdencken ſich auch ſonſten ſo wohl von Zeit aufgerichteter Gülden Bull / auch undencklicher Zeit zuvor ſich kein Fall finden wird / daß die Crönung durch iemanden anders/ als ein Chur-Fürſten zu Cölln / wann derſelbe qualificiret / verrichtet worden So werden dieſelbe gemüſſiget wider ſolche Unbilligkeit und Gewalt hiermit ausdrücklich zu proteſtiren / und ihre darwider alle dienliche und erlaubte Remedia vorzubehalten ꝛc. V. pluribus *Thulden. ad A. MDCIIII. p. 99. 100.* Tandem voro conventum eſt d. XXV. Jun. A. MDCLVII. ut neutri in Diœceſibus ipſorum Jus coronandi ambiguum eſſet, extra Diœceſes v. alternatim illud poſſiderent; V. *Diar. Europ. p. 1. p. 948.* & ex eo *Limn. Obſerv. ad A. B. C. IV. §. 111.* Quo tamen non obſtante Colonienſis Sacratiſſimum Leopoldum noſtrum Francofurti inunxit & conſecravit. Corona vero, communi Electorum Spiritualium opera, ipſi impoſita fuit. *Diar. Europ. cit. p. 1. p. 939. & ſeqq.*

Digitized by Google

& ſeqq. Idque inveterata jam conſuetudine: Sic enim Moguntinus *Treviro manum Socialiter commodante Regis Ferdinandi IV. verticem Diademate incinxit. Thulden. ad A. MDCLIII.* nam Colonienſis, quia Conſecrationis jus ſibi ereptum, moleſte ferebet, aberat. Carolo V. tres Archiepiſcopi coronam ſimul impoſuerunt. *Hartman. Maur. Relat. Coron. Germ. Caroli V. apud Goldaſt. Polit. Imper. p. 111. n. 3.* Item Maximiliano II. cum Epiphonemate: *Accipe Coronam Regiam Regni, quæ licet ab indignis, Epiſcoporum tamen*, de veteri conſuetudine, *manibus capiti tuo aptatur. Sim. Schard. Deſcr. Coron. Maximil. ap. Goldaſt. c I p. 1. n x. p. 150.*

IV. Coronatio Romana olim in Imperio noſtro uſitata, alium adhuc Præſulem exigebat, ipſum nempe Pontificem Maximum. Ita enim jam Carolus M. Coronationem ſuam a Leone Pontifice peragi paſſus fuit. Quem alii atque alii Imperatores ſecuti ſunt, & a Pontificibus Maximis coronari voluere, pro diverſis temporum moribus, & Affectuum ſuorum in Sedem Romanam varietate: Namque non ſolum ritus hic procurari, ſed ipſam quoque Dignitatem & Poteſtatem Imperatoriam conferri Magna Pars Eccleſiæ Romanæ jam dudum credidit. V. *Baron. T. x. Annal. ad A. DCCCLXXVI. quà Acta Coronationis Caroli Calvi proſequitur.* Ipſe tamen Carolus M. Ludovicum Pium filium ſuum propriis manibus Coronam ab altari elevare & capiti ſuo imponere juſſit. Ludovicus Pius Lothario filio Coronam ipſe impoſuit v. *Thegan. In V. Ludovici Pii T. 2. Script. Gall. Andr. Du Cheſne.* Et ſequentibus Seculis duo Conradi, Rudolphus Habspurgenſis & alii ab hac Coronatione alieni fuerunt, Dignitatem ſuam ita imminutum iri verentes. Noſtro tempore jam usque a Ferdinando I. ea res in deſuetudinem abiit, Carolo V. ultimo non Romæ, ſed Bononiæ, ad ſimilitudinem tamen Romanorum rituum a Pontifice M. coronato. Hinc & non Imperatores abſolute, ſed Electi Imperatores ſcribi cenſentur; Sed ſine cauſa, nam Carolus V. Electi Imperatoris Titulo etiam poſt Coronationem uſus in Receſſibus Imperii legitur. V. *Hortleder in Onuphr. de Comit c. V. Limn. ad Cap. 1. §. 1. A. B. Obſerv. V. n. 13.* Et jam tum Avus ejus Maximilianus I. ſe Electum Imperatorem ſcribit in Wildfangiatus Privilegio Auguſtæ A. MDXIIX. de III. Sept. Ludovico, Electori Palatino dato, veluti ab initio: *Nos Maximilianus D. Gr.* Electus Romanorum Imperator: Et in medio: *Ut nos tanquam* Electus Roma-

 no-

Digitized by Google

norum Imperator *Ipſi ac Heredibus ipſius &c.* V. *Append. ad Contin. XI. Diar. Europ. p. 376. 377.* V. Pluribus *Job. Garſen. de Pontificia Electi Romanorum Imperatoris Coronatione. Coronationem Romanam Frider. III. Imp. Deſcriptionem Coronationis Caroli V. per P. M Clementem VII. factæ in Goldaſt. Polit. Imper. P. IV. Proceſſum in Coronatione Romana Imperatoris ex Cerimoniali Romano L. II. S. V.* apud *Goldaſt. Conſt. T. 1. p. 412.* Adde *Morn. Myſter. Iniquit.* paſſim.

V. Hujus loci etiam fuerit Confirmationem & Benedictionem Pontificiam delibare, quam oblata ab Inauguratione Regibus Catholicis obedientia Pontifex Maximus ipſis conferre amat ſolita & omnibus nota Conſuetudine, niſi circumſtantiæ eam ſubinde vel ſuſpendant, vel plane tollant. Sic enim interventu Hiſpaniarum Regis Rex Portugalliæ Benedictione ſuperioribus Annis caruit. Circa qualitatem ejus tamen & præcedenti ſeculo in Imperio noſtro controverſatum fuit. Nam Maximilianus II. Romanorum Rex, utut Electionis ſuæ Confirmationem a Pontifice peteret, eidemq; reverentiam & Obſequium ultro deferret, id tamen jurato præſtare recuſavit, *ratione habita Principum & cæterorum Germaniæ Proteſtantium, ne ipſos ultro offenderet:* Cujus eventus fuit, poſt habitam per integrum Annum & amplius deliberationem, ut Collegium Cardinalium tandem ſtatueret: *Quamvis nec confirmatio petatur, nec promittatur Obedientia, tamen in Reſponſione dicendum, Sanctitatem ejus Electionem Regis confirmare, omnes defectus, qui in illo de facto & de jure intervenerunt, ſupplendo, & Obedientiam Reges accipere, nulla interim, utrum poſtulata fuerit, an non poſtulata, promiſſa, an ſecus, mentione adjecta. Petr. Suav. Hiſtor. Conc. Trident. L. IIX.* In Regnis Orientalibus Tartariæ talem Benedictionem Reges novi expetere amant a Deaſtro-Homine, Barantolæ reſidente, quem *Magnum Lamam, Sacerdotem Sacerdotum, Patrem Æternum* vocitant; Diceres Ethnicum quendam Pontificem maximum; Nec uſpiam Rex inauguratur, quin miſſis Legatis cum inæſtimabilibus muneribus ab eo Benedictionem pro felici Regni auſpicio ante poſtulet. Et ipſe Chinenſium Monarcha Tartarus, mox poſt acceptum Imperium Chinenſe, more a Prædeceſſoribus recepto a Tartariæ Magiſtratu ad Homagium Magno Lamæ, ceu ſupremo Tartaricæ Religionis Antiſtiti præſtandum ſollicitatus fuit. Sed rationibus P. Joh. Adami Schall

Digitized by Google

Germani e Soc. Jeſu Primique Miniſtri Regis ille permotus *tantum abeſt ut extra Urbem murosque Eidem procedere dignatus fuerit, ut ne quidem, niſi in Palatii Pequinenſis horto eidem ad ſe aditum fecerit tandemq; more ſolito variis onuſtum muneribus, neglectis vero omnibus ei dari ſolitis ceremoniis ad ſuum Regnum dimiſerit, & qui ſuo adventu ſuaque benedictione Imperium Sinarum putabatur repleturus, contrarium prorſus ſecum adduxit, adeo ut poſt diſceſſum ejus famem, peſtem & Bellum omne maledictionis genus ridiculus ille Archi-Sacrificulus ab omnibus paſſim maledictus poſt ſe reliquiſſe viſus ſit.* Kircher. Chin. P. II. c. 1.

VI. Hæc de primario Inaugurationum Miniſterio: Cætera aliorum tum e Sacro Ordine, tum e Laicis, opera expediuntur. Sic Bohemiæ Rex ab Olmucienſi & Uratislavienſi Epiſcopo ultro citroque deducitur, quos ideo *Aſſiſtentes Regis* vulgo vocant. Galliæ Regibus a Paribus Franciæ ſervitur, ſex Eccleſiaſticis & Laicis olim totidem, nunc incerto numero, qui ideo & Nomen Parium accepere, *quod Coronando Regi ex Formula muneris ſui una præſto ſint, ac pari collatione manuum Diadema Regni & imponant Regis capiti & eximant. Thulden. ad A. M DC LIV.* Et prærogativa præ reliquis Galliæ Principibus pollent: Unde etiam peculiare hoc Privilegium habent, quod Calcaribus & Ferro armati in Parlamento Lutetiano ſedeant, quæ alios & primum Palatii Limen ponere oportet. *Gramond. Hiſt. Gall. L. 1. p. 77.* Hinc & Pares Eccleſiaſtici cum Cardinalibus in prærogativæ contentionem venerunt A. M DC XIV. quia ſumma ipſorum eſſet Dignitas; Sed tamen pro Cardinalibus tunc pronunciatum fuit. Vid. *cit. Gramond. L. 1. p. 55. & ſqq.* In Suedia quinque Primores Miniſtri totidem Regni Inſignia geſtant: *Drocſetus* Coronam, *Mareſchallus* Gladium, *Archithalaſſus* Sceptrum, *Cancellarius* Globum, *Theſaurarius* Clavem cum trabeæ Ornamento. *Hi quinq; Viri ad Luctum non minus, quam ad gaudia Regum adhibentur, & ſive ungatur ſolita Cerimonia Rex, ſive mortuus Tumulo inferatur, Inſignia Regni circumportant. Thuld. ad An. M DC LIV. in Coronatione Caroli Guſtavi R. S.* In Hungaria Aſſiſtentes Epiſcopos habent Colocenſem & Zagrabienſem, e Laicis Palatinum, Regni Camerarum &c. V. *Jeſſen. in Coronat. Matth.* In Anglia quatuor ſupremi Regni Miniſtri adhibentur: *Magnus Camerarius Angliæ*, qui jam eſt Dux Cantabrigienſis, *Mareſchallus Angliæ*, Dignitas hæreditaria Ducum de Norfolck *Seneſchallus Magnus* & *Magnus Coneſtabilis*, qui duo tamen

con-

continuari deſierunt, ita ut non niſi durantibus Solennitatibus ejusmodi, aut ſimilibus Caſibus, ſeu ut JCti Anglorum loquuntur, *Hac Vice*, admittantur. In Imperio nota Officiorum Diſtinctio, der Ertz-Erb- und Hof-Aemter. Quorum Iſta ipſorum Sereniſſimorum Electorum ſunt, Palatino Coronam, Bavario Pomum, Brandenburgico Sceptrum, Saxone Enſem ferentibus. Illa eorundem *Sub Officialium*, ſi Electores ipſi præſentes non ſint, iique ſunt, Regis Bohemiæ *Baro a Limpurg*, Bavari *Comes a* Zeil / Saxonis *Comes a* Pappenheim/ Brandenburgici *Comes ab* Hohen-Zollern/Palatini *Comes a* Zinzendorff. Iſti a Legatis Brandenburgicis in Coronatione Ferdinandi IV. controverſia mota, quod ſceptrum præferret, cum ſui muneris id eſſet, unde & publica Proteſtatione de eo queſti ſunt, hätten ſo wol die unverbrochene Obſervantz / als auch den mit dem Herrn Grafen von Hohen-Zollern / als Erb-Cämmerer des Reichs in vorigen Zeiten gemachten Vergleich vor ſich gehabt / daß die Vortragung des Scepters / als des Inſignis der Chur-Fürſten zu Brandenburg den Chur-Fürſtl. Geſandten zuſtünde / ꝛc. Alldieweil aber durch alle die übrigen Herren Chur-Fürſten ſey allegiret worden / daß durch den neulichen Vergleich im Chur-Fürſtl. Collegio (welcher gleichwol von ihnen anders nicht als ſub ſpe rati angenommen) ein anders beliebet / und daß die Inſignia nicht durch die Chur-Fürſtl. Geſandte / ſondern durch die Erb-Aemter getragen werden ſollen / per Unanimia beliebet worden / die Herren Chur-Bäyeriſcheauch abſonderlich Sich dahin erkläret / daß Sie ſo wol ins gemein / als auch dieſes Paſſus halber über den letzt gemachten Vergleich zu halten von Ihrer Gnädigſten Herrſchafft befehliget worden ꝛc. So hätten Sie zwar um Confuſion &c. zu vermeiden geſchehen laſſen müſſen / daß vor dißmal die Vortragung des Scepters / durch das Erb-Amt geſchehen möge / proteſtiren und bedingen aber hiemit ſolenniter und öffentlich / daß Sie durch dieſe abgenöthigte Einwilligung / weder von Sr. Chur-Fürſtl. Durchl. habenden Gnädigſten und Ernſten Befehl abweichen / noch deroſelben ichtwas von dem jenigen / ſo Ihr Vigore ihres hochtragenden Ertz-Amts zukommt / das allergeringſte begeben haben wollen / noch dieſer jetzo vorgehende Actus Sr. Chur-Fürſtl. Durchl. einiger Maſſen præjudicirlich ſeyn / oder wider dieſelbe und Dero Chur-Fürſtl. Hauſe zu einigen Zeiten angezogen werden ſolle. *V. lit. B. in Annon. Deſcr. Coronat. Ferdin. IV.* Officia Aulica die Hof-Aemter ſolitis quidem Aulæ Miniſteriis deſtinantur, ſed tamen & Feſtivitatibus

Digitized by Google

tibus hisce adhiberi amant, ſi & Subofficialibus abeſſe contigerit. Qua de revide plura in *Capitul. Leopold. Art. XLVI.*

VII. De Loco parum eſt, quod moneamus: Ædes Sacras & Urbem Inſignem requiri notum eſt. De Imperio noſtro ſancit *A. B. c. XXIIX. §. V. Invenimus ex Clariſſimis relationibus & traditionibus antiquorum, illud a tempore, cujus Contrarii jam non habetur memoria, per eos qui nos præceſſerunt feliciter, eſſe jugiter obſervatum, ut Regis Romanorum futuri Imperatoris in Civitate* Francofordt *celebraretur Electio, & prima Coronatio* Aquisgranenſi *& in Oppido* Nurembergenſi *prima ſua Regalis Curia haberetur.* Et ſingularia ſunt, quæ de ſelectu Aquisgrani Petrarcha prodit, quæ fabulis tamen merito accenſemus. Extat *Epp. Petrarch. L. 1. Ep. 111.* ipſeque proteſtatur, ne fides ejus rei penes alios, quam autores ejus, Templi Aquenſis Sacerdotes maneat. Carolum M. mulierem quandam efflictim amaſſe, mortuæ etiam accubuiſſe, tandem cauſam Amoris in Anulo Magico ſub Lingua Cadaveris repertam ab Antiſtite Colonienſi; Et Carolum quidem Cadaver fœmineum tunc reliquiſſe, ſed totum in Antiſtitem converſum eum coluiſſe, necquicquam niſi ex ſententia ejus egiſſe; Hunc vero eapropter Anulum in vicinæ paludis præaltam voraginem demerſiſſe. *Aquis forte tum Rex cum Proceribus ſuis habitabat, ex eoque tempore cunctis civitatibus Sedes illa Prelata eſt. In ea nil ſibi palude gratius, ibi aſſidere, illis aquis mira cum voluptate; illius odore velut ſuaviſſimo delectari. Poſtremo illuc Regiam ſuam transtulit & in medio paluſtris limi immenſo ſumptu jactis molibus Palatium templumque conſtruxit, ut nihil divinæ vel humanæ rei eum inde abſtraheret, poſtremo ibi vitæ ſuæ reliquum egit, ibique ſepultus eſt, cauto prius, ut Succeſſores ſui primam inde coronam, & prima Imperii auſpicia capeſſerent.* Sed ad propoſitum noſtrum revertimur: Eſtque ubi Loci conditio aut ſimile quid aliud urgeant. Sic propter Contagionis metum Ferdinandi I. Electio, non Francofurti, ſed Coloniæ habita fuit, quamvis & aliæ cauſæ intercederent, unde Electio ejus a Saxone & Proteſtantibus impugnata fuit, *Sleidan. L. IV.* Et ipſius Caroli IV. Electio nullitatis incuſata, & per quatuor Electores ideo, quod alio in loco facta eſſet, nulla declarata eſt. *Cuſpin. in V. Caroli IV.* & ex eo *Limn. J. P. L II. c. 111. n. 30.* De Coronatione Mediolanenſi, alteraque, quam iſti ſurrogarunt, Modœciæ facta, ita *Gaud. Merula* antiq. Gallic. Ciſalpin. L. III. c. IX. Ottone III. ex

M hu-

humanis ſublato, Gregoriana lege Henricus primus ex Gubelingo oppido Noricus primus ſuffectus eſt: ſed eam legem nihili facientes majores noſtri Longobardi Ardoinum Eporrhedienſem Marchionem Italiæ regem Mediolani coronant, & ungunt. Sunt qui vocatis finitimarum urbium Principibus atque Epiſcopis Imperatorem quoque ſalutatum ſcribant. Is advenienti Henrico obviam factus ex itinere prælium committit, & egregie hoſtem vicit. Repulſus Henricus cum Heriperto Mediolanenſium Archiepiſcopo fœdere icto, reparatoque excercitu revertitur, & Ardoinum acie ſuperat: & more majorum Mediolani coronatus in Germaniam, unde venerat, revertitur. Henricum ſecutus eſt Conradus Suevi generis. Adverſus hunc, ne rex ſalutaretur Italiæ, Longobardi conjurant. Cum ergo Mediolanum veniſſet, ingreſſu prohibitus eſt: cumque hanc urbem fruſtra aliquando obſediſſet, tandem re infecta receſſit: ſive (ut ajunt) miraculo, & oſtentis territus, ſive ut horum velamine ſuæ fugæ dedecus tegeret. Accepit is Modoëtiæ (ita hoc municipium Alciatus frequenter vocat, quod nos Moguncia-cum) agri Mediolanienſis ad decimum lapidem imperialia inſignia; parum referre exiſtimans, ubi corona redimeretur, dum Inſubribus hoc fieret. Cujus exemplo, ut alii quidam ex Cæſaribus urbe Mediolano excluſi coronam imperatoriam Moguncia accepere: & qui ulterius progredi non potuerunt, Alexandriæ eam ſumpſere. In Gallia Remis, ibique in S. Remigii Templo fieri ſolet. Hinc Henrici IV. Legalitatem Guiſiani in dubium vocarunt, quia Autrici ipſum coronari oportuerat; ſed reliqui indignum judicabant Legitimum Regni Heredem jam ſtrictis Loci circumſtantiis aſtringendum eſſe; *Itaque magno conſenſu tunc decretum fuit, nil cauſæ eſſe, cur minus ſolennis Inauguratio dici deberet, & ſi minime Durocortori h. Remis, facta eſſet. Thuan. L. CIIX.* Confer *Cap. ſeq.* 11. Anglorum Coronatio Weſt-Monaſterii in Templo Cathedrali agitur, & in Caſtello ſeu Turri Londinenſi [*the Tower of London*] inſtituta iſthuc Solenni profectione conſummatur. *Ita enim vetuſta apud Britannos opinione receptum eſt, ut in eo & ex eo loco principalis Jurisdictio auſpicia legitima accipiat & incipiat. Thuan. L. CXXIX. ad A. MDCIII.* Unde malo omini ductum Carolo I. quod parcendorum Sumptuum cauſa profectione iſta abſtinuerat. V. *Sanderſon V. Caroli I.*

CAPUT

Caput II.

Unctionis antiqui Uſus: Ejus uſus in Inauguratione Sacerdotali, Regum Iſraëliticorum, Chriſtianorum: Quatuor Uncti Reges: Controverſiæ inter Hiſpaniæ & Galliæ Reges de Antiquitate Unctionis: Ampulla Remenſis: Finis Modus Unctionis: Partes Ungendæ.

I.

AD Partes deſcendimus, in iisque primo ad Unctionem, quam jam ab antiquiſſimis temporibus uſitatam fuiſſe, ut teſtandæ reverentiæ & Cultui religioſo, vel qui proxime ad religioſum accederet, oleum vel unguentum affunderent, fuſe enarrat Doctiſſ. *Caſaubonus in Exerc. ad Annales Baronii: Sic Jacob Lapidi, quo erat uſus pro cervicali, oleum ſuperfundit Geneſ. XXIIX. XIIX. idemque ſtatuam eo loco erectam, quo Deus cum ipſo erat locutus, ſimili veneratione proſequitur. Sic Lapides unguine delibutos, ut loquitur Apulejus, pagani in triviis coluerunt, quod multi Scriptores teſtantur. Clemens Alexandr.* λιπαροὺς λίθους *iſtos vocat in VII. Stromatum. Sic Plato Homerum è Rep. ſua unguentis delibutum emittit, non contumeliæ cauſa, ſed quaſi teſtatus eo facto, majorem ſe illum agnoſcere, quam ut locum Civis in ſua Rep. obtineret. Sic animalia, quæ Diis conſecrabant & libera ſinebant abire, vel quæ alioquin admodum admirabantur, unguentis linebant. V. Exerc. XIV. No. XVI.* Quod etiam patet in Conſecratione Tabernaculi *Num. VII. 1.* cum Moſes illud *ungeret* & ſanctificaret *cum omnibus inſtrumentis ejus, & altare cum omnibus Inſtrumentis ejus.* Ut tranſeamus illam in alios uſus etiam converſam, veluti in Luxum, quem in Chriſtianis etiam notat *Gregor. Nazianz. or. XLIII.* Σήμερον μετὰ σπαταλῶν κλινῶν ἐλεφαντίνων καὶ τῶν πρώτων μύρων χριόμενος h. *hodie in Lectis elephantinis delicate cubans & primariis unguentis utens.* In Sepulturam: Quo faciunt verba Servatoris *Marc. XIV. IIX. Quod potuit fecit: Occupavit enim ungere meum corpus ad funerationem.* Apud Romanos Junoni *Unxiæ* Nomen erat, a præſidio Sponſæ præſtando, quando illa poſtes ungebat. V. plura de vario Unctionis Uſu apud *Marc. Anton. de Dom. T. II. L. V. c. V. Et Hubert. Morum Tr. de Sacris Unctionibus.*

II. Initio naſcentis Reip. Judaicæ adhibitam fuiſſe Inaugura-

tioni Summi Sacerdotis docemur *Exod. XXIX. VII. Acceptumque Oleum Unctionis fundes ſuper caput ejus:* Et Sacerdos ſummus deſcribitur *Levit. XXI. X. Sacerdos ille, qui maximus eſt fratrum ſuorum, cujus capiti infuſum eſt oleum Unctionis. V. Jun. Not. in Exod. XL.* Unde ad Inaugurationes Regias translata fuit, cujus ſpecimina jam ante conſtitutum Regnum Iſraeliticum elucent in Jud IX. IIX. *Aliquando iverunt Arbores ut*, ungerent (ſic enim in Hebraico Textu ſonat) *ſibi Regem: Et v. XV. Si ſerio vos* ungitis *me in Regem ſuper vos.* Unde & LXX. c. l. v. VI. *abeuntesque conſtituêre Abimelecum in Regem*, reddiderunt: Ἐπορεύθησαν τοῦ χρῖσαι τὸν Ἀβιμελὲχ εἰς βασιλέα: Poſtmodo Saul unctus fuit *1. Sam. X. 1.* David *1. Sam. XVI. XIV.* Salomon *1. Reg. 1. XXXIX.* Jehu *11. Reg IX. VI.* Quem tamen non niſi oleo ſ. Balſamo vulgari unctum fuiſſe ſuſpicatur *Cunaeus L. I. c. XIV. de Republ. Hebr.* Nam Reges Iſraelis, quia ſeceſſionem a Tribu Juda fecerant, non poterant Oleo ſancto a Moyſe confecto imbui, quippe quod Hieroſolymis aſſervabatur, quae communis Thalmudiſtarum ſententia eſt. *Vid Cunaeum. l. c.*

III. Ab hiſce Exemplis in Sacra Hiſtoria derivarunt Unctionem ſuam Chriſtiani Reges Oleo Sancto ſeu Salutis ſ. Catechumenorum adhibito: In Imperio quidem a tempore Juſtiniani vel Succeſſoris ejus Juſtini. Ita enim *Onuphr. Panvin. de Comitiis Imp. c. II. Conſtantinopoli, vel ſub Juſtiniano, vel poſt ejus ſtatim obitum, Electioni Imperatoris additum, ut cum primum Imperator renunciatus eſſet a Patriarcha Conſtantinopolitano in magna Bizantii Baſilica* Oleo unctus *Diademate redimiretur.* In reliquis Regnis diverſis temporibus. Nam antiquitus non omnibus promiſcue, ſed certis tantum applicatam fuiſſe indicare videtur Titulus *Quatuor Unctorum Regum*, quorum in Antiquis Inſtrumentis crebra fit mentio. Et Formulare quoddam Argentorati editum Supremos Principes dividit in Impetorem, Regem Romanorum, die vier geſalbte Kunig & Gemain Kunig: Qui quinam ſint, accipe ex antiquo Provinciali Romano, cujus Autor Tancredus JCtus eſſe creditur, quod ita ſcribit *de Regibus Catbolicorum & Chriſtianorum: Et ſunt quidam Coronandi & quidam non. Tamen illi, qui coronantur, debent inungi, & tales babent Privilegium ab antiquo, & de conſuetudine. Alii modo non debent coronari, nec inungi ſine iſtis; Et ſi faciunt, ipſi abutuntur indebite; Et ſic incipiunt nomina Regum Chriſtianorum Fidelium boc modo.*

M

Rex

Rex Hieroſolymitanus coronatur & inungitur.
Rex Francorum Chriſtianiſſimus coronatur & inungitur.
Rex Anglorum coronatur & inungitur.
Rex Siciliæ coronatur & inungitur.

Hos deinde excipiunt alii non ungendi: Quæ citat *Selden.* ſæp. cit. *Tiles of Honour c.11x.* Confer *Lancelot.Conrad. Templ. Judic. L. 1.c.1. §. IV.p.427, Alvarot. in C. Quis dicatur Dux. in Uſib. Feud.* Qui ſua ex Tr. *Rolandini* cujusdam *de Placidola* ſe collegiſſe ſcribit. Sed Goldaſtus reſpondet, ſibi videri Provinciale Romanum intelligendum eſſe de Coronatione & Unctione a P. M. facienda, non autem de ea, quæ fiat a Metropolitano Regni *de Jur. R. Boh. L. 111. c. X. §. 14.* Ideo nec reperiri autumat Regem in univerſo Orbe Chriſtiano, qui non ſolenniter coronetur & inungatur, niſi unum aliquem Regem Yvetoti in Normannia Galliæ, ſed qui vix habuerit latifundium, in quo regnaverit ap. *Joh. Serran. Invent. Hiſtor. Franc. in Clothario Rege:* Sicque Wamba Rex Hiſpaniæ circa A. DCLXXXIII. unctus legitur. v. *Roder. Sanct Annal.* de Regno Wambæ. Hungariæ Regem unctum fuiſſe refert *Bonfin. Dec. IV. L. X.* Vladislaum III. Regem Poloniæ *Cromer. L. 11. Rer. Polon.* Et de Rege Bohemiæ perhibet A. Bulla, quod primo in loco poſt Archiepiſcopum Moguntinenſem vel Colonienſem a Latere dextro Imperatoris ſedere debeat, *cum ſit Princeps Coronatus & Unctus c. IV.* Inter Galliæ autem & Hiſpaniæ Scriptores controvertitur, Utri Regum ſuorum ſacram hanc Ceremoniam prius habuerint? Ubi Hiſpani Gothorum, aliorumque primævorum Regum ſuorum Coronationem & inde deductam Unctionem urgent, Cum Coronatio Unctionem ex antiquo Eccleſiæ ritu complectatur: Galli Ampullam Remenſem, Oleumque S. Remigio cœlitus allatum pro ſe allegant. Vid. de his *Jac. Alexander Tenneurius* in Aſſertione Ampullæ Remenſis; De illis *Alexander Patricius Armacanus Vindic. Mart. Gall.* & *Joh. Jacob. Chifletius* Parerg. contra Teneur. ad Disq. de ampull. Remenſi.

IV. Etenim *Ampulla Remenſis* unum e decantatiſſimis Cimeliis eſt, quo Galli Regnum ſuum alia Regna antecellere putant. Eſt illa exigua ex vitro rudi Phiala ficus mediocris magnitudine, quam oleo plenam circa Ann. D. S. Remigio, cum Clodoveum Regem baptizaturus eſſet, Alba Columba attuliſſe fertur, indeq; Reges Galliæ adhuc ungi Unguento ejus cum oleo conſecrato mixto, & quidem

citra ullam Defectus notam communis traditio eſt. vid. *Thulden ad A. MDCLIV. de Coronatione Ludovici XIV. Continuat. Thuan. ad A. MDCX. de Coronatione Ludovici XIII.* Quantum Elogium ferat, præter alia indicio fuerit iſtud *Balthaſaris de Vias, Sylva II.*

Quam Cœli perfecit opus, cui Numina ſummam
Impoſuere manum & miro Ceromate plena
Fluxit, ut hoc tanto Reges ſacrentur Olivo.

Et Guilielmi Britonis Philippidos L. II. ubi de Inauguratione Philippi II. ait:

Sceptrifero fulſit redimitus honore
Magnanimus Sacro Rex delibutus olivo,
Quo Deus Angelicis manibus virtute parato
Divina noſtris conceſſit Regibus uti &c.

Hinc & tempore Coronationis Ludovici XIII. Moneta cuſa fuit, in cujus Averſa Manus eſſet Ampullam tenens cum Inſcriptione: *Francis data munera Cœli.* Henrici IV. Temporibus tamen dubii non nihil ſuſtinuit, adeo ut ipſa præterita Oleum S. Martini loco ejus adhiberetur. Nam quia Comitiis Bleſenſibus A. MDLXXXIX. Fœderati Legem quaſi Fundamentalem ſanxerant: *Ut nemo Rex legitimus in poſterum haberetur, priusquam Durocortori Remorum ſacro oleo, quod in B. Remigii cœnobio religioſe aſſervatur, more ſolenni inunctus eſſet;* Henricus vero A. MDXCI. Autrici Carnutum coronabatur. *Ideo Decretum illud, ut inſolens & aſtu Guiſianorum, qui Urbem & Inſignia Regia in poteſtate habebant, ab Emiſſariis ſuis propoſitum prudentiores arguebant & iniquum eſſe dicebant, legitimam Regni ſucceſſionem, quæ proximo agnato lege Regni defertur, loco certo includi*, inquit prudentiſſ. *Thuanus L. CIIX. ad Ann. MDXCIV. Itaque*, pergit ibidem *cum magno conſenſu decretum fuit, nihil cauſæ eſſe, cur minus ſolennis Inauguratio dici deberet, etſi minime Durocortori facta eſſet*, quæ citavimus præc. *c. 1. §. ult.* atque longam deinde ſeriem Regum Veterum adnectit, qui alibi quam Remis coronati fuerint. Et mox de Oleo San Remigiano: Pronunciatum fuiſſe, illud non neceſſario ad Inaugurationem requiri. *Nam præterquam*, addit, *quod de eo a multis ambigitur, quippe, cum de illo ipſe S. Remigius in Teſtamento ſuo ſileat, nec Gregorius Turonum Præſul, aliusve ex Veteribus fide dignus Autor, mentionem ejus faciat, Chriſma, quod ab Epiſcopis conficitur, ad id ſuf-*

ſufficere. Et ſi cœleſte Oleum, quo major Veneratio Conſecrationi concilietur, adhiberi oporteat, longe certioribus teſtimoniis de Oleo Cœleſti, quod Majore in Monaſterio Cæſaroduni Turonum religioſe aſſervatur, conſtare; quippe quo CXII. Annis ante Clodovæum Sacro Lavacro a S. Remigio ſuſceptum B. Martino per ſcalas forte prolapſo cum exanimis jaceret in Cellula, Angelum nocte viſum tanquam Salutari Unguento ejus Vulnera eluiſſe, & contuſi corporis ſuperleniſſe livores tradit Sulpit. Severus, atq; ita poſtero die reſtitutum Sanitati Martinum, at nihil unquam pertuliſſe incommodi putaretur. Idem & a Venantio Fortunato Pictavii & Pontio Paulino Nolæ Epiſcopis tradi & ab Albino ſ. Alcuino Caroli M. Præceptore, cum de B. Martini miraculis agit, confirmari. Itaque ut Oleum Sankemigianum tanto vilius penderent, Turonenſe iſtud afferri curarunt, idque ungendo Regi adhibitum fuit. Integrum negocium de Ampulla hac & Oleo ejus plane confecit *Job. Jac. Chiflet. Diſq. de Ampulla Remenſi*, qui & *Cap. III.* genuinum S. Remigii Teſtamentum, quod communiter huc trahi ſolet, hac de nihil habere compluribus probat. Nec leve dubium eſt, magnam Partem Scriptorum Gallicorum plerumque popularis fidei nota, *ut ajunt, fertur, rumor eſt & ſ.* Miraculum hoc munire, vel plane de eo tacere: V. *Michael. Ritium de Regibus Francorum L. II. Franc. Belcarium Hiſtor. L. XXV. c. II. de Henrici II. Inauguratione, Job. Serrium in Inventar. Hiſtoriæ Francicæ T. 1.* Et aperte *Bernard de Girard ſeu Du Haillan. L. III. de l' Eſtat des Affaires de France.* Ubi de Baptiſmo Clodovæi: *Surquoy l' Hiſtoire de France dit un miracle eſtre advenu, c' eſt, que comme Clouis eſtoit ſur les fonds, & que l' Eveſque attendoit le Preſtre qui portoit le ſainct Chreſme du Baptiſtere, pour en oindre Clouis, & qu' a cauſe de la grande multitude du peuple, le Preſtre ne pouvoit paſſer pour parvenir jusques aux fonds miraculeuſement ſurvient un Ange du Ciel (les autres diſent un Colomb blanc) avec une petite Ampoulle pleine d' une ſainte eau, & l' offrit a Remy, qui en baptiſa le Roy. Et ceſte Ampoulle eſtant depuis precieuſement gardee dedans l' Egliſe S. Remy de Rheims a ſouvent ſervi a oindre les Roys a leur Sacre : Toutes fois comme il a eſté dit cy deſſus* Gregoire de Tours, *qui eſtoit environ ce Temps là, ne parle aucunement de la dite Ampoulle, ny de ce miracle, bien qu' il parle aſſez d' autres miracles. Combien d' ignorans ont voulu nous Calomnier ſur ce paſſage, diſans que nous voulions vier les Principes de noſtre Hiſtoire, & oſter la foy d' un mi-*

Digitized by Google

miracle. Mais la grace a Dieu, nous ſçavons mieux qu' eux, en quoy conſiſte l' une & la creance de l' autre. Quem ſecutus Scipio Dux Pleix Hiſtor. Franc. General. T. 1. *Quod attinet ad Sacram Ampullam, quæ hodie magna veneratione ſervatur in Eccleſia S. Remigii Remenſis, Gregorius Turonenſis Epiſcopus, qui ſub filiis Clodovæi in lucem editus eſt, nihil adfert de tanti momenti miraculo, quamvis ejus Hiſtoria aliis absq; numero miraculis ſit inſtructa.* V. pluribus cit. *Disquiſit. de Ampulla Remenſi Joh. Jac. Chifletii Antw. MDC LI. fol.*

V. Finis Unctionis notus eſt, ut Symbolum ſit Gratiæ Dei, cujus Donis omnes inſtructos eſt decet, qui vel Eccleſiæ, vel Reip. præeſſe velint; Quibus alia id genus facile adjici poſſunt. *Simeon Theſſalonic. de Sacr. Ordinat. Ed. Morin. p. 161.* hanc reddit: Καὶ νῦν οἱ βασιλεῖς χρίονται παρὰ τῆς ἐκκλησίας τὸ ἄρχοντας εἶναι παρ' αὐτῆς λαμβάνοντες: *Reges ungi ab Eccleſiâ, ut per eâm Principes fiant.* Sed ſaniorum Judicio Sacræ ejusmodi Cerimoniæ Principes non conſtituunt, ſed conſtitutos deſignant. Modus ungendi varius: Apud Imperatores Conſtantinopolitanos Crucis forma, acclamante Patriarcha Ἅγιος, idemque populo ſua voce proſequente. V. *Cantacuzen. L. 1. c. XLI.* & *Codin. de Offic. Conſtant.* Reges Judæorum in Coronæ modum unctos tradit R. Salomo apud Genebrard. Pſal. LXXXIX. V. XXI. De Partibus corporis ungendis tractat *Innocent. III. de Sacr. Unct. §. Unde:* Antiquum Ungendi morem in deſuetudinem veniſſe, *ubi Jeſus Nazarenus unctus eſt Oleo Pietatis præ Conſortibus ſuis, qui ſecundum Apoſtolum eſt Caput Eccleſiæ, quæ eſt corpus ipſius.* Itaque, ait, *Principis Unctio à Capite ad Brachium eſt tranſlata, ut Princeps ex tunc non ungatur in Capite, ſed in Brachio, ſeu humero vel armo, in quibus Principatus congrue deſignatur, juxta illud, quod legitur, Factus eſt Principatus ſuper humerum ejus &c.* In Capite vero *Pontificis Sacramentalis eſt Delibutio conſervata, quia perſonam Capitis in Pontificali officio repræſentat.* Ex mox moniti loco ſequitur: *Ut oſtendatur, quanta ſit Differentia inter Autoritatem Pontificis, & Principis Poteſtatem.* Sed ipſa hæc res jam extra Obſervationem poſita eſt, ideo Hoſtienſis commentatur in Summ. Tit. de Sacr. Unctione *ſ. 8. Qualiter Rex inungatur per Librum Pontificalem, ſeu ordinarium poteris edoceri. Sed & Conſuetudo antiqua circa hoc obſervatur. Nam Regum Franciæ & Angliæ* Capita inunguntur. In Gallia integra Cerimonia eſt: *Aperta Veſtis Interioris Sciſſura ad utrumque Latus, ita*

ut

ut pectus, humeri, ac Brachia, usque ad cubitos detecta ſint, detrahitur, Rege ſub iis Interulam induto, quæ illis in locis, quibus adhibenda Unctio, aperta eſt. Tum Archiepiſcopus ad S. M. accedit, intinctoque in Chriſmatis patina pollice, primum in capite, *deinde in pectore, hinc in dorſo inter humeros, & demum in Cubitis facto crucis ſigno eum inungit, ad ſingula dicens:* Ungo Te in Regem Oleo Sanctificato in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti Amen. *Phil. Honor P. II. Theſaur. Polit. Diſſ. de Coronatione Regis Galliarum.* In Anglia Jacobus *poſt feſtas Acclamationes* in Capite, Fronte, *pectore intra humeros, in Brachiis, manibus & pedibus unctus Rex, Regina tantum in Capite & Cervice. Thuan. L. CXXIX. ad A. MDCIII.* In Bohemia *dextrum e trabea lacertum nudat, exeritque nudum Rex, pectusque & Scapulas cum lacerto inungi a Pontifice patitur. Thuld. ad A. MDCLVI.* de Coronatione Invictiſſimi Leopoldi. In Germania noſtra Oleum Catechumenorum, *vertici primum* Capitis, *poſtmodum cervici inter utrumque humerum, porro pectori & tandem dextro Brachio inter carpum & cubitum* inungitur, adjectis iisdem Verbis, quæ in Coronatione Gallica commemoravimus. V. Actum Coronat. Matthiæ in Regem Rom. ap *Gold. Polit. Imp. P. I.* In Inauguratione Maximiliani II. tamen & palmæ manuum unctæ recenſentur. V. Inaugur. ejus ab *Heidenis* deſcriptam. De unctione Ferdinandi IV. in Regem Romanum teſtatur Anonymi Deſcriptio Coronationis: Iſt von Chur Mäintz adhibitis ſolitis Ceremoniis Oleo Catechumenorum auf dem Scheitel des Haupts / an den Schultern / Armen und den Händen ungirt worden. Inmittelſt hat die Capelle die Antiphonam, Unxerunt Salomonem, und Unxit Te Deus, muſiciret. Carolus M. totus perunctus legitur, niſi hyperbolis indulgeant Hiſtorici: Landulph. Sagax Hiſtor. Miſcell. L. XXIII. *Cæterum Hadrianus Carolo vicem recompenſans in Imperatorem coronavit eum in Templo S. Petri Apoſtoli,* perungens oleo a capite usque ad pedes, *& circumdans Imperatoria veſte atque corona.* Idem perhibet Conſtantinus Menaſſ. in Chronicis: & rationem ſe ignorare profitetur.

Ἐν τοῦθεν ἀμειβόμενος τὸν Κάρουλλον ὁ Λέων
Ἀναγορεύει κράτορα τῆς παλαιτέρας Ῥώμης
Καὶ στέφος περιτίθησιν, ὡς οἱ Ῥωμαίων νόμοις
Οὐ μὴν ἀλλὰ χρησάμενος καὶ νόμοις Ἰουδαίων,

Κ' ἐκ κεφαλῆς μεχρὶ ποδῶν ἐλαίῳ τὲτον χρίει
Οὐκ οἶδα πόσι λογισμοῖς ἢ ποίαις ἐπινοίαις.

Caput III.

Coronationis Antiquitas: Diademata: Coronæ apud Romanos: Corona Nimrodi: Coronationis in Imperio Romano initia ac progreſſus: Coronarum Materia: Figura: Ritus ipſas imponendi.

I.

IN Clinodiorum Collatione potiſſimus Actus eſt Coronatio, Ritus Perſonas Majeſtati deſtinatas Coronis ornandi, Quique ut plurimum toti Inaugurationis Negocio nomen dat, quod in plerisque Europæarum Nationum Idiomatibus claret. Nos primo circa Antiquitatem ejus cum Seldeno notamus, primis temporibus Diademata Coronis fere antehabita fuiſſe. Ideo *Plin. Hiſt. Nat. L. VII. c. LVI. Diadema Regum Inſigne* vocat. Nero cum Tiridatem Armeniæ Regem crearet, *Precanti Tiara deducta Diadema impoſuit Sueton. L. VI. c. XIII.* Herodes cum a Senatu Romano Rex pronunciaretur Diadema in Regni ſignum accepit, quo etiam denuo collato ab Imp. Auguſto confirmatus fuit. *Joſ. Ant. XV. X.* Et de Syphace Africano Rege *Silicius c. XVI.*

Induitur Chlamidem, Regnique Inſigne vetuſti
Geſtat læva decus; Cinguntur tempora vitta
Albenti.

Quemadmodum & Coronarum mentio, quæ in Sacris fit, de Diadematibus accipi poteſt, veluti Sauli Corona *II. Sam. I. X.* Ubi in Lingua Sancta eſt *Neſer*, h. non proprie Corona, ſed *βασίλειον, Διάδημα*, ut a Græcis redditur, *βασιλικὸν Στέφανον* Joſepho, quod ipſum tamen etiam Diadema deſignare poteſt. Item in Hiſtoria Davidis II. *Sam. XII. XXX.* refertur Corona Aurea inter Spolia ab Ammonitis ſumpta, ſed dubio ſenſu, utrum Regis eorum, an Milcom, Idoli, fuerit: Utrumque enim vox Milcom in Hebraico Textu ſignificat; Et vulgata pariter ac Græcæ Interpretationes Melchom retinent, non v. Regem ipſorum. Ac præterea gravior fuit, quam quæ a Rege geſtari poterat, quippe Talentum h. C XX. Libras exæquans. In Hiſtoria Regum Perſarum *L. Eſther.* etiam adducitur *Cether*, h. ſenſu nonnullo Corona; Sed hoc voce ipſa non abludenti erit Cidaris: Hæc enim in genere Regium Perſarum Diadema erat, quemadmodum

Digitized by Google

dum de Sapore adhuc *Ammian. Marcellin.* tradit *L. XIX. §. 8. Inſidens Equo ante alios celſior ipſe prœibat agminibus cunctis aureum capitis ſigmentum interſtinctum Lapillis pro Diademate geſtans ;* Unde Diadema ſolitum inſigne Regium fuiſſe, dilucide claret. In Hiſtoria profana Virgilius loquitur de Latino Rege:

> *-- -- Ingenti mole Latinus*
> *Quadrijugo vebitur curru, cui tempora circum*
> *Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt,*
> *Solis Avi Specimen.*

Et Orpheus de Aëte Rege Colchidis:

> Στεφάνην ἔχε θυσανόεσσαν
> Ἀκτῖσιν φλογίαις.

Sed iſta non ita Coronas, ac Radiata Capita indigitant ad declarandam divinam ipſorum originem. Id enim Heroicis iſtis temporibus ſignificabant, perindeac florente Romano Imperio Caput Radiatum aliquem Diis asſcriptum declarabat. Nec Aurea Corona, qua donatus fuit Maſiniſſa apud *Livium Dec. III. L. X.* Regium erat inſigne, ſed duntaxat honorarium Populi Romani Donum.

II. Priſci Reges Romani tamen Coronis uſi ſunt, ideo inter Tarquinii Priſci Inſignia Corona Aurea jam tum recenſetur : *Ad ultimum usque diem vitæ* & Coronam *tulit & veſte indutus eſt purpurea picta, babensque Sceptrum Eburneum, in Sella ſedit Eburnea, atque Lictores duodecim cum ſecuribus ac virgis jus dicenti ei aſtabant, & euntem præcedebant ; Hicque mos etiam cæteris poſt eum regiam poteſtatem babentibus & poſt ejectionem Regum annuis Conſulibus permanſit præter* Coronam *& veſtem pictam. Dion. Halicarn. L. III. Antiq.* Et his longe antiquior Nimrod, *cum in cœlo Coronæ formam e nube vidiſſet, accerſito metallorum fuſore Coronam ſibi conflaſſe, quam capiti imponeret, indeque factum, ut dicerent Homines, Coronam ipſi e cœlo delapſam eſſe,* fertur ab *Eutychio Annall. Alex. P. 1. p. 63.* Sed in quo pleniorem fidem ſæpenumero deſideres. Apud Romanos vero poſtea Coronas Laureas, indeque Aureas in uſum Triumphalem translatas fuiſſe Scriptores Romani abunde docent. Feſtus Pomp. L. XIIX. *Triumphales Coronæ ſunt, quæ Imperatori victori Aureæ præferuntur, quæ temporibus antiquis propter Paupertatem* Laureæ *fuerunt.* Unde Aurum Coronarium, datum pro Conſulibus vel Imperatoribus ex Provincia decedentibus ad decorandum triumphum, Cujus præ-

ter alios Tac. meminit A. XV. *Inq; prædam etiam Dii ceſſere, Spoliatis in Urbe templis, egeſtoq; Auro* quod triumphis, *quod votis omnis populi Romani ætas proſpere, aut in metu ſacraverat. L. XVII. C. de Judeis: Palatinis compellentibus exigant ad eam formam, quam Patriarchæ quondam* Coronarii Auri *nomine poſtulabant.* Adde *C. Theod. de Auro Coronario & Godofred. not. in h. l.* De aliis Coronis, Obſidionalibus, Civicis, Muralibus, Caſtrenſibus, Navalibus, Sepulcralibus, quæq; præterea huc pertinere potuerunt, nihil opus eſt ut aliqua addamus. Vid. *Dempſter. Paralip. ad L. X. C. XXIX. Antiq. Roſin. Carol. Paſchalium de Coronis L. IX. Pariſ. M DC X. 40. Proſper. Stellart. de Coronis & Tonſuris Paganorum, Judæorum, Chriſtianorum. Duaci M DC XXV.*

III. Sed cum jam Pacis intereſſet, Rerum Summam iterum in unum conferri, ad Diademata reditum fuit, non quidem aperte, cum Romanis nimium inviſa eſſent, tanquam Regni ſignacula ſenſim tamen Imperatoribus eo centendentibus. Hinc parum abfuit, *quin* Caligula *ſtatim Diadema ſumeret. Sueton. Calig. XXII.* Et Pompejo jam tum *Candida faſcia crus alligatum habenti, Favonius, non refert, inquit, qua in parte Corporis ſit Diadema, exigui Panni Cavillatione Regias ejus vires exprobrans. Valer. Max. L. VI. c. II. §. VII.* Nec tamen ante CC LXXX. Annum palam aliquid hac in re tentatum fuit. Aurelianus autem primus apud Romanos Capiti ſuo Diadema innexuit. A. Victor. P. Diac. Poſt eum *Conſtantinus M. Habitum Regium Gemmis & caput exornavit perpetuo Diademate. Idem* Victor. Quem tamen primo id aſſumſiſſe ſæpius cit. MSum Joh. Melelæ teſtatur λόγῳ XIII. καὶ φορέσας τότε ἐν πρώτοις ἐν τῇ ἰδίᾳ αὐτοῦ κορυφῇ διάδημα διὰ μαργαριτῶν καὶ λίθων τιμίων βουλόμενος πληρῶσαι τὴν προφητικὴν φωνὴν τὴν λέγουσαν, ἔθηκας ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ στέφανον ἐκ λίθου τιμίου. Οὐδεὶς γὰρ τῶν πρὸ αὐτοῦ βασιλευσάντων τοιοῦτόν τι ποτὲ ἐφόρεσεν; *Et geſtans imprimis in vertice ſuo Diadema ex Margaritis & Lapidibus precioſis implere volens propheticum illud: Impoſuere capiti ejus Coronam ex Lapide precioſo; Neque enim quisquam eorum, qui ante ipſum imperaverant, tale quid geſtavit.* Juliano milites ἐπέθεσαν σὺν βίᾳ τὸ διάδημα τῇ κεφαλῇ *Zoſimus.* Jovianus Imperator deſignatus τὴν ἁλουργίδα ἐνδὺς καὶ τὸ διάδημα περιθέμενος εἴχετο τῆς ἐπὶ τάδε πορείας. *Idem.* Ipſis v. Diadematibus pluſculum indies acceſſit, ut tandem in Galeas & Coronas abirent. Hinc jam Diadema Joviani *Imperialem Inſulam*

lam nuncupat Eutropius. Et Juſtinianus *Imperiales ſuſcepimus Inſulas L. III. C. de Quadrienn. Præſcr.* Indeque frequens τῦ ςέφειδος mentio circa tempora iſta in Autoribus enata. Sic Verina Baſiliſcum ςέψασα &c. *Chron. Alexandr.* Et Leo Junior Parenti ſuo Zenoni ἐπέθηκε ςέφανον βασιλικὸν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτȣ̃. Joh. Meleles. Niſi ςέφος, ςέφανον ibi latiori ſenſu ritum Diadematum imponendorum adhuc complectatur. Ipſarum vero Coronarum initium, quod certum ſit, Juſtino Juniori tranſcribimus. V. *Onuphr. de Comit. 1. Imperial. c. V.* Et Corippus de Juſtino ſcribit;

Poſtquam cuncta videt ritu perfecta priorum
Pontificum ſummus plenaque ætate venuſtus
Adſtantem benedixit eum, Cœlique potentem
Exorans Dominum Sacro Diademate juſſit
Auguſtum Sancire Caput, ſummoq; Coronam
Imponens Apici.

IV. Sic Coronæ introductæ, easque Sacris Regum Capitibus imponendi Ritus in hunc usque diem viget; Orientis Parte interim Diademata retinente. *Nulli Principes Muſulmanni Coronam Capiti ſuo imponunt, tametſi antea Aſiæ & Africæ Regibus id uſitatum fuiſſet. Bodin. L. 1. de Rep. c. IX. Et ne Sultanæ quidem ipſorum Calyptra Coronave Regibus noſtris uſitata caput ornant; ſed vera tænia ſeu faſcia ſive Diademate variis & exquiſiti precii gemmis diſtincto, quod ad Sinciput alligatur. Leunclav. Pand. Turc. c. CXCIX.* Hinc & Selimus II. Cum vivente adhuc Parente Solimanno inaugurareτur Calyptra tegi noluit, quod Sultani ſolis Diadematibus aſſueti eſſent, licet præſentem haberet e Theſauris, uti vocant, ſeu Clinodiis Baſilicis ſibi prælatam, & a temporibus Balduini Imp. usque in Imperio Conſtantinopolitano aſſervatam *Leuncl. l. c.* Hæc tamen Diademata nihil aliud ſunt, quam Κορβάντεια, ſeu uti vulgo dicimus, Tulipanta, a plerisque Orientalibus recepta, & tantum certis Plicaturis a vulgaribus divertentia. Vid. de differentiis hisce *Gabriel. Sionit. de Mor. Orient. c. XI.* Mediis vero ſeculis in & juxta Imperium Conſtantinopolitanum nec Diademata, ſed Pyramidem videre licuit h. πῖλον βαρβαρικὸν ὃς ἐς ὀξὺ λήγων πυραμίδι ἔοικε, Pileum Barbaricum, acuminatum & faſtigiatum in metam inſtar Pyramidis, quemadmodum a *Niceta* deſcribitur *L. 11. in Andronico Comneno. Ideo Pyramides illas* τȣ̃ βασιλέως πυραμίδας vocat *Logothet. Chron. Conſt. p. 12.* Et poſt

καὶ τὰ μὲν ἐρυθρὰ πέδιλα ἀπεβάλλετο, καὶ τὴν τριμάργαρον πυραμίδα, ἃ βασιλικὰ σύμβολα. V. *Douz. not. in Logothet. p. 69.* Ejusdemq; generis videtur Calyptra Balduini eſſe quam ante diximus hodienum apud Imperatores Turcicos una cum rubris Sandaliis & Acinace in vagina Rubro ſerico obducta Clinodiorum loco aſſervari.

V. Materia Coronarum Regiarum communiter Aurum eſt, niſi quod in Inauguratione Regum Peguanorum Plumbeæ Coronæ Uſus ſit, ad declarandam debitam Menſuram in omnibus ab ipſis obſervandam, cujus Teſtis iterum Le *Blanck. cit. Itiner. P. 1. C. XXII.* Men ſet hem daer na eene Lode Kroon op't hooft / geeſt hem een Byl in de Hant ꝛc. Men ſegt tot hem / dat de Lode Cron aanwyſt dat hy in alle dingen nae maet en gewicht moet gaen / ende de byl beteekent / dat hy de gerechtigkeit moet bedienen / vrede en eendracht in Fryen ſtaet houden ꝛc. Man beneemt hem daer nae de Cronen / en't onderkleet / en bewaert dat als gewyde dingen. In Imperatorum noſtrorum ritibus ſeculis ſuperioribus receptis præter Auream Coronam etiam Argenteæ & Ferreæ fit mentio, quarum hæc regnum Italiæ, illa Regnum Germaniæ, iſta Imperium Romanum denotet. Verum illa Coronarum diſtinctio non materiæ eſt, ſed ſolorum nominum unde unde petitorum. Corona Caroli enim, quæ Ferrea vocatur, non ex Ferro, ſed puro puto auro fabrefacta eſt, *ſic tamen ut in ea veterum laudabilis parcitas ſatis eluceſcat.* V. *Hartmann. Maurum Relat. Coronationis Caroli Imper.* Nec aliter cum Corona Argentea comparatum. V. *Onuphr. de Comit. Imp. c. XI.* Mediolanenſes olim has Coronas in contemptum *Paleas* vocarunt, priſco loquendi more, quo vilis res & nihili *Palea* dicitur, ex quo & Ariſtophones inquilinos Atticos *Paleam Civium* nominat in antiqua Comœdia. *Gaudent. Merula Ant. Gall. Ciſalp. L. III. c. IX.* Reges Hieroſolymitanos mediorum ſeculorum Corona Spinea Coronandi morem ejusque circumſtantias *Pontanus Att. Bellar. p. 1. p. 628. Flexis genibus ita ad Sepulchrum Domini procumbebat is, qui coronandus erat, ut caput in ſaxo ſepulchro collocaret, & corona ei ex ſpinis plexa imponeretur. Noluit enim Godefridus Bullioni Comes primus Rex eo loco Auream Coronam geſtare, in quo Filius Dei Spinis Coronatus fuerat.*

VI. Forma Coronarum eſt varia: Coronæ Imperiali olim peculiare erat, ut Clauſa eſſet, hodie Hiſpaniæ atque Angliæ Coronis & fortean aliis, id commune eſt. Reges Galliæ in Conſecratione

ſua

ſua utraque Corona Regia aperta & Imperiali clauſa uti, dicit iniquiſſimus Rerum Imperii Cenſor *Aubery Tr. de Prætenſion. Regis Galliæ ſuper Imperium L. III. c. 1. in Excerptis v. L. C. Ax. 1x.* Atque addit Coronam Imperialem clauſam reſpectu Originis eſſe indicium cujusdam ſubjectionis & debiti erga Sedem Apoſtolicam, eademque Coronas Apertas antiquiores & digniores eſſe. Sed more ſuo agit, & gratis ſumit, quæ dicit, cui utinam Hiſtoriarum peritus aliquis jam digne ſatisfeciſſet! Notant utique Hiſtorici Carolum IIX. Regem primo uſum corona clauſa, idque quia ab Alexandro VI. P. M. Conſtantinopolitanus Imperator pronunciatus fuerit: Sed cum Titulo Coronæ Decus ſtatim evanuiſſe, eoque Ludovicum XII. Succeſſorem ejus nunquam uſum fuiſſe, Franciſcum I. v. revocaſſe, ut Carolo Imperatori ægre fieret. V. *Chiflet. Vindic. Hiſpan. c. XIII. De Amp. Rem. c. XIV.* Cæterum Imperialis Caroli. M. Crucem antrorſum gerit, aliæ eandem ſimul Globo in Apice habent. Corona Gallica Liliis circumdata eſt, & in apice ejus, loco Crucis Lilium collocatum extat: Anglica Cruces & Lilia alternatim in circulis habet: Hiſpanica Florem Roſæ. Forma Coronæ Hungaricæ eſt: *Auro ſolido artificio ſculpturæ magis cœleſti, quam humano, in orbem fuſa, a cujus latiore circumferentia pariter pinnæ florentes forma triangulari ſimiliori circum eminent, Quatuor angulis rectis abſides ſe mutuo interſecantes deſinunt in Crucem, in ipſa vero circumferentia fronte recta Imago Salvatoris noſtri Pomum tenentis, ex adverſo Divinæ Matris Virginis & deinde ſacerrimus Apoſtolorum ordo Regumque ac Imperatorum Martyrumque Chriſtianorum, ut videre licet, Græcis Literis, cujuslibet imaginis aureis vultibus ac propriis trophæis per corpus totum usq; ad Crucem ſummam mutuo conſequuntur, interjectis cuilibet Sacræ imagini gemmis ac unionibus, atque ut hæc non plane ex vulgari habitu ac more, ſic iſtud plane notabile. Ab aurium naturali parte utraque gemmæ precioſiores candicantes dependent in aures appendicum velut loco, quæ ad levem ſacri Capitis motum mutua quaſi Harmonia ſe commovent, ut aurem utramque Divinæ humanæque conſecrando Juſticiæ omnia ad Divini Nominis gloriam famamque bonam & exiſtimationem referat: Aut etiam catenulæ illæ novem, novemque in frontali & occipitali Coronæ parte pinnæ radiantes majuſculis Unionibus intra certa ſpacia Regnorumque novem ac Provinciarum Regno Hungariæ incorporatarum Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Serviæ, Boſnæ, Galliciæ, Lodomeriæ Bulga-*

riæ,

Digitized by Google

riæ, *Cumaniæ poteſtatem & ſplendorem indicant.* Petr. de Renva Comm. d. S. Cor. Hung. & ex eo ſ. Mart. Schödel ſ. Berneggerus *Diſſ. de R. Hungar. P.II.§.56.* Pontificalis eſt *Fulgens undique lucidiſſimis gemmis, ac ternis diſtinctum Coronis, parteque ſumma in rotunditatem clauſum Diadema. Thulden. ad A. MDCLV. de Coronatione Alexandri VII.* Qua Urbanus V. P. M. primum uſus fuit, ut Tres Coronas Imperatoris una eademque imitaretur. Alias rationes ſex allegat Cornelius a Lapide *in Zach. VI.* quas referre piget. Plures, ſed non majori pondere, aggregat *Paſchal. de Coron. L. IX. c. XIV.* Cur Gemmata ſit ibidem docet; Precioſos Lapides Verbum Dei ſignificare, quod neſciat interitum nec obnoxium ſit rubigini & corruptioni. Fatetur tamen Sylveſtrum I. oblatam a Conſtantino M. Auream Coronam precioſis lapillis igneſcentem conſtanter aſpernatum, contentumque fuiſſe mitra alboque velamine. Quam hiſtoriam, ſi noſtram non facimus, fatentis tamen Paſchalii vocem merito excipimus: *Sylveſtrum modeſte & Chriſtiane feciſſe.* Huc referimus, quod peculiaribus Anteceſſorum ſuorum Coronis in Regnis nonnullis gaudeant: Qualis eſt Corona Caroli M. in Imperio: In Norvegia Corona S. Olai, *Hamelm. Chron. Oldenb. p. 199.* In Hungaria Corona S. Stephani. *Conſuetudoque obtinuit cum propter Viri Sanctitatem, tum Romani Pontificis admirationem, quem ſane id temporis paupertas ac continentia uti & cæteros fere Sacerdotes maxime commendabant, illo duntaxat Reges inſigniri atque eo inſignitos Diademate veros Divi Stephani ſucceſſores arbitrari. Alii credunt eos, qui gentis mores condiderunt, cognito Scythicæ nationis Ingenio, quod ſane plerumque ſævum impotens ac mutabile eſt, quo ſc. Hungari Regem ſuum majori colerent veneratione, ab inſignibus quoque Imperii Regii Majeſtatem quæſiſſe, putantes afficta Regio Diademate Religione Regem ipſum fore multo auguſtiorem.* Schödel. l. c. §. 54. Ipſius Impoſitionis Actum circa Regem Romanorum in Germania hæc verba comitantur: *Accipe Regiam Regni coronam, quæ licet ab Indignis, Epiſcoporum tamen, de veteri conſuetudine, manibus capiti tuo coaptatur. V. Inaugur. Maximil. II. Heidenorum.* In Gallia adjicitur: *Coronet Te Deus corona Gloriæ &c. Ph. Honor. l. c.* Pontifici dicunt: *Accipe Tiaram tribus Coronis ornatam; Et ſcias, Te eſſe Patrem, Principem, ac Regem, Rectorem orbis in Terra, Vicarium Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, cui eſt honos & gloria in Secula Seculorum Amen. Thulden. c. l.* Ma-

te-

Digitized by Google

teriæ de Coronis Ducum, Principum, Comitum ſuo loco in ſeqq. ſatisfaciemus.

CAPUT IV.

Globus: Crux: Crux a Conſtantino M. in Cœlo viſa: Crux Imperatoria: Sceptrum: Enſis: Anulus: Claves, &c.

I.

RElíquaClinodia conſpectus modo poſitus jam ſummatim dedit: GLOBUS datur in Signum Univerſalis Imperii *Freber. in Not. ad Petr. de Andlo. L. 11. cap. VI.* Ideo Iſidorus de Auguſto Imp. (Nam in ea usque tempora Globi uſus excurrit) *Pilam* (Pila, ſeu Palla, Pomum, Globus hic perinde ſunt) *in Signa conſtituiſſe fertur Auguſtus, propter Nationes ſibi in cuncto orbe ſubjectas, ut Malis figuram Orbis oſtenderet. L. XIIX. c. III.* Et e Nervæ Numis triplicem commemorant, procul dubio ad denotandam Africam, Aſiam & Europam. V. *Gretſer. de S. Cruce T. 1. L. 11. c. LIV.* Quare ſignificantiſſime Godofr. Viterbienſis *part. XIX. Chron.*

Aureus ille GLOBUS Pomum *vel* Palla *vocatur,*
Unde figuratum Mundum geſtare putatur.
Quando coronatur, Palla *ferenda datur.*
Significat Mundum forma perbibere rotundum
Intus habet plenum terreſtri pondere fundum,
Quam tenet arcanum Palla *ferenda manu.*
Hæc fuit ex Terris Mundi collecta quatenis,
Ut foret Imperii manibus geſtata Supernis,
Hac tulit Imperium Julius arte ſuum.

De antiquitate hujus rei tamen monemus, eam profundiorem videri, quam quæ Auguſti aut Julii temporibus exhauriri queat. Nam & in reliquiis Veteris Perſepolis a Cyro primo Perſarum Monarcha olim extructæ, quas hodie *Chilminar* & *Tzilminar* vocant, adhuc Imagines Regias videre eſt altera manu Globum, altera Sceptrum tenentes, V. *Herbert. Itinerar. p. 63. Mandelslo Itiner. L. I. C. IV.*

II. Sed Crucem Globi noſtri ſuſtinent, in memoriam S. Crucis, & Honorem Ejus, qui inde Cruciatibus noſtris medelam attulit; Teſtantur nempe Reges, ſe fidei in Chriſtum Crucifixum beneficio tanto potiri Imperio. Supra Pomum *Crux Aurea* inſeritur, vel

ut recordetur, ſe Chriſtianum eſſe, vel ut Chriſtianos tuetur. *Gaud. Merul. de Coron. Imp. L. III. c. IX.*

CRUX *ſupereſt* Pomo, *cœli ſuperindita dono*
Suſcipe corde bono, Rex, quæ Tibi myſtica promo,
Teque ſedente Throno proſpice, quid ſit Homo.
Crux & Palla *ſimul pariter connexa videntur:*
Hæc magis, illa minus per Te reverenda videntur:
Hæc ferit, hæc ſanat; Hæc perit, illa manet.
Si mundana capis pugno concludere Regna,
Significata Crucis *Tibi ſunt reverenter habenda:*
Servulus eſto Dei, qui tua Sceptra regit.

Iterum *Godofr. Viterb. cit. l.* Et addita Globo creditur a Conſtantino M. occaſione Crucis ab ipſo in Cœlis viſæ; Si non ſomniavit potius, quam vere vidit illam, quæ eſt Joh. Melelæ ſententia Λόγῳ XVI. Καὶ ἑλκυσθεὶς εἰς ὕπνον εἶδε κατ᾽ ὄναρ ἐν τῷ οὐρανῷ σταυρὸν, ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο, ἐν τούτῳ νίκα, καὶ ἀναγνοὺς τὸ ἐπιγεγραμμένον ἐν τῷ σταυρῷ διυπνίσθη, καὶ ἀναστὰς ἐποίησε σίγνον σταυροῦ &c. *In Somnum tractus vidit in Somnio Crucem in cœlo, cui inſcriptum erat: In hoc Vince; Et lecto quod Cruci inſcriptum erat, expergefactus eſt, ac reſurgens fecit Signum Crucis.* Sed de Juſtiniano res certior eſt, qui primus in Auguſteone ſe ita effingi curavit poſt ædificatum S. Sophiæ Templum: Φέρει μὲν χειρὶ τῇ λαιᾷ πόλον καὶ σταυρὸς ἐπὶ τοῦ πόλου κεῖται. *Procop. de Ædif. Juſtin.* Λόγ. α. *Suidas in Juſtiniano.* In Occidentali Imperio cœpit circa tempus Henrici II. Imp. A. M XIII. *Licet Inſigne illud Imperiale diverſis Speciebus prius figuratum fuiſſet, a Venerabili tamen Papa Benedicto III. Sedis Apoſtolicæ fieri juſſum eſt admodum intellectuali Specie. Idem Inſigne præcepit fabricari, quaſi Aureum Pomum, atque circumdari per Quadrum precioſiſſimis quibusque Gemmis ac deſuper Auream Crucem inſeri, &c.* Glaber Rudolphus Hiſt. L. I. C. V.

III. Ab Imperatoribus Græcis etiam ſola CRUX admiſſa fuit. *E reliquis geſtaminibus geſtat Imperator, quæcunque voluerit: Crucem autem Dextra ſemper geſtat. Codin. de Offic.* Quemadmodum & inter Imperatores noſtros Rudolphus I. cum Aquisgrani coronandus eſſet & Principes in ejus verba juraturi nonnihil tergiverſarentur, neque ſceptrum in promptu eſſet: Hoc, inquit Rudolphus, & Crucem arripuit, ſignum eſt, in quo redempti ſumus; Hoc ego Sceptro in

omnes mihi & Imperio infidos utor, iisque præſentes movit, ut Crucis Oſculo Sacramenta deferrent. Ac ſimilis erat huic Cruci ὁ βασιλικὸς σταυρὸς *Crux Imperatoria*, ab Imperatore non geſtata, ſed prælata, ipſi in Expeditionibus a Sacerdote, quem *Guil. Tyrius* eo nomine *Vivificæ Crucis Bajulam* appellat. *V. L. XXI. C. XXI. XXII.* & *L. XXII. C. XXVI.* & primarium Sacerdotem Palatii ſtatuit Cedren. in Conſtantino Leonis F. Eam Supellectili Imperatoriæ annumeratam fuiſſe Logothete docemur Chron. p. 12 Ἀλλὰ δὴ καὶ ἐκ τῶν βασιλικῶν παρασήμων τὰ καιριώτερα, τάς τε γὰρ τοῦ Βασιλέως πυραμίδας ἀνελάβοντο, καὶ Φιάλας τῶν ἐπισήμων καὶ χρῆμα εἰς πλῆθος, καὶ αὐτὸν βασιλικὸν σταυρὸν, τῶν τινὸς γὰρ αὐτὸν ἱερέων ῥίψαντος &c. *Abſtulerunt precioſiſſima e Signis Regiis, pyramidesque ac Phialas Regiæ ſignaturæ, item pecuniæ ingentem vim,* & *Crucem Imperatoriam, quam ſacerdos abjecerat.* Eandemque & Bulgarorum Regibus in hoſtem prodeuntibus prælatam Cedrenus tradit, hanc forte ob cauſam, quia Græci Titulum Baſilei ſ. Imperatoris ipſis conceſſerunt, quo de dictum *Diſſ. I. Cap. II. §. V.* V. plura apud Scriptores de Cruce, *Lipſium, Boſium della Croce Triomfanti, Gretſerum de Cruce Tom. I. L. II. C. LIV. LV.* & *T. III. L. I. C. XIV.*

IV. SCEPTRUM Globo ſociatur, eſtque Clementiæ nota. Hunc enim ad modum Novus Imperator admoneri ſolet: Accipiat Virgam Virtutis & Æquitatis, eaque intelligat mulcere Pios, terrere Reprobos. *Hartman. Maur. Coron. Carol. V.* Unde Sceptro inclinato Veteres Perſarum Reges propitium ſuum erga adventantes animum declarabant, *Eſther. IV. XI.* & *V. II.* Nota inſuper Jurisdictionis. Ideo Regibus Angliæ duo ſceptra traduntur alterum integrum, alterum Subfractum: Illud ad deſignandam M. Britanniam, hoc ad firmandam ejus in Galliæ Regnum prætenſionem. *Nubil. Jubil. Britann. p. 915.* Et in Polonia, Mareſchalli Deſignato Regi Vladislao Sceptra Officii ſui non ſublevata, ſed emiſſa præferebant, eo, *quod priusquam Rex Coronatur, Sceptrique Inſigne ſolenniter acceperit, ipſi a Mareſchallis ſceptra præferri mos antiquus vetaret. Piaſec. ad A. MDCXXXII. p. 456.* Cujus ratio haut dubie iſta, quia pleno Jurisdictionis Exercitio per Inaugurationem ipſi dando adhuc deſtituebatur. Galliæ Reges duo Sceptra gerunt, quorum alterum duobus cum pollice Digitis erectis inſtructum fidei ſignum exhibet. *V. Limn. L. II. J. P. cap. VI. n. 24.* Antiquiſſimum Sceptri uſum fuiſſe

ex Homero liquet, qui jam tum τῶν σκηπτούχων βασιλέων meminit; Et Agamemnonem inducit Sceptrum a Thyeſte habentem *Iliad. B.* Oſiridem in Hieroglyphicis Ægyptiorum cum Sceptro pinxerunt, *Significantes hunc Deum Solem eſſe, Regalique Poteſtate cuncta deſpicere. Macrob. Saturnal. L. I. c. XXXI.* Romani veteres *Haſtam* appellarunt: *Per ea adhuc tempora Reges* Haſtas *pro Diademate habebant, quas Græci* Sceptra *dixere. Nam ab origine rerum pro Diis immortalibus Veteres* Haſtas *coluere, ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum ſimulacris* Haſtæ *adduntur, Juſtin. in Numitore L. XLIII.*

V. ENSIS Juſticiæ ſignum eſt:

Judicii ſignum Gladius *monſtrare videtur,*
Quo malefactorum feritas ceſſare jubetur,
Ut Latro fruſtretur, Rex tenet arma ſecum.
Præcipitur Gladius *vibratus ſemper haberi,*
Puniat ut ſubito, potuit quod Culpa mereri,
Nam ſi tardus erit, Pax viduata perit.

Godofr. Viterb. l. ante cit. Idem indigitat Alloquium, quo Imperatorem compellant: Eccleſiam propugnet, deſertos adjuvet, Injuſta ulciſcatur &c. V. *c. l. Hartm. Mauri.* In Gallia Remenſis Antiſtes Regem Enſe cingit, mox vagina educit, eductumque Regi præbet, isque deinde in Altare infertur, Deo conſecratur, & Conſecratus Regi redditur, *quo armatus Eccleſiæ Primogenitus Matrem Filius defendat. Thulden. de Coron. Ludov. XIV.* Et ſingulare hic iterum, Peculiares maxime Illuſtrium Anteceſſorum aſſervari, qui ſolennitatem hanc ſubeant. Sic Angli habent Gladium Eduardi Regis: Enſis Imperialis Caroli M. fuit, ille quidem gravis ſatis ac prægrandis & a multo vetuſtatis ſitu æruginoſus, quo Carolus omnibus Sacri Belli Præliis uti conſueſſe dicitur. *Modius T. 1. Pandect. Triumph. L. IV. de Inauguratione Ferdinandi I.* In Hungaria eſt Gladius S. Stephani ab Annis usque ſeptingentis. In Bohemia S. Wenceslai. V. *Thuld. ad Anno M DC LVI. p. 276.*

VI. ANULUS datur, ne Populum lateat, ſuas cum Principe Nuptias ſimul pactas eſſe, isque pignori eſt, & acceptæ fidei commonefacit. Ideo Carolum V. compellarunt: *Accipe Regiæ Dignitatis* Anulum, *& per hunc Catholicæ fidei cognoſce Signaculum: Et ut hodie Ordinaris Caput Princepsque Regni & Populi, ita perſeverabis auctor*

Digitized by Google

tor ac Stabilitor Chriſtianitatis & Chriſtianæ fidei, ut felix in Opere cum Rege Regum glorieris per ævum. Hartm. Maur. l. ſep. cit. CLAVES in Suediæ Regno præferuntur, ac Fiſci Regii augmenta ſignificant: Ratione Subditorum forſan & Subjectionis Symbolum fuerint, id enim Clavium traditio præ ſe ferre amat. Pontifici Maximo duæ in Pelvi præbentur, quas ſingillatim attrectet ad denotandam duplicem Poteſtatem Sacram in ſuos ipſi traditam, unam Ligandi, alteram Solvendi. *Thulden. ad An. MDCLV. de Inauguratione Alex. VII.*

VII. Denique indicandum etiam, Clinodia iſthæc certis locis aſſervari, nec niſi præviis ſingularibus ritibus inde auferri. Corona Hungarica S. Stephani Poſonii nunc aſſervari ſolet, quam etiam nupero Bello Turcico metu Invaſionis Hoſtilis Viennæ concrediderunt, indeque A. MDCLXIV. exeunte in locum ſuum reduxerunt, cuſtode ejus N. Palfi Comite. Antehac Vicegradi erat Budam inſtante Inauguratione Regia ſolenniter transferenda. Ita de Coronatione Vladislai R. Hung. Bonfin. *Dec. IV. Libr. X. Coronam Sacram a Vicegrado Pontifex Zagrabienſis Budam in ædem Divæ Genitricis detulit: Cui omnes Ordines & Sacerdotum Collegia occurrere. Mox Sacris rite peractis, a duobus Creatis Aſſervatoribus, quorum alter Urbanus, Stephanus Bathok alter erat, Triumphali curru elatis manibus invecta & ſubſequente cum frequentiſſima Procerum manu Rege, in Arcem Regiam delata, ibique admotis excubiis in Coronationis usque diem eſt recondita. Georgius Chanadienſis Epiſcopus Cuſtodiæ præficitur.* Clinodia Imperii noſtri Noribergæ cuſtodiuntur: Corona nimirum: Dalmatica Veſtis Caroli M. precioſis margaritis diſtincta: Paludamentum Cæſareum, cui Aquilæ Aureæ Phrygio opere intextæ ſunt: Stola Aurea: Amiculum rubri coloris: Chirothecæ unionibus ornatæ & ex puro auro textæ: Sandalia: Tibialia Caroli M. Zona: Pomum Aureum: Sceptrum: Enſis V. *Maleneſ. L. III. de Coron. Ferd. II. f. 88.*

DISSERTATIO V.
DE
INAUGURATIONIBUS
REGIIS.
CAPUT I.

Juramentum Regum: Profeſſio Fidei: Religio: Rex Suediæ jurat in Auguſtanam Confeſſionem: Rex Galliæ communicat ſub utraq;: Oblationes: Peregrinationes Religioſæ, in Gallia ad S. Marculphum, in Polonia ad S. Stanislaum: Numi miſſiles: Creatio Equitum: Inſtructio Convivii: Bos aſſatus in Imperio & Suedia.

I.

SOlennium, quæ Reges ipſi præſtant, finis eſt declarare, quales futuri, quove animo Subditos ſuos complexuri ſint. Ideo jurant, fidem profitentur, munera erogant, convivia inſtruunt, ut teſtatum faciant, ſe pios, religioſos, Clementes, Munificos fore; In quibus dilucidandis nunc verſabimur, inde Specialia Regnorum quorundam Solennia, tunc cognatam Inaugurationibus Coronationem Matrimonialem, & demum oppoſitam Abdicationis materiem viſuri.

II. Et primo quidem Juramentum præſtari ſolet, tum in Temperamentum quoddam metuendi abuſus Summæ poteſtatis; tum in Securitatem Subditorum, qui inde certi fiunt Leges, Conſuetudines & Privilegia ſua naufragium non paſſura. Ideo Richardus Angliæ Rex conjuratus ab Archiepiſcopo & prohibitus ex parte Dei, ne hunc honorem ſibi aſſumeret, niſi in mente haberet, tenere Sacramenta & Vota, quæ fecerit, reſpondit, ſe per Dei auxilium omnia ſupra dicta obſervaturum bona fide. *in Scriptt. Angll. p. 1159.* In Gallia eſt Sacramenti Formula ex ritu antiquo: *Promitto futurum me poſthac Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ Protectorem, abacturum ditione mea Hæreticos: privilegia Eccleſiæ conſervaturum: Leges populis daturum ex æquo.* Quam Cardinalis Joüſa tactis Evangeliis a Rege Ludovico XIII. ſolenniter exegit. *Gramond. Hiſt. Gall. L. 1. ad Annum MDC X.* Et ſimilem habet in enumeratione Inaugurationis Ludov. XIII.

XIII. ſed verbis diſparem. *Contin. Thuan. L. III. ad A. MDCX.* Eademque a Ludovico XIV. præſtita. *Et in hæc verba juramenti Evangelica porriguntur, quæ ut manus dextræ indice, medioque digito ex more contingebat,* ſic me, *inquit*, Deus adjuvet & hæc Sancta Dei Evangelia! *Thulden. ad A. MDCLIV.* In Imperio noſtro Juramentum duplex proponitur, alterum ante Unctionem, alterum poſt Collationem Clinodiorum. Ita enim de Coronatione Caroli V. teſtatur ſæpe cit. *Hartmann. Maurus. Poſtquam ad finem perducta Litania ſurrexiſſet, rogavit ab eo Archiepiſcopus Colonienſis Lingua primo Latina, an fidem Catholicam operibus juſtis ſervare? An Eccleſiarum Tutor & Defenſor? Num Regnum efficaciter ſecundum Juſticiam defendere vellet? An Jura Regni diſperſa congregare? An viduarum miſerabiliumque perſonarum pius Defenſor & Judex futurus? An Romano denique Pontifici debitam ſubjectionem exhibere vellet? Ubi hæc omnia ſe facturum appromiſiſſet ductus ad Altare poſitisque ſuper dextrum cornu duobus digitis conceptis verbis hoc modo juravit:* Sic volo & in quantum divino fultus fuero adjutorio precibusque Chriſtianorum fidelium adjutus valuero omnia præmiſſa fideliter adimplebo, ſic me Deus adjuvet & Sancti ejus! *Coron. Carol. V. in Part. III. Polit Imp. Goldaſt.* Mox vero iterum poſt accepta Clinodia & *Coronatione expleta Regia Majeſtas aram acceſſit, moreque majorum Sacramentum ſuper altare ſacrumque Librum Evangelicorum e Scripto legendo in hanc ferme ſententiam Latine præſtitit:* Profiteor & promitto coram Deo & Angelis ejus, Leges ſervare; Juſtitiam facere, jura regni conſervare, debitumque honorem Romano aliisque Pontificibus atque vaſallis exhibere, donata Eccleſiis conſervare, Chriſto mihi præſtante auxilium, fortitudinem & decorem. *Ibidem.* Et ab Imp. Leopoldo *quæſitum an fidem Catholicam ſubditumque ſibi populum defendere, ſuum cuique jus reddere, Imperii Majeſtatem augere, & Romani Epiſcopi Decretis dicto audiens eſſe vellet: Quod ubi promiſiſſet, quæſitum & a Confeſſu eſt, num Regi ſuo fidem & obſequium ſponderet, acclamatum eſt ab omnibus: Spondemus.* Poſt intervenere Unctionis & Clinodiorum ritus; Et *juravit deinde Vetus Jus jurandum. Thulden. ad A. MDCLIIX.* Confer *Anon. Deſcriptionem Coronationis Ferdinandi IV.* E Veteribus Impp. jam tum ante mille Annos Imperator Anaſtaſius, antequam coronaretur, jure jurando ſe recepit Decreta Concilii Chalcedonenſis rata habiturum &c. quod laudat *Reinking de R. S. & Eccl. L. 1. cl. III.*

Digitized by Google

cl. III. c. IX. n. VII. In India Orientali Rex Peguanorum poſt acceptam Coronam Plumbeam (qua de V. *Diſſ. IV. c. III. §. V.*) jurat ſuper Cineres primi & antiquiſſimi Anteceſſoris ſui: Men brengt hem een vat van Eſmerande / daer d' Aſche van d' eerſte Koning van Pegu in is / op de welcke hy zweert / dat hy al t' geen / t' welcke zyne voor zaeten onderhouden en bewaert hebben / onderhouden en bewaren zal / ja ook tot koſten van zyn Leven. *Le Blanck. Itiner. P. I. c. XXII.* De aliis Regnis videndi paſſim Hiſtorici.

III. Fidei Profeſſionem partim Verbis juramento implicitis, partim Sacræ Cœnæ perceptione teſtantur. Ita Angliæ Rex Jacobus *accepto Enſe Regio de Fide ſua cunctis Regni Ordinibus proteſtatus fuit, Thuan. L. CXXIX. A. MDCIII.* Quæ erat, veluti hodienum id obſervatur in Angliæ Regibus, Religio Reformata, ſed Hierarchia Eccleſiaſtica temperata, unde tritus in Anglia ſermo: *No Biſhop, no King*, quo Hierarchiam poteſtati Regiæ æquiparant; Sed pluribus hac de re in *Diſſert. de Hierarchia Eccleſiaſtica* agendum erit. Similiter Rex Suediæ in Auguſtanam Confeſſionem jurat, quam ſi relinquat, *per Jura Regni Suediæ degradari, illiusque Bona privata confiſcari poſſe Suediæ Populus affirmat Sprenger. Perſpicill. Chriſt. Orb. p. 155.* Hinc Lites Sigismundo Poloniæ ac Suediæ Regi in Suedia motæ, ac ipſum Regnum tandem A. M DC IV. abrogatum, quia Romano-Catholicus erat. V. *Joh. Typotii Relationem Hiſtoricam de Regno Sueciæ & Bellis civilibus atque Externis, Francof. M DC V. 8o.* Et Sereniſſimam Chriſtinam ex eodem capite ſe Pontifici M. commendantem diſertis verbis inducit *Thuldenus* Vir Romano-Catholicarum partium *ad A. M DC LIV. Se nempe Catholicæ Religionis amore captam Regnum etiam contemnere.* Dixerat enim antea Reginæ illud deſiderium in occulto latere debuiſſe, ne ea res ſibi fraudi eſſet in Suediæ Regno, ubi nulli liceat ſine capitis periculo Romanæ Eccleſiæ Inſtitutionem profiteri. Quod ipſa etiam ſeculo A. M DC LX. coram experta fuit, cum in Aula Holmenſi Exercitium Religionis Catholicæ moliretur; Neque enim vel abſoluto jure ſuo, quod prætendebat, vel Inſtantiſſimis pro privatiſſimo ſaltim exercitio Religionis ſuæ precibus cauſam dicere poterat, quo minus ſacrificulũ ejus ſimul parte familiæ e Regno Suediæ dimitterent: Clero urgente, daß ſolches Exercitium, es geſchehe in geheim oder öffentlich / in dem 1. Art. der Norcopingiſchen Verſicherung / in dem Stockholmiſchen Rechte / in der Geiſtlichen

lichen Privilegien / und Ih. Maj. des Königes Carl Guſtafs Verſicherung von A. 1654. und 55. ſchlechter Dings verbotten / daher denn folge / daß alle ſolche Geiſtliche Receſſen / Beſtätigungen / Verſicherungen müſſen aufgehoben und ausgetilget werden / wo das erwehnte Exercitium ſolle ſtatt haben. V. *Diar. Eur. Contin. V. ad A. MDCLX. M. Octobr.* Pro Catholica Religione in Imperio noſtro aliquid hactenus tentatum fuiſſe teſtantur Juramenta ſuperius adducta, idemque Capitalationes initiis ſuis fere loquuntur: *Quod toto Regiminis noſtri tempore Chriſtianitatem ac* Sedem Romanam, Summum Pontificem *& Chriſtianam Eccleſiam, tanquam ejusdem Advocatus in bona ac fideli protectione & tutela conſervabimus, Art. 1. Capit. Leop.* Quæ & ſimilia v. præc. *Diſſ. II. c. 1. §. VII.* Similia in Regno Poloniæ & Hiſpaniæ occurrunt; V. de illo præter varia acta *Diſc. Andr. Maximil. Fredro de Electione Reg. Polon. in Append. ad Contin. VII. Diar. Europ. p. II. p. 102.* In Regno Galliæ, durantibus turbis nomine Electionis Henrici IV. tunc temporis adhuc Reformati, prolixo ſcripto publicatum fuit: *Admiſſionem Henrici Legibus Regni adverſari, in quo conſtet a Clodevæi temporibus*, neminem admiſſum, qui non Catholicus fuerit, *qui non in ea ſe Eccleſia vivere & mori velle, eamque Religionem tueri & contrarias ei ſectas extirpare jurejurando confirmaverit, id Blœſenſibus Comitiis A. MDLXXVI. magna omnium ordinum conſenſione ſanctum*, & ut Lex illa deinceps tanquam certiſſimum fundamentum religioni conſervandæ ſubſterneretur, *decretum, Thuan. L. CV. ad A. MDXCIII.* Unde & tranſitus Henrici ſecutus fuit, qua de re V. eund. *Thuan. L. CVI. & CVII.*

IV. Fidem deinde perceptione Sacræ Cœnæ confirmant. V. Hiſtorias Inaugurationum Imperialium, Gallicarum, Hiſpanicarum paſſim. Peculiare eſt, Regem Galliæ, licet Catholicus ſit, tunc Sacramento SUB UTRAQUE Specie frui, *quod non ſolet, niſi a Sacerdotibus fieri; Sed in Regum Galliæ Conſecratione iis etiam non ſine Privilegio conceditur. Thulden. l. ſæp. cit. de Coron. Ludov. XIV.* Unde cum in Concilio Tridentino Oratores Gallici Patres hortati eſſent, ut Calicis communionem concederent, ita tamen petiere, *ut neque prærogativæ Regum Galliæ præjudicarent, quoniam in Inauguratione ſua Calicem accipere conſueverint; Neque Conſuetudini receptæ in quibusdam ejus Regni monaſteriis Calicem Monachis ſtatis temporibus miniſtrandi.* P. Suav. Hiſt. Conc. Trid. L. VI. Cui reſponſum eſſe doceт

cet *Pallavicin. L. XVII. c. VII. n.* 13. In Decretis paratis eos damnari, qui neceſſitatem Divinumque Mandatum ſumendi utramque ſpeciem affirmarent, non item eos, qui ex veteri Privilegio aut ritu id uſurparent, nihil tamen in Fide ab Eccleſia diſſentientes: Non eſſe Mentem Concilii quicquam de iis innovare, imitantis Innocentium III. in Cap. Poſtrem. Tit de Baptiſmo. Rationem iſtius ritus reddit *Gramond. L. I.* Quia Reges uncti ſint, quæ tamen nobis generalior videtur, quam ut hic applicari poſſit, cum alii Reges Catholici, licet uncti ſint, iſtud privilegium non habeant. Vid. & *Continuat. Thuan. ad cit. ante A. MDCX.* Imperatorum mos antiquus in Coronatione Romana qui fuerit, docemur exemplo Caroli V. cui *Pontifex Sacroſanctiſſimum Dominici corporis Sacramentum in alia minori hoſtia propriis manibus miniſtravit. Quod cum ille devotiſſima reverentia accepiſſet, ſurgens Pontificem in maxillam oſculatur, rurſusque recumbens in genua, e manibus Diaconi Cardinalis*, Vinum, quod vocant Perceptionis, *recepit præguſtante ſibi Reverendo Caurienſi Epiſcopo. Henr. Cornel. Agripp. de Coron. Carol. V. avud Bononiam in Gold. Polit. Imp. p. IV. n. VII.* Quod traditur etiam *in Ceremon. Rom. L. I. ſect. V. de proceſſu & Ordinatione in Unctione Imp. Rom. &c.* apud *Goldaſt. Conſt. T. I. p. 417.* Imperatorem percepto Sacramento & oſculo Pontifici M. fixo de manu Diaconi *Vinum Purificationis*, veluti ibi nuncupatur, debere accipere.

V. Porro adjiciunt Dona Altari inferenda In Gallia Vas Vino repletum, duos magnos Panes, *quorum alter auro, alter argento inductus eſt*, & Sacculum, *in quo ſunt tredecim Coronati Aurei. Phil. Honor. Prax. Prud. Polit. p. 11. Diſſ. de Coron. Reg. Gall. Contin. Thuan. Thulden. ll. cc.* Et Bohemiæ Rex, *ubi ad Offertorium ventum eſt, canendo invitatur e Solio, ac inter duos Antiſtites medius ad Aram proficiſcitur, acceptaque ex Dapiferi & Pincernæ manibus* duo panis Liba ac totidem Vini vaſcula *Archiepiſcopo ſuper altare offert. Thuld. de Coron. Leopold. in Regem Bohemiæ ad A. MDCLVI. p. 275.* Quo reducimus & Profectiones Religioſas, ſeu, ut alias efferuntur, Viſitationes Sanctorum, non quidem in ipſo Actu, ſed juxta eum inſtitutas. Talem Rex Galliæ poſtridie Coronationis *ad D. Marculphum* (contin. Thuani l. c. *Marcellum* vocat) inſtituit, Novemdiales preces ibi fuſurus; qua de re Cap. Seq. nonnulla adhuc monenda erunt. Henricus IV. v. acceſſu ejus prohibitus apud S. Claudium preces novem-

Digitized by Google

vemdiales dixit: *Scip. Du Pleix. Hiſt. de Henr. IV. n. 8.* Reges Poloniæ pridie Coronationis proficiſcuntur ad locum Martyrii S. Stanislai in Rupella vulgari nomine *Skalkà* dictum, qui Stanislaus, dum Sacra peraget, a Rege Boleslao Audace Caſimiri ex Monaſterio Cluniacenſi ad Regnum aſſumpti Filio A. MLXXIX. Non. Mai. occiſus fuit. *Piaſec ad A. MDCXXXIII. de Coronatione Vladislai Regis p. 458.* Confer *Joh. Longinum Canon. Cracov. de Rebus geſtis S. Stanislai in T. U. Surrii de Vit. Sanctor. Baron. Martyr. ad VII. Mai.* Hujusque Caput auro incluſum deoſculantur, quod ex privatis Relationibus de Coron. Joh. Caſimiri didicimus, ibidemq; eadem die Vladislaus *ex manibus Archiepiſcopi Gneſnenſis Sacram Eucharistiam ſumſit. Piaſec l.c.* Apud Turcas talis eſt Profectio ad S. Hiobum, a qua Regimen ſuum Novi Imperatores auſpicantur. Es iſt bey ihnen gebräuchlich / ſo oft ein neuer Kåyſer erwehlet wird / daß man ihn mit groſſer Pracht und Herzlichkeit / an ein gewiſſes Ort in den Vorſtädten zu Conſtantinopel / welches ſie Job nennen / weil alda das Bildniß eines Propheten oder ſonſt heiligen Mannes / welchen die Türcken / als die von denen Antiquitäten keine Wiſſenſchafft haben / vor den Job gehalten / davon man ſo viel geredet / und von ihnen allezeit als eine Form und Beyſpiel der Tugend und Gedult vorgeſtellt worden / begleiten. Wann Sultan an obgedachten Ort gelanget / hält man ein öffentlich Gebet / und bittet GOtt / daß er den / welcher ein ſo herzlich und hochwichtig Amt betreten ſoll / mit ſeiner Weisheit erfüllen wolle / worauf ihn der Mufti umfaſſend ihm den Seegen gibt / und der Groß-Türck verſpricht und leiſtet einen offentlichen Eyd / daß er den Glauben des Muſelmanns / und die Geſetze des Propheten Mahomets beſchützen wolle. Hernach machen die Vezier und die andere Baſſen eine tieffe Reverentz / und nachdem ſie die Erde und den Saum ſeines Rockes geküſſet / erkennen ſie ihn vor ihren rechtmäſſigen und warhafften Kåyſer: Nach vollendeten ſolchen Ceremonien führt man ihn mit gleicher Pracht und Magnificentz in den Kåyſerl. Pallaſt / welcher allezeit der Ottomanniſchen Fürſten gewöhnliche Wohnſtatt iſt. Durch ſolche Weiſe verpflichtet ſich der Groß-Türck ſich nach deren Geſetzen zu regieren / und deren Schrancken nicht zu überſchreiten. *Autor Stat. Turc. Lib. I. c. II.*

VI. Munera erogari curat Novus Rex, ad recreandum populum, ipſique ſe non ſordidum aut inique tenacem, ſed munificum fore, declarandum: Miſſilia ſeu Numos Miſſiles vulgo vocant, & ſuis

Digitized by Google

Impreſſis ſeu Phrenoſchematibus inſtrui ſolent teſtaturis Virtutes, Spem, Fortunam, Potentiam & ſimil. Novorum Principum. Talia erant Auguſti Noſtri Leopoldi cum Symbolo ejus: *CONSILIO ET INDUSTRIA*; ab altera: *LEOPOLDUS HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ REX CORONATUS IN REGEM ROMANORUM 1. Auguſti Anno 1658.* Ferdinandi IV. cum Elogio: PRO DEO ET POPULO. Maximiliani II. erant *hinc cum Effigie Regia & Inſcriptione: MAXIMILIANUS D. G. REX BOEMIÆ, inde cum tali appendice: CORONATUS EST IN REGEM ROMANORUM, 1. 5. 6. 2. Mod. Pand. Triumph. T. 1. L. IV. in Gold. Pol. Imp. P. IV. p. 287.* Ludovici XIII. Numis *inſculpta erat effigies Regis eo habitu, quo ſolio Regni recubuerat. Ex adverſo Numiſmatis erumpebat fracta ex nube manus Sacram Ampullam tenens aureoque rore irrigans ſolum in hæc verba:* GALLIS (non male, verbum tamen iſtud non fuit, ſed FRANCIS. V. Tr. cum Tit. *Figures des Monnoyes de France*) DATA MUNERA COELI. *Gramond. cit. L. 1.* Quod quid in receſſu habeat, dictum præc. *Diſſ. IV. c. 11. §. IV.* Jacobi Regis Angliæ Numum exhibuimus *Diſſ. 1. c. 11. §. IV.* Et alium, *Diſſ. III. c. I. §. VI.* cum Verbis *HENRICUS ROSAS, REGNA JACOBUS*, quia ille Regna Angliæ & Scotiæ primo conjunxerat, veluti Henricus VII. Roſæ Rubræ & Roſæ Albæ factiones h. Lancaſtrenſes & Eboracenſes, compoſuerat. Caroli II. Impreſſa erat: EVERSO MISSUS SUCCURRERE SECLO: Figura, Angelus ſedenti Coronam imponens. Caroli Guſtavi Regis Suediæ Numi Averſâ Heroinæ effigiem armato Diadema imponentis exhibebant cum Inſcriptione: A DEO ET CHRISTINA. Plura V. apud *Octavium Stradam de Vitis Impp. ad Matthiam usque cum Effigiebus & Symbolis ex Numis petitis Francof. A. MDCXV. & Job. Jac. Luckium in Sylloge Numiſmatum ab A. MD. ad A. MDC. diverſorum Impp. Regum &c. Argentin. MDCXX. fol.*

VII. Equitum Creatio non ignobilem jurium Majeſtatis partem indigitat, quippe qua jubente Dignitates ſuſtinentur *L. V. C. de Dignitat.* In Imperio fiunt Equites Romani, quorum quatuordecim Leopoldus noſter; Ferdinandus IV. ſedecim creavit. In his tenore Privilegii Cæſarei primas tenet Conſul, ſeu, quod Nomen ibi perinde eſt, Camerarius Wormatienſis. Ritus hic eſt: *Rex Viro ſuper Chlamydem, qua dorſum tegit, bis atque iterum ducit enſem, eaque cerimo-*

nia

Digitized by Google

nia in Equeſtrem ordinem legitur. Thulden. de Coron. Ferdin. IV. Sequioris judicii nonnihil de iis videbis apud *Hartmann. Maur. l. c.* Idem Bohemiæ & Hungariæ Regibus factitatur, his Gladio S. Stephani, illis Gladio S. Wenceslai ſuos EQUITES creantibus. Angliæ Reges præter alios *Equites Balnei* creant a prævio Balneo ita dictos & plerumque e Junioribus cooptatos, qui ſi aliquando in deſuetudinem abiere, quod *Camden.* notat *Deſcr. Britann. p. 106*, jam utique de novo efflorueruntac ſigni loco gerunt Medalionem e rubro Vinculo pendulum cum Elogio: *TRIA IN UNUM JUNCTA. V. Segar Honor Militar and Civill. L. II. c. XII. The Glory of England p. 74. Selden. Titles of Honour L. II. c. V. §. XLV.*

VIII. Convivii Inſtructio lætitiam deſignat, ob Regem recens creatum. Ita jam in V. T. Adonias Aggreſſor Regni Iſraelitici *mactatis pecudibus & bobus invitavit omnes Fratres ſuos Filios Regis, & omnes homines Judæ ſervos Regis, 1. Reg. 1. IX. & XIX.* Neque recentibus conviviis enarrandis nunc immorabimur. Hoc ſpeciale tantum adducturi de Inaugurationibus Imperialibus, quod integrum Bovem in iis aſſent, cujus Particula Menſæ Imperiali, reliquum Populo libere auferendum conceditur. Rem integram cum ritu antecedenti, quia lectu non injucunda eſt ex *Diar. Europ. p. 1. p. 919.* huc tranſcribimus: Dieſen Tag ward zu Franckfurth der auf die Käiſerl. Krönung zu braten gewiedemte Ochſe mit vergüldeten Hörnern und mit gelbem weiſſem und ſchwartzem Tuche bedecket von etlichen Fleiſchers-Knechten durch die furnehmſte Gaſſen der Stadt herum geführet / ſelbige Nacht noch geſchlachtet / und des folgenden Tages altem Brauche nach allſo gantz ohne Eingeweide an einem höltzernem Balcken / den zwo Perſonen vermittelſt zweier Räder herum kehren konten / angeſteckt und veſte gemacht / da Er dann in der auf dem Römer-Platze von Bretern hierzu zubereiteten Küchen biß auf beſtimmten 22. Tag Julii bey langſamen Feuer gebraten / auch mit allerhand Feder-Vieh geſpicket worden. Et ſi Lectori noſtro grave non eſt, eandem ex Thuldeno repetimus ad A. MDCLIIX. Vir iſte enim plerumque externis ejusmodi aptior eſt, quam ſeriis Hiſtoriis deſcribendis. *Juvencum altilem Senatus Francophordienſis habebat; non grandi corporatura, ſed pingui admodum, qui ut Lyrici utar verbo, qua notam duxit, niveus videri, cætera fulvus, ante diem tertium Kalendas Sextiles per Urbem ſpectaculo*

ductus eſt, cornua ejus & mentum & bifidæ Ungulæ auro tenui circumpoſito fulgebant: Operimento fulgentiſſimo ad Romanum pertinente Regem & luteo, nigro, alboque coloribus diſtincto inſtratus erat: Sertum viride ac florulentum ex lilionarciſſis, Tulipas dicunt, omni colorum varietate vernantibus, inter cornua & aures, circum frontem & caput ſerpebat. Quatuor eum anteibant Germanicæ Lyræ fidicines, duo tibiis canentes, multitudo ingens puerorum & mulierum ſequebatur, quæ coronati ad victimam Juvenci breve gaudium commiſerans, de ſe mutato nomine querebatur: Ducere enim in bonis dies ſuos hominem, & in puncto ad inferna deſcendere. Deſtinatus rei Coquinariæ Juvencus ad Culinam ut venit, a duobus laniis, qui mappis albentibus præcincti erant, excipitur. Detrahitur ei ſtragulum, vittæ ſerti & verbenarum ſolvuntur, nec ſupereſt quicquam, niſi ut frontem ſupina ſecuri pulſatus, humi procumbat, juguletur, lingua evulſa careat; Id ubi factum eſt, tractorio ſublatus fune & trabe ſuſpenditur, pelle ad mentum & ungulas inauratas exuitur, ventre aperitur, viſceribus inteſtiniſque exemptis aqua pura eluitur: Hoc Laniorum opus fuit: Ubi eum coci accepere, querna & quadrata trabe induitur, collum & caput fune alligantur, reliquum corpus ferreis cuſpidibus per cava ad id comparata immiſſis conſtipatur. Verſatur in tertium diem rotabili machina trabs & ſuppoſita ſartagine liquamen, non flamma ſed prunis aſſo expreſſum recipitur. V. & *Modium l. ante cit. in P. III. Polit. Imp. Gold. p. 288.* Simile in Regno Sueciæ obſervatur, & tempore Inaugurationis Caroli Guſtavi *Bos ferarum & altilium vario exquiſitoque genere fartus, ac per dies aliquot ad prunas ſubjectas per Culinariæ rei miniſtros verſatus, populo ſpectanti in prædam ceſſit. Thulden. ad A. MDCLIV.*

CAPUT II.

Mutatio Nominum apud Æthiopes, Veteres Reges Orientales, Pontifices, Patriarchas, Privatos, Judæos: Originem ejus inter Pontifices falſo a Sergio, & Priori ejus nomine, quod Os Porci fuerit, peti: Regis Galliæ reclinatio in Lectum: Emiſſio Avium: Ejuſdem receptio inter Equites S. Spiritus: Imperatoris Receptio inter Canonicos: Doni ſtrumis ſanandi Origo, Eventus, Cauſæ, Hiſtoria; Vexillorum prælatio: Aeris percuſſio: Frameæ traditio: Veterum Perſiæ Regum ritus &c.

I. Spe-

I.

SPecialia Inaugurationum viſuris initium ducere placuit a Mutatione Nominis, quæ quidem inter Reges Europæos hodie nulla eſt, niſi quod Carolum IV. ante Wenceslaum dictum commemoret *Rumelin. ad A. B. Diſſ. 1. §. XI.* Chriſtianus Rex Abyſſinorum tamen ea utitur. *Mos in Æthiopia invaluit, ut tempore Inaugurationis Regibus Æthiopiæ boni ominis cauſa cognomentum aliquod votivum, quod deinde Nomini Baptiſmali plerumque prævalet, acclamaretur. Hotting. Topogr. Eccl. Or. c. V.* Quo intuitu *Atani Tingbil*, qui ad Emanuelem Regem Portugalliæ ſcripſit, ſe Inaugurationis tempore *Davidem* vocatum dicit apud *Damian. de Goes de Mor. Æthiop.* Ac Nomen Precioſi Johannis inde enatum ſuſpicatur *Hottinger. l. ante cit.* Qua de re actum fuit præc. *Diſſ. II. c. III. §. VI.* Eandem inter veteres Reges Orientales in Uſu fuiſſe docemur exemplo Darii Codomanni, qui *poſt mortem Ochi Regis ob memoriam priſtinæ virtutis Rex a populo conſtituitur Darii nomine honoratus. Juſtin. L. X.* Cui ratio additur: *Ne quid Regiæ Majeſtatis deeſſet.* Et *Artaxerxes Mnemon* ante *Arſicas* vel *Oartes* dictus fuit. *Plut. in Artax. init.* Item in Exercitu Alexandri M. *pedites Arideum Alexandi Fratrem Regem appellant, ſatellitesque illi ex tribu ſua legunt, ac Nomine Philippi Patris vocari jubent.* Idem *Juſtin. L. XIII.* Sic Curtius de Omphi Rege Indiæ: *Omphis permittente Alexandro & Regium Inſigne ſumſit & more gentis ſuæ Nomen, quod Patris fuerat, Taxilea appellavere Populares, ſequente Nomine Imperium, in quemcunque tranſiret. L. IIX. c. XII.* Et ap. Romanos Alexianus cum a Pſeudo-Antonino Cæſar declararetur, Alexander nuncupatus fuit, avito ſuo nomine in Macedoniæ Regis Nomen mutato *Herodian in Elæolpab. L. V. Xiphilin. in eod.* Apud vetuſtiſſimos Gentiles nomina eorum, qui in Deos referebantur, mutari ſolebant; Veluti quæ antea Ino, vocata eſt Leucothea vel Matuta, Romulus Quirinus &c. *V. Voſſ. Th. G. L. I. c. XVII.* In cujus imitationem forte fieri dices illam in Sacro Ordine *μετονομασίαν*, qua ipſi Pontifices Maximi Imperium ſuum inchoant, Nomen ſtatim mutantes, atque Electio facta eſt, quod etiam cum prima Pontificis proclamatione ad populum ſtatim defert Cardinalis huic negotio deſtinatus: *Ecce annuncio Vobis Gaudium Magnum: Pontificem habemus Eminentiſſimum & Reverendiſſimum N. qui ſibi Nomen impoſuit N. Thulden. ad A. MDCLV. de Coron. Alex. VII.*

Ita-

Itaque Pontifex M. Clemens IX. ante Julius *Roſpiglioſi* vocatus fuit, Anteceſſor ipſius *Fabius Ghigius Alexander VII.* & ante eum *Joh. Baptiſta Pamphilius Innocentius X.* dici voluit; Neque proximis hiſce ſeculis aliter factum fuit, niſi quod præcedenti ſeculo *Adrianus VI.* & *Marcellus II.* eadem nomina retinuerint, quæ ante habuerant. In fine Vitæ tamen videntur Nomen priſtinum ſubinde revocari paſſi eſſe: Qua de re v. infra *Diſſ. XIII. Cap. II. §. X.* De initio ab Hiſtoricis ambigitur, & vulgo qudem id Sergio II. tranſcribunt, qui antea *Os porci* dictus fuerit, atque ad declinandam Nominis ſpurcitiem aliud Nomen aſſumſerit, quam in rem præter Compendia Hiſtorica allegamus *Joh. Stellam. de V. Pontificum ad A. DCCCXLIX. Hic, cum prius* Os Porci *vocaretur, ob deformitatem Nominis mutare Vocabulum coactus eſt, & ſe Sergium appellari fecit, & inde mutandorum nominum conſuetudo ſumta eſt.* Sed dubitandi ratio prægnantiſſima hæc eſt: *Os Porci* non potuiſſe prænomen fieri, quippe alienum ab omni & Chriſtianorum & Gentilium Ὀνοματοθεσίᾳ: Quotusquisque Parentum enim pateretur, prolem ſuam immundo ejusmodi nomine onerari? Tanto minus autem Familiæ Illuſtres id admittent, quali aliqua Sergium noſtrum natum fuiſſe idem *Stella* prædicat; Et educatum præterea a Pontificibus Leone ac Stephano a majoribus ſuis non degeneraſſe dicit: Cur ergo Os Porci Puerum bonæ ſpei appellari voluiſſent? Cognomen vero & Nomen Familiæ ſi fuerit, non utique refragabimur, cum hodienum in Italia Familia ſit *di Bocca Porcina* ſ. *Os Porci* dicta, ſed ideo Sergium Nomen non oportebat mutare, quia mutatio in Prænominibus, non in Cognominibus accidit. Veroſimilius itaque eſt, Veteres hac re Exempla Sacra imitari voluiſſe; Ita enim in V. T. Deus Abrahami, Saræ, Iſraelis & in Novo Chriſtus Petri, Benehargem & ſ. novas appellationes induxit, quarum ratio fuiſſe videtur, ut eſſent Servis iſtis Dei velut Sacramenta Rerum Maximarum, & ſicuti Chryſoſtomus loquitur de Petri nomine differens, διηνεκοῦς διδασκαλίας pro jugi Magiſterio, quæ fidei ipſorum novas in dies, in horas vires ſufficeret, *Boxborn. Hiſt. Un. ad A. XXXII. 85.* Quod tamen quomodo in hodierna μετονομασίᾳ quadret, Theologis committimus. Interim potuerunt hiſce initio moveri, & tanto magis quidem, quanto longius nomina Candidatorum Pontificatus ab ſolito in Italia idiomate deviarunt, quod inde colligere eſt, quia primis initiis nulla frequen-

quorum ſui Nominis mutatio, quam cum Germani ad Thronum Pontificium eveherentur, quemadmodum Bruno & Hildebrandus Gregorii, Gerbertus Silveſtri nomen aſſumſere, Quorum Nomina pro Italica pronunciatione nimis aſpera erant. Confer *Th. Browne Enquiries into Vulgar Errours.* Similis ratio eſt apud Patriarchas Conſtantinopolitanos & Ruſſicos. Ita Michaelis Federowicz in Ruſſia Parens *Fedor Nikititz*, cum Patriarcha creatur, dictus fuit *Filiret Nikititz. Olear. Itin. p. m. 58. Georg. Scholarius* primus poſt captam Conſtantinopolin Patriarcha *Gennadius* dicebatur. V. *Cruſ. Turco-Græc. p. 108.* Et *Malaxus in V. Maximi* Patriarchæ eum antea *Manuelem* vocatum ſcribit: Ὀπο[illegible] ἦτο μέγας Ἐκκλησιάρχης τῆς μεγάλης ἐκκλησίας ταύτης τῆς Κωνσταντινουπόλεως ὀνόματι Μανουήλ. ἔκαμαν δὲ αὐτὸν τὸν μέγαν Ἐκκλησιάρχην καλόγηρον καὶ ἐμετονόμασαν αὐτὸν Μάξιμον. *Erat ille Magnus Eccleſiarcha magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, dictus* Manuel. *Sumſere autem Magnum iſtum Eccleſiarcham Monachum, & mutato nomine dixerunt* Maximum. Ubi tamen diſcrimen hoc notandum eſt, Mutationem in Sede Romana arbitrariam eſſe, apud Græcos autem & Ruſſos eidem literæ alligatam, quod in allegatis exemplis etiam liquet, ut *Fedor, Filiret, Manuel, Maximus, &c.* De privatis ejusmodi Μετονομασίαις nihil dicemus: Non illicitas haberi docemur *l. un C. de Mutat. Nom.* Sic Eraſmus genuinum Nomen ſuum, *Gerbardus Gerbardi*, quia vocabula avidum, deſiderabilem & amabilem indolem ipſi denotare videbantur, cum iſto, quo vulgo innotuit, *Deſiderii Eraſmi* commutavit. *Voſſ. de Theol. Gentil. L. III. c. LXXXV.* Confer *Majorag. Or. X.* ubi defendit *Bapt. Egnatium*, qui prius dicebatur Johannes de Cipellis. *Fabium Vigilem*, qui Fabianus Vitula, *Pierium Valerianum*, qui Petrus Valerii, *Phædrum Volaterianum*, qui Thomas Ingeramius; *Janum Parrhaſium*, qui Joh. Paul. de Pariſiis. Adde *Ebert. noſtrum Spec. Moral. Ogdoad. II. Diſp. VI. Q. V.* Sabino noſtro quoque Nomen ſuum a Poëtis iſtius temporis mutatum, ut Vocabulo ex veterum Poëtarum Catalogo ſumpto *Sabinus* pro *Schulero* diceretur. Judicarunt enim ſimul illi una cum Præceptoribus nomen exile Schuleri, quod Scholaſticum ſeu Diſcipulum noſtrate Lingua ſonat, tanto Poëta indignum eſſe. Lemnii hoc eſt ea de re Diſtichon:

Diceris Ingenii propria virtute Sabinus,
Alter de Patria Gente Sabinus *eras.*

Q P. Al-

P. Albin. in V. Sabin. p. 8. 9. Apud Judæos μετονομασίαι in hunc uſum trahuntur, ut eas adhibeant, ſi periculoſis morbis affligantur, cujusmodi Formulam recitat Buxtorfius *Synag. Judaic. c. XLIX. Miſereatur Deus ſuper N. vitæque ac valetudini priſtinæ eum reſtituat*, voceturque Nomen ejus in poſterum N. *lætetur in nomine hoc ſuo, & confirmetur illud in eo &c. Sit quæſo beneplacitum tuum, ô Deus, ut* mutatio nominis ipſius *faciat ad abolendum ab eo omnia decreta dura & mala & ad lacerandam ſententiam contra ipſum latam; Si mors decreta eſt ſuper N.* (nomen prius) *non tamen decreta eſt ſuper N.* (nomen poſterius & novum) *ſi Decretum malum factum eſt contra N. non eſt factum contra N. Ea hac hora eſt quaſi Vir alius, ſicut Creatura Nova & ſicut parvulus recenter natus ad vitam bonam & longitudinem dierum &c.* Confer *præfat. in Concordant. Hebr.* Nec valde diſſimile eſt Comitis Olivarienſis, Don Caſpari de Guzman exemplum, qui cum Filium ſuum Naturalem A. MDCXLII. publica agnitione legitimaret Nomen Juliani in Baptiſmo ipſi impoſitum, utpote Hiſpaniæ Regibus ſemper infauſtum, ei abrogavit, & Henricum Philippum vocavit. *Vittor. Sir. T. II. Mercur. L. 1.* & ex eo *Muller. Gamolog. c. XXVI. n. IX.* Deinde de Catholicorum more addendum, qui Tranſeuntium ad ipſos ab Evangelicis nomina non mutant, novo nomine adjecto tamen augent: Qua de re gravis querela Cleri Suedici extat indignantis Sereniſſimæ Chriſtinæ Reginæ Suediæ Mariæ & Alexandræ nomina adjecta cum Confirmatione Catholica afficeretur A. MDCLV. d. XXV. Dec. Der Titel/ſo einer groſſen Tochter/ ſey zwar ein groſſes und wichtiges Argument für ſie: Sie führe aber nunmehr nicht von ihrem Herrn Vater den Namen Guſtava, durch Verſetzung der Buchſtaben Auguſta, ſondern von ihrem neuen Vater dem Röm. Pabſte/welche der wahren Evangeliſchen Religion und deſſen Anverwandten / einſolgig auch der Cron Schweden ärgeſter Feind mit wäre / von dem Alexander nemlich den Namen / daß ſie Chriſtina Alexandra hieſſe. *Diar. Europ. Cont. V. ad d. 29. Octobr.* Hiſtoriam ipſam habes ap. *Thulden. ad A. LV. P. II. p. 99.*

II. In Gallia a Regis in lectum reclinatione indeque pulſatione forium Conclavis Regii & trina Regis petitione ab Epiſcopis facta Inaugurationem auſpicantur. Integrum ritum exhibet *Continuator. Thuani l. ſæpe cit.* in Coronatione Ludovici XIII. Abiiſſe Laudunenſem & Bellovacenſem Epiſcopos ducente Ceremoniarum An-

[illegible] omnibus Canonicis & Monachis B. Virginis; *[illegible] Cubiculum Regis venissent & Januam clausam invenissent*. Episcopus Laudunenſis eam tribus vicibus pulſavit: *Quod quoties faceret, toties Dux Eſquillonius ſupremus præfectus Cubiculi Regii quærebat*: Quid vultis? *Epiſcopus reſpondebat*: Ludovicum XIII. Filium Henrici Magni conventum cupimus: *Cubiculi autem Præfectus regerebat*: Ille dormit. *Cum idem prima & ſecunda vice quæſitum & reſponſum fuiſſet, tertia Præfectus denuo, quid vellent, rogavit. Epiſcopus v. dixit*: Ludovicum XIII. quem Deus nobis Regem dedit, accerſitum venimus. *Tum Janua aperta & Epiſcopus Bellovacenſis Phonaſco Remenſi & Rocquemantio comitatus intromiſſus fuit*, qui Regem invenerunt in Lecto magnifice ornato cubantem &c. *Cum in conſpectum Regis veniſſent Epiſcopus Laudunenſis Orationem habuit, qua finita ambo Epiſcopi manum obſculati Regem ex Lecto ſuſtulerunt &c. ac mox eundem cantantes ſolemni pompa usque ad Portam Regiam templi deduxerunt.*

III. De Sacramenti ſub utraque Perceptione ibidem uſitata jam dictum *præc. c. 1. § III.* Solentque & aves Corbi vimineo incluſæ ipſa in Baſilica ſtatim ab Unctione Regis emitti ad declarandum Gratiam Principis etiam ad Bruta porrigi, vel plenam ſubditis Libertatem ſub Bono Principe dari. *Thulden. Gramond. Contin. Thuan ll cc. Poſtridie Coronationis* Rex in S. Spiritus militiam ſolita ceremonia aſcribitur. *Poſt veſpertinas preces ex S. Spiritus Officio cantari ſolitas ante aram in genua procumbit & contacto Evangeliorum Libro privilegia Ordinis conſervaturum ſe jurejurando promittit. Aureus Torques collo injicitur: Crucis figura ex auro efformata & Candido encauſto picta in ſiniſtrum latus e vita cœrulea demittitur. Thulden. l. c. Adde Gramond. & Contin. Thuan.* Conſtituitur etiam Abbas S. Hilarii apud Pictavienſes; Cui æquiparaveris, quod Imperatores noſtri ſoleant inter Canonicos Aquiſgranenſes cooptari. V. Elect. Maximiliani II. ab Heidenis deſcriptam *Polit. Imp. Gold. p. 1. p. 105.* Et per Coronationem Romanam Canonici in Baſilica S. Petri fiant. *Henning. Goden de Electione Imp. ibid. p. 217.* Reges Hiſpaniæ etiam Canonici Burgenſes fiunt. V. *Jam. Howel. de Præced. Sect. III. Cap. VII.*

IV. Sequitur nobilis Cerimonia *Strumoſos Tangendi* quam Reges Galliæ redditi jam Equites S. Spiritus, factaque viſitatione S.

 Mar-

Marculphi, primo peragunt, cæterum v. cum Angliæ Regibus communem habent, hoc tamen inter alia diſcrimine, quod hi etiam ante Inaugurationem factam ſe ei accingant: Quemadmodum Carolus II. jam tum Hagæ Comitum eam perfecit, quod prolixe refert *Thulden. ad A. MDCLX. p. 413.* Ejus rei Originem Angli ab Edvardo Confeſſore, Ultimo Anglo-Saxonum Regum, petunt. *Polyd. Virgil. Hiſt. Angl. L. IIX.* Galli modo a Clodovæo I. & Ampullæ Remenſis miſſione arceſſunt, *Forcatul. de Imper. & Philoſ. Gall. L. I. c. LIX.* modo precibus S. Marculphi tribuunt. *V. Papir. Maſſon. in Annal. Franc. Robert. Cœnalem L. 1. Deſcr. Gall. Perioch. XIV. f. 110.* Alii non niſi tertio Capetinæ Regum Galliæ Familiæ tranſcribunt; Veluti *Scipio du Pleix* in Ludovico Nono aperte fatetur, ſe nullum adhuc veſtigium ejus gratiæ in duabus primis Regum Galliæ familiis vidiſſe, nec veriſimile eſſe, ſi ea præditi fuiſſent, quin ejus temporis Hiſtorici in ſcribendis multis miraculis minoris momenti ſatis curioſi, præteriiſſent iſtud tam nobile & glorioſum Regum Galliæ miraculum. *T. 11. Hiſt. Gall.* Eventus varius eſt, & ægri non quidem eo momento ſanantur, nec omnes, ſed tamen brevi interjecto ſpacio, & plerique. Teſtaturque *Laurentius Tr. de Mir. San. Strum.* paucis diebus ſæpe plures dimidio integram ſanitatem recuperaſſe. Ac de frequentia rei ne dubitemus, teſtis eſt Thuldenus, Ludovicum XIV. A. MDCLIV. tria millia Remis tetigiſſe, & iterum A. MDCLX. apud S. Johannem Lugienſem mille ducentos. Ludovicum XIII. Burdigalæ ſe mille quingentis impertiiſſe tradit *Contin. Thuan. ad A. MDCXV.* Mandeslo in Anglia XXV. adductos vidit; Et initio Caroli II. R. A. nihil frequentius erat, quam ducentos, trecentos, quadringentos ſingulis ſeptimanis Tactum Regium implorare. Cauſæ ſitæ erunt non in Proprietate quadam Gentilitia: E Familia Regia enim Solus, qui Regnum moderatur, hoc dono inſtructus eſt. Nec in miraculo quopiam, quia illa confirmandæ Fidei & Veritati divinæ eduntur, cujusmodi quid Tactus iſte non aſſequitur. Impoſturæ item Satanicæ id tranſcriptum ire horridiuſculum fuerit & infra ſortem tot ac tantorum Principum & in media quidem luce Chriſtianiſmi conſtitutorum. Neque etiam ipſa pientiſſima Regina Elizabetha eo abſtinuit, licet moraretur aliquamdiu, ſeu de ſucceſſu, ſeu de legalitate rei dubitans; Jactantibus v. immoderatioribus Catholicis, Deum Reginæ abſtuliſſe hoc Donum, quod Religio-

[illegible] omanam deſeruiſſet, ſe accinxit ei, nec diſpari ab Anteceſ-ſoribus ſuis ſucceſſu. Vid. *Stubbes Tr. de Valent. Greataricko mox citando*. *Petrus de Andlo* Chariſmatum iſti generi accenſet, quibus Reges ſingulariter inſtruxit Divina Providentia: Illos plus vigere in natura Entis, quam perſonæ privatæ, cum gerant vicem quaſi totius Entis cui præſunt: *Quo magis participant de natura Entis, tanto quoque magis ad ſuum appropinquant Principium, plusque de divina participant influentia: Cujus rei exemplo eſt Saul ille Regum Iſrael primus, quem mox ut per Samuelem aſſumptus eſſet in Regem, inſiliit Spiritus Domini & prophetavit, ut 1. Reg. c. 10. legitur. Et Salomon ordinatus in Regem Divinam meruit Sapientiam. Claret illud quoque & in quibusdam moderniori ævo Principibus, quod ex ampliori participatione Entis ſingularem quandam virtutem in ægrotos habere dicuntur, ut de Regibus Franciæ fertur & Angliæ, de Imp. Rom. L. 1. c. 2.* Petrus Bleſenſis Unctioni transſcribit: *Nec in vacuum accepit Unctionis Regiæ Sacramentum: Cujus Efficatia ſi neſcitur fidem ejus planiſſimam faciet defectus Peſtis Inguinariæ & Curatio Scrophularum.* Ep. CL. ad Clericos Aulæ Regiæ Anglicanæ. Sed utrique opponimus, cur non alii etiam Reges id efficaciæ habeant, cum omnes æque Privatis emineant, plerique uncti ſint. Igitur ſecretus quidam Naturæ tranſitus & immateriatæ Virtutis influxus allegandus fuerit: Ideo enim audaciores reddimur a ſuperiore excitati, & ſola Imperatoris Vox maximis copiis animum addit, pudoris etiam atque Timoris contagium ſentimus, ut uno fugiente alii quoque in fugam inclinent, quia occulta inclinatione & conſtrictione dominatur in alterum alterius Spiritus. Hic itaque eadem ratio forſan erit, fietque per vires Imaginationi aliqua Spirituum inclinatio, contractio ac mutatio: Nam in vulgo, dum recolit tantam ſummorum Monarcharum facilitatem, ut viliſſimis ſui copiam faciant, & veneratur maximam hanc Clementiam atque communicationem cum Rege ſuo, facile imaginationi aliquid dari poteſt, poterunt cieri ad præſentiam Domini ſui ſpiritus, & occulta quadam transmiſſione recreari; Itaque illi movebunt tandem, trahent, & adverſantia vincula feliciter perrumpent. Sic Lapilli, Carbones, Radices certa hora effoſſæ, ipſi etiam Characteres, Verba, Sigilla & ſ. appenſa aliquando medicinam faciunt, quia Imaginatione excitati & corroborati ægrorum ſpiritus extrema moliuntur, & carceribus ſuis ſe eximunt: Quod, quidni

in Summis Regibus etiam admittatur, a quibus omnis profanitas longiſſime abeſt. Neque aliam rationem Circumſtantiæ ſuppeditant; Ideo enim Aurum appendunt, ut Imaginatio inſtauretur ac renovetur, quemadmodum vulgo etiam Annulus, vel Armilla ex Crinibus Amaſiæ geſtata paſcendo amori conducere creditur, quia Imaginationem excitat. Ac ſæpius recidivam patiuntur ægri illi, & quidem primo morbo periculoſiorem, ſi contingat Aurum a Rege appenſum amitti, non aliam ob cauſam, quam quia Spiritus incitamento ſuo carentes ac ſegniores redditi priſtinæ naturæ Contumaciæ de novo ſe ſubmittunt. Dein nec omnes ſanantur, quia languidior ipſorum Imaginatio impar eſt excitandis tot Spiritibus, qui mali gravitatem amovere poſſint. Atque exempla ſimilia allegaremus, ſed profaniora ſunt & indigna, quæ cum Sacris hiſce Nominibus comparentur. Ipſi utique veteres Pſyllos ſuo, quorum ictus contra venena tantopere commendabatur, non adeo magni faciebant, quod audaciæ ipſorum potius, quam virtuti cuidam naturali id tranſcriberent, quæ & Cornelii Celſi de iis ſententia fuit; *Pſyllos non habere ſcientiam adverſus venenum præcipuam, ſed audaciam uſu ipſo confirmatam, qua vulnera exugant. Namque venenum*, addit, *non guſtu, ſed in vulnere nocet: Ergo quisquis Exemplum Pſylli ſecutus ſuxerit & ipſe tutus erit & tutum hominem præſtabit.* Eademque forte *Alexicacos ſ. Salutatores vel Benſedevios* mederi dixeris, utpote unctione ſputi ſui, afflatu & demulſione ægri tale quid conantes. V. *Delrio Disq. Magic. L. III. p. 11. Adducunt Praxin quotidianam militum, qui ſolo afflatu, oſculo, aut nudi lintei applicatione ſanent etiam atrociſſima vulnera, qui omnes dono ſanitatis in variis morbis ſe præditos gloriantur. E converſo quosdam eſſe, quorum Oculi creduntur habere vim Beneficam ad res inſpectas. Roder. a Caſtro Medic. Pol. L. IV. c. I. & III.* Confer *Beſold. Vit. ac mortis Conſid. Polit. L. II. c. 1. §. V.* Sed procul hæc ſunto. Accuratius Natura Miraculum edidit, cum ante triennium, & quod excurrit, *Valentinum Creatarckum* Angliæ oſtenderet, Virum morum patriorum tenaciſſimum, nec ſuperſtitione aliqua notum. qui ſiniſtræ manus frequenti applicatione complura morborum genera diſcuſſit, & Cancrum, Morbum Regium, Lepram, Quartanam &c. in univerſum omnem Heterogeneam Fermentationem ſeu Ebullione, ſeu Coagulatione & Fixione Sanguinis ac Spirituum cauſatam vel plane repulit, vel ſal-

tim

[illegible]avit, ut [illegible] facilius eſſet. Tum Voce quadam tribus [illegible] admonitum Dextram ſuam [illegible] primo omnium re-[illegible] communis rumor tunc fuit, & manum ad ſinum ejus ſuave [illegible] ipſamque Urinam odorem Violarum habuiſſe teſtati ſunt, qui ipſo familialiter utebantur: Qua de re proſtat *Henrici Stubbes Dig. de Valentino Greatrikko Ed. 1666. Anglice.* Sed decreviſſe hunc [illegible]orem ei numerioribus Relationibus accepimus, ſeu, quod nimiis laboribus circumfuſæ plebi impendendis fatigaretur, ſeu aliam unde ortam ob cauſam. Cujus quicquid ſit, Natura ſaltim temporarium ſpectaculum in eo propoſuit, Tactum ejusmodi viribus ſuis ſubjicere, neque neceſſario ſuper aut præternaturalis quidpiam involvere.

V. Hiſtoriam ipſam vero rei gerendæ ne prætereamus, eam de utriusque Regis tactu nunc exhibemus ex *Thuldeni Hiſt. Enn. II. L. III. ad A. MDCLX.* quippe plenariam ſatis, & quia e recentiſſimis eſt, tanto citius evolvendam. De tactu Gallico hæc ejus ſunt p. 436. *Ludovicus Rex Lugiæ celebravit, & ſexto decimo die Maji (Dominicus is erat Pentecoſtes) in Franciſcanorum, qui* Recolecti *appellantur, templo* mille ac ducentos *ſtrumis laborantes homines*, ut moris eſt, *attigit manu. Pridie dominicum* in primis veſperis, *& poſtero mane* in precibus matutinis, *quæ duplici cantu ſolemniſſime peraguntur, Ludovicus Rex fuerat, & animo per exhomologeſios Chriſtianæ myſterium peccati conſcientiâ expiato, Corporis & Sanguinis Domini ſub ſacrificio divino, cui magno adverſus Deum pietatis ſenſu intereſſe tum maxime conſuevit, participem ſe faciebat: interea* Strumoſi *ab Archiatro regio, collegisque ejus* & cheirurchis *in periſtylio andronis Franciſcani Ordine diſponebantur ſuo, dextra videlicet lævaque. Principem inter laborantes locum* Hiſpanis *dabant, ſecundum* Belgis, *aliarumque nationum hominibus, tertium* Francis. *Ac tantum in medio ab utroque diſpoſitorum latere intercapedinis relinquitur, ut quaterni ambulatores juncti commode ſe per illud ſpatium inferre queant. Tum vero luſtrantur ſinguli, & amiculum eorum diligenter excutitur, non modo ne quis avaritiæ nomine, ut nomiſmatis, quod addi ſolet, cauſa, morbum ſimulet; verum etiam, ne quid ferramenti, ut culter, forſex, ſica, gladiolus, quibus inſtructus quispiam vel ſua ſponte vel aliorum præmio inductus, in tam familiari contactu, regi nocere poſſit, apud eos relinquatur. Id contactis ab rege, nummoque donatis redditur. Quum* in

in procinctu regem eſſe, & jam adſpirare ad ſtrumoſos nunciatur, in genua provolvunt ſe omnes, palmasque conjunctas ritu ſupplicum tollunt. Præcedunt cohors Regii corporis, tribuni, maſtigophori: Rex ſequitur nudato capite, geſtu corporis univerſi, ſed manibus in primis & ore preces fundente, Chriſti fidem atque opem implorantis religioſiſſimum habitum præferens. Imminent a tergo ægrotis medici, eosque capitis modice arreptos prætereunti admovent regi, qui brachii dextri n[illegible]-nihil extenti manu decuſſatim in crucis formam ducta, frontem ſingulorum contingit, utens his vocibus: Tetangit Rex, ſanum facit Deus, in Nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti: Eleemoſynarii ſubinde, quoscunque tetigit Rex, ſtipe collata afficiunt, ac ne ſe eidem illi rurſum inferant, porta periſtylii emittunt. His peractis, aqua loturo manus Regi præbetur. De Anglico Tactu agit p.413. Medicorum Regis Princeps ad ſe admittit primum ſtrumarum valetudine laborantem, ac ubi cognovit malum eſſe Regium (ita enim Angli vocare audent morbum iſtum) fanum iis vel Conclave dicit, in quod conveniunt ad Regem. Demegoriæ igitur finis cum eſſet impoſitus (intelligit Sacram Concionem ante habitam) morboſi, quibus id pridie ſignificatum ab Archiatro erat, in Conclavi præſto fuerunt. Poſita eſt ſedes Carolo, in quam ſe raptim contulit; A dextra illi Epiſtolarum Magiſter aſtabat tot manu Angelottos (eſt id nomiſma Anglicanum Aureum &c.) Ex Holoſerico licio albo dependentes retinens, quot Strumoſos Rex contacturus eſt: Hi ad lævam ſedis locabantur, viam illis & modum monſtrante Archiatro, ut ad Regem cum trinis capitum Inclinationibus progrederentur. Legi conſuevit a Sacris præfecto ex Bibliis Verſiculus aliquis in eam Cerimoniam conveniens, quem hoc tempore Evangelii Scriptor Marcus Oratori ex Novo Inſtrumento ſuggerebat, ubi Chriſtus Apoſtolis promittit, impoſituros eos ægris manus, futurumque ut ex morbo evadant. Medicus cum quolibet Strumoſo ſigillatim accedens ante Regem genibus nititur, Rex læva Dextram, dextra vero palma lævam hominis affecti genam contingit. Quotiescunque id fiebat, toties Verſiculum eundem repebat Sacris Præfectus; Medicus interea genibus nitens a pedibus Caroli non abſcedebat, donec omnes attigiſſet ex ordine. Quo facto ſacer iſte Lector ex primo Evangelii S. Johannis Capite Verba, quæ ſunt ad Verſum usque ſextum recitare incipit; Morbidi illi nondum ſanati iterum ad Regem alter poſt alterum adducuntur; Tum ipſe Rex Angelottum ſingulis ſingulum ex collo ſuſpendit,

dit, miſſosque facit, Dominica precatione & Collecta, quam vocant, ritus iſte finiebatur. Subinde Carolo ut manus elueret, e malluvio frigida affunditur, mantileque, ut elotus abſtergeret, ſuperinjicitur. Neque eſt fere, quod hic deſideres, niſi quod de Angelottis dicit: Horum vice enim alius cujuscunque generis Aureos etiam extra Angliam cuſos adhibent, ac proinde minus recte de ſolis Angelottis Thuldenus loquitur. Eundem Tactum a Ludov XIII. adminiſtratum brevius deſcripſit *Gramond. l. ſæpe cit.* Anglicum *Scultetus in Curric. Vit. Mandeslo Itin. L. II. c. xxv.* Et nos quæ ex antiquitate huc faciunt de Veſpaſiano, Pyrrho, Pſyllis, Marrubiis etſ. adduximus Oratione hac de re auſpiciis noſtris habita, *de Regum noſtri temporis Dono Strumas ſanandi:* Quam & hic ſubjſciendam duximus, confiſi Benignum Lectorem paginis hiſce id daturum, ut inſigni hac materia velut repetita lectione non indignas judicaturus ſit. Idem integro Tr. præſtitit *Andr. Laurentius Tr. de Curat. Strumar.* Proſtat etiam Diſputatio *Nicolai Arnoldi* eadem de re habita, quæ pluribus videri poterunt. Adde *Carranz. de Partu Natur. &c. p. 707. 708. Fulgoſ. L. I. c. VI. p. 152.*

ORATIO
DE
REGUM NOSTRI TEMPORIS DONO STRUMAS SANANDI.

Habita

ab

HENRICO SCULTETO,

Ol. Sileſio Med. Stud.

FRANCOFURTI AD ODERAM

in Collegio Philoſ. Majori,

A. D. IX. Juli ANNO M DC LXVII.

MAGNIFICE

DOMINE RECTOR,

Viri Admodum Reverendi, Ampliſſimi, Conſultiſſimi, Excellentiſſimi, Clariſſimi, Præceptores, Patroni ac Promotores æternum venerandi. Nobiliſſimi, Eximii, Doctiſſimi, Domini Studioſi, Amici plurimum honorandi.

QUod pios probosque omnes decet, ut meritam gratiam juſtis honoribus & memori mente perſolvant, eo huc actus ſum, memoriam ingentium Beneficiorum mihi collatorum renovaturus & grates Autoribus, quoad ejus fieri poteſt, humillime relaturus. Cum primis æterno illi veroque DEO meo, cui & vitam & halitum & omnia debeo. Ac poſt eum Piis Manibus B. DN. THOMÆ WERLIENI, Viri conſiliis Graviſſimi, Eruditione Excellentiſſimi, Virtute Summi, de Eccleſia, Republica, omnibus Rei Literariæ Cultoribus optimè meriti, cujus pia Legata poſt alios Bonæ mentis Alumnos in me redundarunt copioſiſſimè. Vobis denique, Excellentiſſimi Academiæ Proceres, quorum propenſo in me animo id debeo, ut pedem hucusque promoverim. Equidem eum in finem mori uſitato litare debui, ac verba ad Vos è publico hoc loco facienda fuerunt, ut univerſis ac ſingulis teſtarer, me non inutilem heic collocaſſe operam, & ſumma iſta Beneficia non plane indignum Poſſeſſorem inveniſſe probarem. Ac ne longum excurrerem per ambages, vel variegatos Oratorum floſculos conſectarer, ſelegi Nobiliſſimum Donum TACTU STRUMAS SANANDI, Sereniſſimis Regibus Angliæ & Galliæ conceſſum, quid ſit, quomodo, & quare ſe ita habeat, poſt *Andream Laurentium* Eximium Galliæ Medicum *(a)* & inſignem in Belgio Theologum *Nicol. Arnoldum (b)* proſecuturus: Materiem auditu jucundam, tractatu utilem, & ſtudiis meis quam maximè congruam. Quid enim Rei Medicæ amanti convenientius, quam ſanitatem & unde nomen expectat, Medicinam cogitare? Quid admiratu majus, quam Medicinam ſine pulvere, ſine trochicis, herbis adeo & ipſis ver-

(a) Tr. de mir. ſan. ſtrum.

(b) Diſſ. de Fid. mirac.

verbis peragi? Quid contemplatu dignius, quam admirandæ hujus medelæ cauſas inveſtigare? Quare ut exiguo temporis ſpatio me pro ingenii tenuitate differentem benevole audire haut gravemini, etiam atque etiam rogo.

Stupeo Auditores, ſi Strumarum vitium cogitem, difficillimum illud ac tenaciſſimum morbi genus, quodque ipſa Natura, ne fovere non videretur, in Gentem non unam effudit, Bergomenſes, Allobroges, Alpium in Carinthia & Styria incolas, Hiſpanos denique in Pyrenæis montibus; Et quaſi congenitum ipſis reddidit, ut arti Medicæ tantò magis inſuperabile ſtatueret: Si intuear Maximorum Regum in abjectiſſimum quemque ſummam facilitatem, ut tantam Naturæ pertinaciam ejusdem ſeu dono, ſeu miraculo ſuperent: Si immenſam ægrorum turbam ad Sacratiſſima illa capita undique confluentium expendam. Non ita diu eſt, Anno milleſimo, ſexcenteſimo quinquageſimo quarto, cum Chriſtianiſſimus Galliarum Rex Ludovicus XIV. ceremoniis ſolitis coronatus Rhemis tria millia ſolenniter attingeret. *(c)* Et Glorioſiſſimus Parens ejus Ludovicus XIII. Burdigalæ ſe mille quingentis aliquando impertiit. *(d)* Nuperius adhuc, cum Sereniſſimus Fidei Defenſor Carolus II. collapſum Angliæ Regnum inſtauraret, ducenti, trecenti, quingenti ſingulis ſeptimanis coivere omnes unà Beneficium ejus implorantes. Quæ tacitum quendam gentis humanæ conſenſum in negotiis hujus veritatem ſatis indicant, & rem plane de nihilo non eſſe docent.

(c) Thulden ad Ann. M. DC. LIV.

(d) Contin. Thuan. ad A. M. DC. XV.

Sed ab ovo rem aggrediar. Habuit certè ipſa Antiquitas, quod hic gloriaretur. Nam ſi ſingulos velitis, ab omni memoriâ dignum eſt *Veſpaſiani* Exemplum, quem cum Alexandriæ eſſet, è plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, ſedentem pro tribunali pariter adierunt orantes opem Valetudinis, demonſtratam a Serapide per quietem, reſtituturum oculos, ſi inſpuiſſet, confirmaturum crus, ſi dignaretur calce contingere. Veſpaſianus, cum vix fides eſſet, rem ullo modo ſucceſſuram, ideoque ne experiri quidem auderet, extremo hortantibus Amicis, palam pro concione utrumque tentavit, nec eventus defuit apud *Suetonium in vita Veſpaſiani.* *(e)* Amplius eſt Pyrrhum illum tot facinoribus Illuſtrem Epirotarum Regem Dextri pedis preſſura Lienoſis medelam attuliſſe, quod ipſa mors comprobatura, cum *Pyrrhi* cadaver Flammis abſumeretur,

(e) Sueton. in Veſpaſ. VII.

Dextri Pedis pollicem incombuſtilem poſuit, ut ab interitu immune eſſet, quod interitu tot homines exemerat: Non ignobili ad noſtram ætatem exemplo, quæ *Zwinglii* Cor, cadavere flammis ab hoſtibus tradito, exuri non potuiſſe vidit & memoriæ tradidit, ajente graviſſimo *Thuano*. (*f*) Si Familias vultis, Pſyllos, Marſos ſeu Marrubios & Pharios Ophiogenes cogitate, gentem ſerpentibus apprimè terribilem, quæq; non ſuctu modo, ſed tactu ipſo levavit percuſſos, teſte Plinio. (*g*) Tranſeo Agrippæ Anulum & ſimilia, ne Tempus iis extraham, latum campum Rerum recentiorum; quæque ad ſcopum meum faciunt, jam ingreſſurus.

(*f*) *Thuan. Hiſtor. L. I.*
(*g*) *Plin. hiſt. L. XXIIX. c. IV.*

Galli utique originem hujus rei Regibus ſuis ferè coævam ſtatuunt, & a Clodovæo ſeu Ludovico Primo arceſſunt, illo alias Ampullæ Rhemenſis miraculo, itemque Auriflamma & Scuto Liliato cœlitus accepto celebri, cætera vero primo Chriſtiano Galliæ Rege: Clodovæi intimum ac fideliſſimum, Lanicetum, Virum frigoris, & æſtus patientem atque Conſiliorum hoſtilium Exploratorem acerrimum ſtrumis correptum Medicinam fruſtra adhibuiſſe, cumque præ pudore tandem deliteſceret, ſomniaſſe Clodovæum, ſe guttur Laniceti permulcere & attrectare, mox Lanicetum nullius cicatricis nota remanente ſanum evadere. Itaque Clodovæum ſummo manè primum DEO operatum periculum feciſſe, nec ſucceſſu fraudatum hanc ſanandi ſtrumas facultatem ad poſteros Reges Gallorum ſempiternâ ſerie tranſmiſiſſe. (*h*) Communius ſanctitati B. cujusdam Marculphi id transſcribunt, qui apud Bojocaſſes in Lugdunenſi ſecunda, quæ Neuſtria & Normannia eſt, nobili natus loco, Clotarii & Childeberti temporibus vixit, ejusque precibus DEUM Regibus Galliæ hoc beneficum conceſſiſſe: Quam in rem laudo *Rob. Cenalem* (*i*) & *Papirium Maſſonum*, (*k*) Scriptores Rerum Gallicarum doctiſſimos: idque uſitata adhuc Regum Galliæ, ſtatim atque uncti ſunt, ad Templum ejus in Agro Laudenſi profectio abundè confirmat. Et Ipſe Sereniſſimus Ludovicus XIV. Marculphum primo adiit, poſtea vero demum ſanandi muneri ſe accinxit. Cordatiores tamen in tertiam Regum Galliæ familiam, poſt Merovingos & Carolingos initia conjiciunt. Ita diſertè *Scipio Dupleix* in Ludovico Nono, ſe nullum adhuc Documentum, nullum veſtigium ejus gratiæ in duabus primis Regum Galliæ familiis vidiſſe, nec veriſimile eſſe, ſi eâ præditi fuiſſent, quin ejus Temporis Hiſtorici, in ſcribendis multis mira-

(*h*) *Forcatul. De imper. & philoſ. Gal. L. I. t. 59.*
(*i*) *L. 1. deſcr. Gall. Periocb. XIV. f. 110.*
(*k*) *Anal. Franc.*

miraculis minoris momenti ſatis curioſi, prætériiſſent iſtud tàm nobile & glorioſum familiæ Regum Galliæ miraculum. (l) Unde factum puto, ut a Ludovico IX. quem Sanctum vocant, crucis ſignaculo medelam tactus Regii fultam fuiſſe, alii dicant; Et in Cataloniæ Oppido Pobleta brachium ipſius, cujus tactu Strumoſi ad ſanitatem adhuc reducantur, inter Sacras reliquias aſſervent, in eum tanquam Autorem tantæ rei non obſcure collimantes.

(l) *Scip. Dupleix. T. 11. hiſt. Gall. Ed. Pariſ. 1624. fol.*

Confidentius a Philippo rem petit *Alexander Patricius Armachanus*, ſeu *Cornelius JANSENIUS*, & penes Anglos diu ante Gallos fuiſſe aſſerit. Quod quidem tantum abeſt, ut negem, ut additum velim Potentiſſimos Angliæ Reges non parili modo, ſed ampliori Chariſmate inſtructos eſſe, cum præter Strumas etiam morbum Comitialem ſanent. Pro Tempore tamen immemorabilem conſuetudinem potius, quam certum quoddam ejus ſpatium adduxerim. Nolim enim ad fabuloſa initia recurrere, aut S. Edvardum Confeſſorem, ultimum Anglo Saxonum Regem, ne Sanctitate Originis Gallo cederent, ſuperſtitioſè laudare. Ait quidem *Polydorus Virgilius* (m) & alii id genus Scriptores, jam a viginti quatuor Annis dono ſtrumas ſanandi inſtructo allatum fuiſſe a quibusdam Hieroſolyma venientibus Anulum, quem ipſe diu antea pauperi cuidam clam dederat, qui pro amore, quem erga D. Johannem Evangeliſtam habebat, Eleemoſynam petierat, eumque multa veneratione poſthac ſervatum, quod ſalutaris eſſet membris ſtupentibus, valeretque adverſus Comitialem morbum, ſi tangeretur ab illis, qui ejusmodi tentarentur malis. Sed ſuos hoſce patiar habere manes. Cur enim piiſſimos Monarchas profanis fabulis onerarem, aut iniquis fraudibus turpiter proſtituerem?

(m) *Hiſt. Angl. L. IIX.*

Viderunt quidem & propiora Secula Comites Habsburgenſes Strumoſis operam navaſſe, ut, qui a manu ipſorum potum acciperet, ad ſolitam & ſanam gutturis formam rediret. (n) Et Reges Hungariæ usque a Stephano, Sancti nomine celebri, tactu Icterum ſanaſſe, ſed quoniam aliquamdiu jam interciderunt hæc dona, ſufficere arbitror, me paucis hisce ea commemoraſſe.

(n) *Camer. hor. Subc. Cent. 3. p. 146.*

Modus agendi utriusque ceremoniis ſolennis eſt, cæterum à religione, ac pietate nihil diſſidens. Audio accinentes in Gallia: *Manum tuam extendes ad ſanitatem & ſigna & prodigia erunt.* Mox: *Super ægros manus imponent, & bona habebunt.* Ipſ. Rex jam Sacram

(o) *Andr. Laur. Tr. de Carat. ſtrum. c. 1. Valdeſ. de Dign. R. Hiſpan. c. XVI. IX.*

(p) *Thulden. c. l.*

(q) *Curricul. vit.* Confer *Hub. Thom. Leodium de V. Frider. II. Libr. VI.* & ex eo *Freber. in Petr. de Andlo. L. 1. c. 11.*

manum ægro impertiens: *Rex tangit Te, Deus ſanat Te* ait. (o) Et faciem ægri primo in longum, mox eandem in latum cruciatim tangit, primario Medico interea ſynciput ejus tenente, veſpertinis etiam vel antelucanis precibus & ſacra communione in anteceſſum inſtructus. Ludovicum hodiernum Epiſcoporum Franciæ plusquam viginti circumſtabant: Ægris viritim ejus munificentia numi liberaliter diſtribuebatur. (p) Non diſpar in Anglia religio, ſed quam non ipſe quidem, *Scultetus* tamen exhibebit, ille Eccleſiæ noſtræ Theologus incomparabilis. (q) *A concione*, ait, *Rex in conclave quoddam aulæ ſe recepit & in Sella conſedit, aſſidebat ipſi a dextris Elizabetha filia, a ſiniſtris FRIDERICUS Comes Palatinus: quibus Struma miraculoſe curanda erat, adducebantur a Tonſore octodecim. Mox Theologus quidam prælegit ex Matthæo quædam, Rex manu tangit ſtrumam, Theologus ad ſingulorum ægrorum acceſſum repetit verba:* Imponent manus, & ſanabuntur. *Poſtea ſingulis appenditur aureus Numus, legiturq; Evangelium Johannis, & ad ſingulos pronunciantur iſta verba:* Hæc eſt Lux vera, quæ illuminat omnem hominem. *Hæc dum fiunt, Sacellanus coram Rege in genua procumbit, poſtea & Lector: Tandem cantharus aquæ & pelvis afferuntur, ut Rex lavet manus.* Sic ægros dimittunt Reges, non quidem eo momento ſanatos, nec omnes, ſed tamen brevi interjecto ſpatio, ſed pleroſque. Hos ſedatis ſtatim acerbiſſimis doloribus: Illos coaleſcente vulnere, iſtos tumoribus imminutis, adeo ut paucis diebus plures dimidio integram recuperent ſanitatem, referente Laurentio.

Audiviſtis rem, quæ ac qualis ſit: Quid cauſæ ſubſit jam aperiam, nihil tamen vel verborum vim, vel jus aliquod Gentilitium & connatam proprietatem, vel miraculoſam quandam Gratiam moraturus. Non illam, cum talis verborum Valor à Philoſophis jam dudum proſcriptus ſit; Nec iſtam, quia nec Galliæ Regnum penes unam Familiam fuit, & in ipſa ſuperſtite Capeti Familia non exiguam Varietatem admiſit, quando extinctis cum Henrico III. Valeſiis, Borbonii jam a Ludovico IX. & Seculo decimo tertio Sceptro deſtinati ab Henrico IV. excitabantur: Nec Angliæ Regnum eadem linea conſtanter derivatos Succeſſores vidit, Wilhelmo Conqueſtore ſtatim Edvardo Confeſſori Conqueſtus jure ſuccedente, Henrico VII. Roſæ Rubræ Fautore Richardum III. ſimul Roſæ Albæ Factionem extinguente, tandemque poſt mortem Elizabethæ Corona ad Sco-

Scotiæ Reges devoluta. Nec omnis Regia Progenies ſanat, ſed ille ſolum, qui regni hábenas moderatur. Atqui ſi Naturæ quodam privilegio gauderent Sereniſſimi Reges, tota ipſorum Familia eodem frueretur, quemadmodum Pſylli & Marrubii olim, qui ipſo hoc ſuppoſiticios Familiæ ſuæ a genuina prole diſcernebant, ſi ſerpentibus læderentur, ſi læſis ſuctu ac tactu mederi non poſſent.

Sed tamen & miracula exeſſe velim, illa licet ab Anglis pariter ac Gallis jactata, ab his tamen effuſius, ab illis rarius, nec niſi antiquioribus. Fateor Gallos prætendere Sacrum oleum ſuum Ampullæ Remenſis, quo utpote cælitus miſſo delibuti Sacratiſſimi Reges ſolitam hominum excedant naturam, & ipſum Sagaciſſimum *Laurentium (r)* eo confugere ſcio: Sanctum chriſma cælitus demiſſum cæleſtis medelæ vim in Reges Franciæ inſtillaſſe, ut ab eo Tempore & Chriſtianiſſimi dicti ſint, & ſtrumas ſanare cœperint. Sed oleum iſtud ſimul Ampulla jam dudum in dubium vocarunt *Thuanus (s) Scipio Dupleix. (t) Dion. Petavius (u)* & alii, cauſati nullam a Remigio in Teſtamento ipſius, vel Gregorio Turonenſi, vel alio Scriptore coætaneo ejus mentionem fieri. Et totum negotium integro Tractatu non indoctè confecit celeberrimus pro rebus ac Regibus Hiſpaniæ ſcriptor *Joh. Jacobus Chiffletius* inſtituta diſquiſitione de Ampulla Remenſi. [n] In Anglos nihil ſeorſim habeo, nam commentum de Anulo Edwardi modernorum Anglorum plerique ipſi rident. Contra utrumque facit finis miraculorum, quippe quæ confirmandæ fidei & veritati divinæ eduntur. At iſte Tactus nihil ejusmodi aſſequitur, nihil confirmat, Fide ac Veritate divina adeo miraculis jam confirmatis, ut miraculum ſit, qui ultra miraculum expoſcat, veluti Theologi loqui ſolent.

(r) *cit. Tr. de Cur. ſtrum.*
(s) *Hiſtor. L. CIX.*
(t) *Tom. I. Hiſt. Gall. Pariſ. 1621.*
(u) *Rationar. p. I. L. VII. c. II.*
[n] *Chifflet. de Amp. Rem. Antw. 1651.*

Percipitis nullas ſupra Naturam vires hic locum habere: Verbis, Numero, Sonis nihil merito dari, quippe illicitæ Magiæ Mancipiis Atque ipſi Naturæ vix aliquid ſupereſſe, quo admirandum hoc negotium tueri poſſit. Et quo tandem me converſum iri cenſebitis? Sed enim erit adhuc, quod tuto me amplexurum puto, quod ſolitus Rerum Ordo non defugit, quod Natura haut difficulter præbet. Quid eſt, Auditores, quod abſentibus Amicis aliquando ſentiamus bene eſſe? Quod interno quodam motu ſubinde doceamur alicujus e cognatione mortem? Quid erat, quod Archiepiſcopus Viennenſis capitalem inimicum obiiſſe Ludovico XI. Galliarum Regi dice-

diceret, Carolo Duce Burgundiæ in prælio Granſonienſi adverſus Helvetios eo tempore occiſo? (w) Quod Græci olim ac Romani victoriæ certiores fierent aliquot ante nuncium diebus? Niſi ſecretum quendam Naturæ tranſitum ac inſtinctum, aut tranſmiſſionem & immateriatæ virtutis influxum allegare velimus. Propius accedam: Cur audaciores & magis induſtrii reddamur a ſuperiore excitati? Cur ſola Imperatoris Vox maximis copiis animum addat? Cur feſtiva ingenia pariant conſimilem in aliis præſentibus affectum? Cur ſenes non interrupta Juvenum converſatione uſi longævi evadant? Cur pudoris etiam & timoris contagium ſentiamus, ut uno fugiente alii quoque in fugam inclinent; Nihil aliud in cauſa eſt, quam occultâ conſtrictione & inclinatione prædominans & imperioſus alterius in alterum ſpiritus. Ratio eadem hic fortè fuerit: Erit aliqua ſpirituum inclinatio, contractio ac mutatio. Erunt ſuæ imaginationi Vires, (x) Sed tamen procul Pythagoricæ imaginationis monſtro, procul Paracelſi imaginatione exaltata. Quod argumentum ſenſit perſpicaciſſimus Laurentius, ſed leviter attigit.

[*(w) Comin. vit. Lud. XI.*]

[*(x) vid. Bacon. de Verulam. Hiſt. Natur. Cent. X.*]

Humili iſti & rebus abjectis aſſuetæ plebi, quæque in ſummis Principibus nil niſi divinum concipit, colit, adorat, quid admirabilius accidere poteſt, quam illa tantorum Monarcharum demiſſio, qua viliſſimis etiam ſui copiam faciunt? Quid gratius, quam maxima ipſorum facilitas, ut infra ſortem ſuam ſe abjiciant & miſerrimos tangere dignentur. Scimus, quam immodicum ſit vulgus, ſuperſtitioſum, credulum: Quam ex opinione potius atque ex veritate judicet. Itaque dum tantam Clementiam Principum ſuorum æſtimat, dum admiratur communionem cum Rege, imaginationi indulget, cientur ad præſentiam Domini ſui ſpiritus, recreantur occulta quadam tranſmiſſione; Ac movent tandem, trahunt, & adverſantia vincula feliciter perrumpunt. Sic divorum Tutelarium appenſa nomina, Aquæ Benedictæ luſtratio, Lapilli, Carbones, Radices ſtato tempore ſtata hora effoſſæ aliquando Medicinam faciunt, quia dum opinione trahuntur ægri, ſpiritus inſtigatis, in priſtinam Libertatem ſe aſſerunt. Sic Magicos Characteres, Verba, ſigilla, incantationes ideo ſucceſſu aliquando non deſtitui videmus, non quia reapſe præſtant aliquid, ſed quia imaginatione excitati & corroborati ægrorum ſpiritus extrema moliuntur & carceribus ſuis ſe eximunt: Et quidni in Sacratiſſimis iſtis Nominibus facilius idem admit-

Digitized by Google

mittamus, a quibus omnes iſtæ nugæ, omnis profanitas, tam longe abeſt, quam quod longiſſime. Anulus vel Armilla ex crinibus Amaſiæ geſtata, paſcendo amori conducere creditur, quia imaginationem excitat; Hic eadem ratio, ideo aurum appenditur, ideo Numus erogatur, ut imaginationem inſtauret ac renovet. Ac ſæpius recidivam patiuntur ægri iſti, & quidem primo morbo periculoſiorem, ſi contingat Aurum a Rege appenſum, numum tempore ſanationis ſibi erogatum, amitti. Non aliam ob cauſam, quam quia Spiritus incitamento ſuo carentes ac ſegniores redditi priſtinæ naturæ contumaciæ de novo ſe ſubmittunt. Et ſi non omnes ſanentur, non male ad eundem fontem recurrerim, quia languidior ægrorum imaginatio impar eſt excitandis tot Spiritibus, qui mali gravitatem diſcutere ac amovere poſſint.

Unicum addam & deſinam: Fruſtra eſſe, qui ægros a Medicis in anteceſſum viſitari & Medicamentis ad ſanationem præparari, immo reſtitui autumant. Non putem ego, Auditores; Ac licet dederim, eſſe aliquando, qui præter tactum Regium alia Medicamenta admittant hoc ſaltim reliquum erit, maximam partem ægrorum ſolo ipſo niti, adeo ut Tactui Regio nihil inde decedat. Quid enim? Autumabitis ne Medicos Regios tota die, immo integris menſibus & amplius in ſanandis tot hominibus occupatum iri? Aut, ſi tam diu inter ipſos hæreant, vulgus id non percepturum fore? Percipiet utique, & qua eſt Mobilitate, Regis ſui non donum jam ulterius, ſed fraudem, ſed impoſturam ludibrio habebit & execrabitur. Noviſſimum Exemplum afferam huc apprime faciens. Protulit Hibernia non ita pridem *Valentinum* quendam *Greatarickum*, Virum literis modice tinctum, cætera nec medicum, nec Chirurgum, ſed dono Tactu ſanandi tam efficaci inſtructum, ut non unum modo, vel duo morborum genera aggrederetur, ſed pleraque, convulſiones quaſcunque Dolores Capitis, Oculorum, Aurium, Dentium, Tumores & complura alia, eaque feliciter diſcuteret: Quem præcedenti Anno Londinum vidit & ad Stuporem usque admirata fuit. Quos ſumptus Vos ipſum feciſſe dicetis, ut excitatam opinionem in vulgo aleret? Aut quos Medicos habuit, cum ad ignotos & Urbem nondum viſam appelleret? Aut quid arcani tandem foviſſe dicendus eſt vir Privatus, candore conſpicuus, quique Se ritibus Anglicanis conformem vixiſſe & victurum diſerte profitebatur. Equidem ad

S ſo-

ſolitas Imaginationis Vires recurrerim; Sed tamen ἐπέχειν malo, cum in materie hac ipſi Experientiſſimi Angli verſentur, & nos de Eventu nihil dum compertum habeamus. (y) Jam vero ſi hunc medicamenta non requiſiviſſe concedamus; Quidni & Regium tactum ipſis non fulciri cenſebimus? Interim non diffiteor Indicantia ſubinde uſurpari, antequam Regiæ manui admoveantur, cum primis in Comitiali Morbo apud Regem Angliæ, & in iis inſectorum Genus, quod Julum vocant, Forbicinis non diſſimile animalculum, quod Caſtanei coloris ſui in nigrorem mutatione morbum a Rege ſanandum ut plurimum prodit. Idque ideo fit ne promiſcuo occurſu ægrotantis Turbæ Rex fatigetur. Sed inde Medicinam fruſtra ſperarent, fruſtra peterent, niſi adminiculo Regio levarentur, aut nova imaginatione Manui Regiæ hæcce talia præferrent.

(y) *Vid. Stubbes Diſſ. de Valent. Greatarick. Ed. 1666. Anglice.*

Dixi è quibus initiis admiranda medela hæc ſurrexerit, quomodo adminiſtretur, & quid cauſæ ſubſit, inveſtigavi. Vobis autem, Magnifice Domine Rector, Excellentiſſimi Domini Profeſſores, Nobiliſſimi Domini Studioſi, qui benevolas aures mihi dare voluiſtis, gratias ago maximas, firma ſpe niſus, vos ea, quæ minus accurate forſan tractavi, bonam in partem interpretaturos, & ex voluntate mea facultatem æſtimaturos eſſe. Id unicum reſtat, ut debita gratia Vos proſequar, Piiſſimi WERLIENIANI Manes, veſtra hæc ſunto, veſtra omnia mea Vobis addictiſſimi, qui tam ſerio, tam ſancte voluiſtis, ut Reipublicæ literariæ bene eſſet, ut indigi Cives ejus emergerent, ut ipſe poſt alios hucusque eniterer: Vobis ego hæc in perpetuam memoriam ſuſpenſum eo. Nec vos ſilebo, Excellentiſſimi Patroni, quorum conceſſu ingentibus beneficiis hisce frui licuit, & in poſterum licebit. Edidiſtis ita prolixi in me Affectus Veſtri Teſtimonium luculentiſſimum. Cui memorem animum, cultum & obſervantiam perpetuam me repoſiturum humillime recipio. Te autem, Æterne DEUS, DIRECTOREM horum & Fontem omnium Bonorum veneror, concedes pro Clementia Tua, ut porro vivant hæc inſtituta laudatiſſima, dabis alios inſuper & novos Studiorum Promotores, Facies ut Sereniſſimus Princeps noſter, Celebris hic Locus, eoque univerſa Patria noſtra vigeant, vireant, valeant. Annues denique & mihi, ut labores meos ad finem deſtinatum, & ſalutarem proveham in Sanctiſſimi Nominis Tui gloriam æternam.

D I X I.

VI. In

Digitized by Google

VI. In Hiſpania Vexilla explicant, & concurſu Populi militumque Regis nomen ingeminant: Ea Cerimonia Gentis inſtituto Regia poteſtas deferri conſuevit. *Marian. L. XVII. c. VII.* Idem in Hungaria obſervatur & Regem novum decem e Proceribus Hungariæ præcedunt, *quorum ſinguli Vexillum, in quo nomen & Inſignia unius ex Provinciis a Corona Hungariæ dependentibus picta ſunt, manu tenent. Contin. Thuan. de Coron. Ferdin. II. ad A. M D C XIIX. L. XI.* Harum ſeriem habes in *Sprenger. Font. J. P. c. IX.* Quod ſint I. Vexillum Hungariæ. II. Dalmatiæ III. Croatiæ IV. Slavoniæ. V. Ramæ. VI. Serviæ. VII. Galliciæ ſ. Halliciæ, Quæ eſt *Wallachia.* IIX. Vladimiriæ, partis Ruſſiæ Septentrionalis. Leunclav. *Lodomeriam* vocat *Pandect. Turc. n. C LXXIV.* IX. Cumaniæ, quæ ſit Terra Walachiæ appellata Zavolcha. X. Bulgariæ. Sed Ramæ nomine fruſtra eſt, quam dicit eſſe civitatem vicinam Jeruſalem, ambiguitate vocis deceptus: Intelligitur hic enim Boſnia, quam Ramam & Ramiam dixere. V. *Leunclav. Pand. c. l.* Confer præc. *Diſſ. IV. c. III. §. VI.* Ubi de Corona Hungariæ & *Diſſ. III.* §. *IV.* ubi de Titul. Regum Hungariæ. Et rationes deſignandi reddit *Gockel. l. c.* Vexilla eſſe Symbola variorum periculorum, cum cœli injuriis pariter ac vi hoſtili in primis pateant: Eminere item in Excelſis, itaque & Regem eſſe eminentiſſimum; Ac deinde ſicut milites jurant, ſe pro defenſione Vexilli acerba quæque ſubituros, ita ſubditorum cuivis pro ſalute Regis utramque fortunam ſubeundam eſſe.

VII. Eſt & hoc in Regno Hungariæ peculiare, quod Equum in collem adigant, & aerem quater verberent. Ita *Contin. Thuani cit. L. XI. Conſcenſis Equis recta montem artificioſum petiverunt, in quo Regiones & Provinciæ a Turca occupatæ repræſentabantur: In hunc montem Rex rapido equi curſu vectus aſcendit & ſtricto S. Vladislai Enſe quatuor Angulos & mediam partem iſtius montis percuſſit, quaſi Turcam iis ditionibus, quas in Hungaria poſſidet, exueret.* Confer eund. de Coron. Matthiæ *L. I. ad A.* M. DC. IIX. Et *Brachel. de Coron. Ferdinandi III. Novus Rex Regio adhuc ornatu inſignis extra oppidum in clivum quendam equum adigit, ubi educto gladio,* ut illi genti mos eſt, *quatuor ictibus verſus quatuor mundi regiones arenam diverberans ſuæ Majeſtatis ſpeciem dedit. Hiſt. L. II. ad A. M DC XXV.* Cui ſimile eſt Veterum Ægypti Sultanorum iſtud, quod eductis ad Byrtham emporium juxta Euphratem copiis ſolenni pompa Equum

ad potandas profluentis aquas ſpectante exercitu in amnem adigerent. *Qua Cerimonia Imperii latitudinem & armorum vim oſtendere volebant, qui citra Taurum usque ad Arabiæ ſolitudines Euphratis undis dominarentur Jov. L. XXXIII. Hiſtor.* Ad Inaugurationem Demetrii Johannis Baſilii M. Ducis Moſcoviæ Nepotis ſingulariter annotat *Baro ab Herberſtein Comm. Rer. Moſcovit. p. 16.* Inter prandendum Muneris quidem loco oblatum fuiſſe cingulum latum, Auro, Argento, Gemmis precioſis confectum, quo cinctus fuerit: *Mox* Selgi *quoque* Pereaslawski *b. Piſciculi ex Lacu Pereaslawienſi, halecibus non diſſimiles, quorum & nomen habent. Ideo autem id genus Piſcium putant afferri, quod Pereaslaw nunquam ſeparabatur a Moſcovia vel Monarchia.* Apud Turcas inter ſingulares Inaugurationum ritus eſt, quod Mufti, ſeu Summus eorum Pontifex, Novum Imperatorem framea accingat. *Piaſec. ad A. MDCXXIII. p. 367.* Apud Veteres Perſas Regem oportuit ſtolam ſuam ponere & induere eam, quam Cyrus priſcus, priusquam Regno potiretur, geſſit, & ficorum maſſam eſſe, tum terebinthum vorare & Calicem haurire lactis acidi. *Plutarch. in Artaxerxe haut procul init.* Cætera quæ huc pertinere poſſunt, e Libris Ritualibus variarum Gentium petenda erunt, e quibus præter illos, quos hactenus ſparſim citavimus, nunc indicamus pro Imperio Noſtro *quinque partes priores Politic. Imperial. Goldaſt.* & in ſpecie *Job. Frideric. Mateneſium de Parentela, Electione & Coronatione Ferdinandi II. in Regem Roman. Libr. II. Colon. MDCXXI. 4o.* De Ferdinando III. *Theatr. Europæum*, de Leopoldo *Diarium Europæum p. 1.* De Coronatione Regum Galliæ præter *Honorium, Laurentium Bouchellum Decret. Eccleſ. Gall. L. V. Tit. II. Le Ceremonial de France par Theodore Godefroy. Pariſ. M. DC. XIX.* Regum Angliæ Inaugurationem habes *in Matth. Pariſ. p. 205.* Ordinem Coronationis Richardi R. Angl. in *Scr. Rer. Angl. p. 656.* & recentiſſimum Caroli II *in Nubil. Jubil. Britann.* item *Diar. Eur. Cont. VI. p. 39. & ſeqq.* Ordo *qualiter Sereniſſimus Rex Poloniæ juxta veterem conſuetudinem coronatur &c.* extat ap. *Alexandr. Gaguin. T. II. Rer. Polon. Ed. Piſtor.* De Coronatione Regum Hungariæ *Bonfin. Dec. IV. L. X. f. 677.* Inaugurationem Imperatoris Ruſſici deſcripſit *P. Oderborn in V. Theodori I.* Adde *Sigism. ab Herberſtein p. 14.* Petræum *Chron. Moſcov. p. III. init.* De Græcis Imperatoribus *V. Codin. & Job. Cantacuzen. L. I. c. XLI. Confer Leunclav. Pand. Turc. c. CXIX.*

CAPUT III.

Coronationis Maritalis Natura, Titulus Regis Fœminis attributus, Titulus Queen in Anglia, Cauſæ ſuſpenſionis bujus Actus, Ritus ejusdem.

I.

COronationem Maritalem inter Cognata Inaugurationum poſuimus; Neque enim jus in Regna, ſee Societatem Regiam tantummodo manifeſtat, nec Conjuges Regii Majeſtatis ipſius, ſed ſolius Exercitii cujusdam Majeſtatis copiam ſibi invicem faciunt. Hinc Reginarum appellationem ipſæ Fœminæ Regiæ aliquando neglectim habuere, ne jus ſuum in Maritos transtuliſſe viderentur: Ut Maria Hungara, quæ *Rex* ſalutari voluit, ut, quod Sexui deeſſet, ſuorum voluntate ſuppleretur, *Nadayni Flor. Hung. L. III. C. III.* Et Iſabella Caſtellana, ut pares cum Marito faceret, ſemper eadem Qualitate ipſi conjuncta fuit: *Ferdinandus & Iſabella Reges Catholici &c. V. præc. Diſſ. I. c. II. §. II.* Cujus ratio fuit, quia Regium officium & munus adminiſtrabant, cum Reginæ non a munere Regiæ Gubernationis, ſed a matrimonio Regis appellandæ fuiſſent, quemadmodum & in LL. mulier Procurator, mulier Defenſor, Mulier Judex, Mulier Tutor &c. nominatur, quoties illa maſcula munia obit. *Rumel. P. III. Diſſ. II. ad A. B. §. XX.* Sicque in Gallia etiam Pariatus Titulum Fœminæ acquirunt, ſed Nomine Maſculino, vel certe cum viris communi, veluti *Madame d' Aiguillon* regnante hodierno Rege Ludovico XIV. *eſt qualificé Ducheſſe & Pair de France* l' Eſtat de France de A. M DC LXI. *L. III. C. V.* Eodemq; forte intuitu Johannæ Arragoniæ Caroli V. Matri ſervati Regnorum Hiſpaniæ Tituli, *quos conjunctim cum filio, ſive id ſua voluntate, ſive ex ordinum decreto fieret, quamdiu vixit, in omnibus actibus publicis ſemper uſurpavit. Thuan. Lib. XVI. fin.* In Anglia vero hanc ob cauſam ne Reginæ quidem Nomen olim toleravere, quod illud adhuc Dignitatem & potentiam aliquam Regiæ Conjugi permittere ipſis videretur. Ideo *Aſſerius Menevenſis L. de Geſtis Alfredi Regis* ſcribit: *Gens Occidentalium Saxonum Reginam juxta Regem ſedere non patitur*, nec etiam Reginam appellari, ſed Regis Conjugem *permittit; Quam Controverſiam, immo infamiam de quadam pertinaci & malevola ejusdem gentis Regina ortam fuiſſe majores illius Terræ perhibent,*

bent, Quæ omnia contraria Seniori ſuo, & omni populo ita peregit, ut non ſolum ſuum proprium odium mereretur, ſed etiam omnibus ſuis ſubſequutricibus eandem peſtiferam tabem poſt ſe ſubmitteret. Confer *Wilb. Malmesbur. de Geſt. Reg. Angl. L. II. c. II. Matth. Weſtmonaſt. ad A. DCCCLIV.* Unde & hodienum *Queenes* vocantur, non *Kyniginea*, quod nomen vi Analogiæ Germanis & Belgis adhuc uſitatæ a Kynig vel King derivatum fuiſſet, h. non Reginæ, ſed Uxores ſ. Conſortes Fœmineæ; Id enim *Cwen* ſ. *Quen* antiquitus ſignificabat. V. *Bonav. Vulcan. de Literis & Lingua Getarum p. 66.* Et in univerſum Comitem *V. Claud. Fauchet en l' Origine des dignites L. II. c. III.* Ubi inter alia Antiquum Autorem *Siperis de Vineaux* hoc fine allegat:

Le Conte de Lancaſter, qui cit a nom Henry
Met a Conſeil le Conte, que on dit de Warwick,
Sire Quens, *dites moy par Die, je vous en prie &c.*

V. plur. *Selden. Titles of Honour c. VI. n. VII. p. 117. 118.*

II. Idem metus augendæ juſto amplius potentiæ vel Dignitatis Coronationem aliquando diſtulit, vel etiam plane impedivit. Hinc Philippus II. Rex Hiſpaniæ, Mariæ Anglorum Reginæ Maritus, licet nomen ejus una cum Reginæ nomine Edictis præfigeretur & numis inſcriberetur, nunquam tamen obtinere potuit, ut Diadema Anglicum ipſi imponeretur. V. *Thuan. L. XVII. init.* Quia metuebant Angli, ne graviori ipſos jugo obrueret, maxime quod Monarchiam totius orbis Chriſtiani tunc affectare crederetur. V. hac de re graviſſimam Querelam in Guil. Antecelli Henr. IV. ad Frider. Palatinum Legati Oratione apud *Thuan. L. CXIIX. init.* Et Henricus VII. Rex Angliæ Eliſabethæ ſuæ e Familia Eboracenſi natæ Coronationem in tertium Annum diſtulit, *Quæ mira & inexpectata temporis Protractio ſic notata eſt ab omnibus, ac ſi res ſtomacho Regis minime grata eſſet, ſed neceſſitate quadam & propter Rationes Status ei fuiſſet impoſita*, ait *Verulam. Vit. Henr. VII.* Cujus Ratio occulta hæc erat, ne citior ejus Inauguratio ſpeciem aliquam Participationis in jure Regni præ ſe ferret, quod Eboracenſes totis duobus fere ſeculis prætenderant. Vid. eundem *Verul. init. L. de V. Henr. VII.*

III. Ritus fere iidem, qui apud Reges occurrunt, paucis eorum, quibus Regia Majeſtas propius denotetur, exceptis. Ideo ſplendidiſſima cum pompa Coronatam Elizabetham modo dictam comme-

memorat *Verulamini l. c.* Solennes ritus Coronationis Imperatricis Eleonoræ in Reginam Bohemiæ perſtringit *Brachelius L. III. ad A. MDC. XXVII.* factæ *Adminiſtris Cardinali Harrachio, Archiepiſcopo Pragenſi, & ſupremo Regni Burggravio Adamo Wallenſteinio. In qua illud quidem diverſum fuit, quod Ferdinando Regi* (hic enim tunc etiam coronabatur) *ſolus Archiepiſcopus, Imperatrici v. cum Archiepiſcopo Burgravius & S. Georgii Abbatiſſa, quæ Regni Princepseſt, Diadema Regium imponerent.* Reginam Galliæ, Henrici IV. Uxorem, Unctione, Anulo, Corona, Sceptro, Virga Juſticiæ inſtrui oportuit, quæ & oblationem panis, vini & cerei, cui tredecim aurei affixi erant, exhibuit ap. *Contin. Thuan. L. III.*

CAPUT IV.

Abdicationis ſpontaneæ Exempla: Cauſæ: An Carolum V. pœnituerit Abdicationis? Abdicationis Coactæ Exempla: Ritus Abdicationis: Conſequentia: Oratio Valedictoria Sereniſſimi Regis Poloniæ.

I.

POſtremum locum ſibi hic vendicat oppoſita Inaugurationi Exauguratio, ſeu communiori nomine, Abdicatio Regia, *ignotum Principum Aulæ prodigium, ut, cum poſſint, imperare deſiſtant. Strad. de B. Belg. Dec, 1. L. 1.* ut neglectum eant, quod alii tanti faciunt, & quæ magna vi retinent, ſponte deponant. Sed extitere tamen Illuſtria ejus Exempla, nec ſequiorum, ſed optimorum, felicium & cordatorum Principum. Inter Veteres Imperatores Diocletianus *ſolus omnium poſt conditum Romanum Imperium ex tanto faſtigio ſponte ad privatæ Vitæ ſtatum Civilitatemque remeavit*, *τὸ καινὸν τοῦτο μόνον ἑλόμενος, καὶ μετελθὼν τῆς ἀρετῆς εἶδος, ὥστε ἐξ ὕψους τοσούτου πρὸς κοινὴν μεταστῆναι πολιτείαν* apud *Europ. L. IX. fin.* cui Collega Maximianus eodem tempore ſe adjunxit. E Francicis Imperatoribus fuit Lotharius Ludovici Pii Filius, qui poſt XV. Annos Imperii in Monaſterium Prumienſe conceſſit. E Græcis Joh. Cantacuzenus in Monaſterium abiit, & mutatum Nomen Joaſaphi Chriſtoduli aſſumſit, qui & in otio iſto ſuo Libros IV: de ſuo & Andronici Palæologi Junioris Imperio conſignavit *Ed. cum Verſ. & Nott. Jac. Pontani & Gretſeri.* Inter Reges Hiſpaniæ *Baronius* commemorat Wambam Regem *T. IIX. Annal. ad A. DCLXXX. & T. VII.*

VII. A DXXXVI. Theodahatum Gothorum Regem in Italia, quo memorabilius exemplum vix reperire eſt: Fuiſſe Theodahatum otii & literarum adeo amantem, ut poſcente Bellum Juſtiniano reſponderit, ſe malle quotannis MCC. Aureorum penſione contentum eſſe, quam ſanguinem fundere, quodque in pactum illud facile conſentiret Imperator, Regno ceſſiſſe. V. ipſum actum in *Gold. Conſt. Imp. T. I. p. 7.* Plura Exempla Vide ap. *Thuan. L. XVI. ad A. MDLV.* qua Caroli V. Renunciationem proſequitur. Hunc enim idem factitantem noſtra tempora viderunt & admirata ſunt. Veluti & Amurathem Imp. Turcicum, qui cum paucis Sacerdotibus in nemoroſum Bithyniæ locum conceſſit; Chriſtinam denique Suediæ Reginam, & nuperrime Sereniſſimum Poloniæ ac Suediæ Regem Joh. Caſimirum.

II. Cauſæ tanti propoſiti, ſi communes velis, adduci ſolent imbecillitas corporis, tædium rerum humanarum, divinarum deſiderium & ſ. Quales fuere Sereniſſimi Joh. Caſimiri R. P. Se Dierum maturum, Comitiis & Caſtris feſſum, Calamitatibus preſſum in manus Procerum Coronam deponere: Nec ſine ratione id eſſe Rerum Naturalium periti tradere norunt, quorum Conſilium hoc eſt, ut ita inſtituatur Juventus ac ætas Virilis, ut Senectuti *Nova Solatia* relinquantur, eorumque præcipuum eſſe *Otium moderatum*, & manus ſibi ipſis inferre *Senes Honoratos*, qui in Otium non ſecedant V. *Verulam. Hiſt. Vit. & mortis Tit. de Operatione ſuper Spiritus N. XCVI.* Proprias tamen intervenire dubium non eſt, ſed illas non niſi Sacrorum Arcanorum ejusmodi participes reddiderint. Carolus V. prodebat ſe ætate, ac continua moleſtia infirmitatis, debilitatis omnibusque viribus corporis ad res obeundas ſenſim deſtitui. V. Literas ejus ad Ordd. Imp. de d. Sudburg. A. MCLVI & ad Camer. Spirenſ. de 27. Aug. apud *Wilhelm. Godelevæum de Abdicatione Caroli V. Imp.* Sed aliæ graviſſimæ interceſſiſſe ibidem indigitantur, & ſuſpicionum quandam farraginem eo nomine collegit *Burgoldenſis. quem vid. p. 1. Diſſ. I. n. XLIII.* Adde *Thuan. c. LXVI. in fin.* Certe non ſine gratia fuit nonnullorum ratiocinium, ſapienter imitatum eſſe Cæſarem præcautos aleatores, qui magnam numorum ſummam ante ſe congeſtam lucrati plurimum horarum ludo, veriti fortunæ aleam, retrahunt opportune manum, neque ſe parto illo cumulo victoriarum exui jactu videlicet uno patiuntur. Felicitate Henrici II. Galliarum Re-

Regis perterritum multi ſcribunt, nec ipſe *Strada* diffitetur: Vulgo creditum Cæſaris Fortunam faſtidio ac ſatietate jam captam retrocedere incepiſſe felicemque Imperatoris hactenus invicti Genium in Henricum Galliæ Regem immigraſſe. Attamen eo res tunc non fuiſſe loco, ut illum fortunæ ſuæ magnopere pœniteret eodem docemur. *Expugnatis nim. paulo poſt ſolutam Metenſem obſidionem Ternam, munitiſſimo Belgici limitis propugnaculo, atque Hedino veteri Arteſiorum Principum Aula, captis utrobique aut interemptis e Gallica Nobilitate permultis, immo etiam poſt in Italia contra Hoſtium vires, Genuenſibus aſſerta magnam partem Corſica Inſula, & quod pluris habitum eſt, capta Senarum Urbe, pulſisque inde ac fere omni Etruria Gallicis armis* Dec. 1. L. 1. Sereniſſima Chriſtina contendebat, Se explosis variarum Religionum figmentis cum Eccleſia Catholica in gratiam redire conjungique velle, ejusque religionis amore captam Regum etiam contemnere. Quæ verba ſunt *Thuldeni ad A. MDCLIII. p. 190.* Quo ſpectat etiam Diſtichon, quod Coronæ Regiæ, quam illa ſimul Sceptris Divæ Mariæ Lauretanæ conſecravit, nonnemo appoſuit:

> *Hanc Tibi ſacravit ſpretam Regina Coronam,*
> *In cœlo tribuas ut meliore frui.*

Sed fertur Regina verbum *ſpretam* indigne tuliſſe; Neque enim vel unquam ſe contemſiſſe coronam, vel S. Virgini Rem a ſe ſpretam donaturam fuiſſe. *Sigism.* von *Bircken in Itinerario Marchionis Chriſtiani Erneſti c. 11x.* In quæ penitius inquirere ſupra nos eſt; Neque æſtimabimus nunc, an eodem animo rem ſemel factam ſemper tulerint. Maximianum utique pœnituiſſe ſuſceptæ Abdicationis teſtatur Suidas in Dioclet. Et Gotarzes pœnitentia conceſſi Bardani Regni fregit pactum ac Bello Bardanem aggreſſus fuit, apud *Tacit. XI. Annal.* Carolum V. ejusdem pœnitentia ductum fuiſſe vulgaris rumor fuit: Cum enim Cardinalis Granvellanus data occaſione Philippo II. in mentem revocaſſet: Anniverſarium illum eſſe diem, quo Carolus Pater Imperio Regnisque ceſſerit: Philippus reſpondiſſe fertur: Eundem diem anniverſarium eſſe, quo illum ceſſionis pœnituerit. Quod tamen fortean inde factum cenſet Strada, quia non putaret in Parente laudandum, quod imitandum ſibi non ſtatuiſſet. Neque in Commentariis ſuper eo receſſu veſtigium ullum ejusmodi pœnitentiæ compertum fuiſſe dicit; Nec decuiſſe etiam *vivam adeo*

Magnanimitatis imaginem poſteris exponi pœnitentiæ panno obvelatam. *Weit. I. Dec. 1. L. I. ad MDLVI.*

III. Abdicationis Coactæ, (diceres Depoſitionem & non incongruo vocabulo in ſpecie Exaugurationem, veluti Abdicatio Voluntaria alio nomine eſt Renunciatio, Reſignatio) non minor gravitas eſt, & ſacro ſuo Titulo tunc orbantur Reges, vel propria culpa ſua vel malitia aliena. Ita olim in Gallia Childericus III. Regno excidit, Pipino Majore Domus, qui Regium nomen non diſſimulanter affectaverat, ſtuporem & ſocordiam ejus cauſante, Zacharia P. M. deinde, qui Pipino tunc contra Aiſthulphi & Longobardorum injurias ſummopere indigebat, Conſilia ſuggerente & denique conſentiente. De cujus facti juſtitia V. Pluribus *Barclajum de Poteſtate Papæ c. XLI.* In Anglia ſimiles vices olim expertus fuit Richardus II. de cujus depoſitione V. peculiarem Tractatum *Henr. Knighton in Scr. Hiſt. Angl. Ed. 1652.* Et noſtro tempore Pientiſſimus Angliæ Martyr Carolus I. rebelli ſuorum furore injuſtiſſime & regno & Vita privatus, pro quo negotio, cum variorum ſcriptis jam notum ſit, proponimus conſulendum Tr. *Regii Sanguinis Clamor ad Cœlum adverſus Parricidas Anglicos Hag. MDCLII.* In Polonia Henrico Valeſio, Galliæ ejus nominis Regi Tertio, cum clanculum ſe inde proripuiſſet, A. MDLXXIV. Imperium abrogatum fuit, *Decreto ea de re Eid. Util. facto, quo Senatus & Equeſtris Ordo declarabat, quando Rex ad Diem Varſavienſibus ſuperioris Anni Comitiis præfinitum in Poloniam non veniſſet, ſe omni fidei & Obſequii Jus ei renunciare, ipſum v. Regno excidiſſe, jamque Interregnum eſſe, perinde ac ſi Rex defunctus eſſet, quod tunc per Regni & Aulæ Tribunos palam & in ipſis Comitiis & poſtea Cracoviæ, ut cunctis innoteſceret, nec quenquam* Exauguratio *latere poſſet, a publico præcone proclamatum eſt. Thuan. L. LXI. ad A. MDLXXIV.* In Suedia A. MDCIV. Ordinum Decreto Sigismundo abrogata Poteſtas. *Thuan. L. CXXXI.* V. Tr. *Exegeſis Hiſtorica cauſas commemorans, quibus Ordines Regni Suecici provocati Sigismundum Regem Poloniæ ejusque progeniem &c. Suecano exuerunt Diademate Francof. MDCXX. 4.* In Imperio noſtro oportuit Ludovicum Pium Imp. coram Filiis & rebellibus Sacerdotibus, quos intempeſtivo affectu proſecutus fuerat, Compendii in Concilio Imperialem Dignitatem cum Vita Monaſtica commutare. V. *Acta Exautorationis ejus T. II. Scr. Gall. du Cheſne p. 331.* Item *Agobardi Archie-*

chiepiſcopi Lugdunenſis Epiſtolam ad Ludov. Imper. de Monarchia Imperii Francici T. 1. Goldaſt. de Monarch. S. R. I. Et Wenceslaum ob res male geſtas Electores (*Burgoldenſi p. 1. Diſc. XIX. §. X.* videntur & reliqui ſtatus acceſſiſſe, ſed contrarium patet ex §. IIX. Sententiæ Exautorationis) throno dejecere. V. *Sentent. Exautor. in T. 1. Conſtit. Goldaſti.* De Jure Pontificis M. circa hanc rem nihil nunc dicemus. Videatur *M. Anton. de Dom. de Rep. Eccl. L. VI. c. X.* & Diploma Friderici II. Imp. *de Uſurpatione &c. & quod Papa non poſſit inſtituere aut deſtituere Imperatorem, Reges ac Principes T. 1. Conſt. Imp. Gold. p. 306.*

IV. Ritus hic pauci ſunt: Exaugurationem Henrici III. in Polonia publica Præconis voce factam docet *Thuanus l. ante cit.* Circa Caroli V. abdicationem Regnorum Hiſpanicorum tradit *Godelævæus l. cit.* In ſingulis Urbibus, ubi publicum Conſilium aliquod fuerit, Fecialium duorum Gentilitiis Regni ſignis & ornamentis inſtructorum in ſuggeſtu ſibi invicem oppoſitorum alterum dediſſe, alterum accepiſſe ſceptrum, enſem & galeam, & priorem ita locutum fuiſſe: *Quod fauſtum fortunatumque ſit Hiſpaniæ univerſæ atque aliis Provinciis Imp. Carolus V. Hiſpan. Rex legitimo Jure factus, ſponte lubentique animo omni ſe poteſtate abdicat, Regemque eſſe jubet ac heredem ſuum inſtituit Philippum, ita ut in illum omnia jura regnandi poſſidendique atque in alios transferendi tranſlata ſint, more legeque veteri, & eo jure translata, ut quæ optimo jure transferri ſolent privata omnia & publica.* Orationes & Literas Caroli hoc nomine factas habes apud eundem. Sereniſſima Chriſtina, cum Inſignibus Regni ſe exuiſſet, & Voluntatis ſuæ rationem Senatoribus Regni expoſuiſſet, Carolum Guſtavum Succeſſorem ſuum compellavit: *Pro te,* inquit, *Nepotum Cariſſime, proque Regno Suediæ Deum Optimum precor, uti hic dies omnibus ſalutaris & fauſtus illuxerit. Poſui ego hæc regni ornamenta, ut quæ inſtatu ſuo in animo Chriſti Spiritus loquitur, exequi, negociaque ſuſceptæ peregrinationis tranſigere poſſim. Tu interim ea, quæ poſui, Me Tibi transferente ita accipe, ut noſtri beneficii memoria Regnum feliciter adminiſtres, Noſque abſentes etiam diligas, Thalden. l. prox. cit.* Fuereque tunc & Numi projecti, qui Coronam cum Inſcriptione continerent, ET SINE Te, quod ex *Gualdo Galeazz. in V. Chriſtinæ Reg.* refert *Sprenger. Tacit. Axiom. L. 1. c. XLIII.* De Cerimoniis recentiſſimæ Abdicationis Sereniſſimi Regis Poloniæ

Digitized by Google

res omnibus nota eſt. Non pigebit tamen graviſſimam Ejus Orationem hic adjicere, & ita Diſſertationem præſentem claudere, ſi de conſequenti Abdicationis prius monuerimus, illud eſſe, ut reſervetur Abdicatis Annuorum redituum quædam portio, qualis fuit CM. Florenorum Carolo V. & CCM. Impp. Dn. Chriſtinæ aſſignata, ſub Hypotheca Inſularum *Oeſel*, *Oeland* & *Gotland*, quam tamen ultra dimidium reduci poſtmodo placuit. Ipſæ vero Perſonæ Illuſtres vel Regno plane excedunt, quemadmodum Gotarzes in Hyrcaniam abiit, apud *Tac. l. c.* vel in Regno privatam vitam ſectantur, eamque aut civilem, ut Diocletianus hortorum culturæ ſe abdicens, aut Eccleſiaſticam, veluti Lotharius Imp. in Cœnobio Prumienſi vitam tranſegit, Carolus V. in cœnobio S. Juſti, Wilhelmus Dux Bavariæ in Cœnobio Carthuſianorum juxta Ratisbonem &c.

ORATIO
Sereniſſimi Regis Poloniæ
JOH. CASIMIRI,
qua ipſemet Ordinibus valedixit & Regno ſe abdicavit.

Quando jam affluit impellitque Hora, ut Amoris Paterni debitum a ducentis octoginta annis huic inclytæ Reipublicæ pupillæ domus noſtræ exſolvam, dierum maturus, Comitiis & caſtris defeſſus, calamitatibus annis viginti preſſus, Rex & Pater, quod mundo pretioſiſſimum eſt, coronam in manus Dominationum Veſtrarum deponam: Vice ſolii ſolum mihi privatum eligo, ultimus domus meæ, cum Regno ſuneris mei, ſuperſtes emorior. Pro Sceptro particulam terræ mihi in ſinu chariſſimæ matris communis Veſtræ meæque Patriæ intra cineres Majorum meorum relinquo. Vos ſicut primum me in caſtris, extremum a præliis videratis, ita in Annalibus primum, qui amore Patriæ augendæque ejusdem felicitatis Regnum poſuerit, & Majeſtatem Regiam in diſpoſitionem Veſtram reſtituerit, memineritis. Amor Dominationum Veſtrarum liberis vocibus huic me ſolio impoſuit: Amor meus erga Dominationes Veſtras me ſupremum utri-

utrimque lineæ heredem libere demittit. Monarchæ cæteri, filiis, fratribus, aut conſanguineis, Coronam tradebant: Ego Patriæ chariſſimæ, cujus Pater ſum & filius, cujus amore e Duce gregarius, ex Principe obediens, ex Rege Concivis fio, ut ſummiori & Reipublicæ commodiori locum concedam; Cujus in Electione ut Deus Dominationes Veſtras proſperet, in ſolitudine mea vacuus negotiorum Majeſtatem ejus Sanctam anxius precabor. Gratias igitur Dominationibus Veſtris ago pro omnibus erga me charitatibus, meritis & ſuſceptis periculis, gratias ago pro conſiliis, præſidio & ſumtibus. Si cui ex Rationibus Status vel fatorum quid ingratum me Rege accidit, Veniam oro, ipſe viciſſim omnibus do veniam. Valedico inſuper omnibus Dominationibus Veſtris, & Cordi meo admoveo, quorum dulcem memoriam, dum vivam, circumferam. Benedictionem inſuper omnibus Dominationibus Veſtris & ſingulis relinquo, & quanquam loco disjunctus, animo tamen a communi Matre nunquam dividar.

DISSERTATIO VI.

DE

INSIGNIBUS ET CULTU REGUM.

CAPUT I.

Inſignium Vox & Deſcriptio: Veſtes Inaugurationibus deſtinatæ apud Veteres Reges Perſiæ, Caroli M. in Imperio &c. Dalmaticæ: Chlamys Purpurea, Veſtes Holoberæ: Sacrum Encauſtum, Natura Purpuræ: Color Albus in Habitu Regio, Veſtes Violaceæ Regum Angliæ & Galliæ: Chirothecæ, Calcei: Veſtitus Imperatorius.

I.

INSIGNIUM Vox ab *Inſignis* eſt, hoc eſt, notatus, ſigno conſpicuus. *Inſigne* in genere nota, qua aliquid ſignatur, quo ſenſu Sol forſan erit *Inſigne Radiatum diei* apud *Lucret. Lib. V.*

Propterea noctes biberno tempore longæ
Ceſſant, dum veniat Raditatum Inſigne diei.

Digitized by Google

V. Martin. Lex. Voc. Inſigne, *B. Parentem meum Origg. L. L. V.* Signum. Strictiori ſenſu ſunt Phrenoſchemata ſeu conſtantes illæ Familiarum Impreſiæ, & æquivalenti ſignificatu *Arma*, *Arma Gentilitia*, Wapen *&c.* dicuntur. Medio & paulum latiori ſignificatu ſunt propria alicujus ornamenta, quibus ab aliis diſtinguitur, definiente *Accurſio l. 2. in princ. in verſ. Inſignibus ff. de his qui not. infam.* eoque Græcorum *παράσημα*, *ἐπίσημα*, *σύμβολα*, item *Ornamenta* ipſis æquivalent. *V. Novell. XXIV. c. 1. L. IV. C. de Injuriis &c.* Ita Veterum Romanorum toga prætexta, ſecures, faſces, ſella curulis *Inſignia* Magiſtratuum erant, quemadmodum Cicero loquitur in L. Piſonem: *Tum Lictoribus in toga & prætexta Conſulatum eſſe putas, quæ ornamenta in Sex. Clodio te Conſule eſſe voluiſti. Hujus tu Clodiani canis* Inſignibus *Conſulatum declarari putas?* Item *Virgil. XI. Æneid. Et ſellam Regni trabeamq;* Inſigne *vetuſti. Ulpian. L. 1. ff. de Proc. Offic. Proconſul ubique quidem Proconſularia* Inſignia *habet &c.* Quem ſenſum in præſens noſtrum facimus, ornatum, cultum, & Arma Regia per partes viſuri, cæteris Grammaticorum prætermiſſis, num Arma recte uſurpentur pro Inſignibus, & an *Inſigniis* æq; ac *Inſignibus* dici poſſit, quorum cauſa laborioſiſſimus Valla Veteri Bartolo litem movit, &c. Videatur de iis inter alios *Limn. J. P. L. VI. c. VI. n. II. III. IV.*

II. Initium nobis Veſtes erunt, Perſonæ Regiæ proximæ, quas Reges vel ſolo Inaugurationis, vel toto Vitæ ſuæ tempore gerunt. Iſtiusmodi erant Veſtes Veteris Cyri, quas Paſargadis Sacello bellicæ Deæ novum Regem depoſita Veſte propria induere oportebat, in ſignum exuendæ ſuperbiæ & humilitatis in memoriam revocandæ. Εἰς πασαργάδας δεῖ τὸν τελούμενον παρελθόντα τὴν μὲν ἰδίαν ἀποθέσθαι στολὴν, ἀναλαβεῖν δ' ἣν Κῦρος ὁ παλαιὸς ἐφόρει, πρὶν ἢ βασιλεὺς γενέσθαι. *Paſargadas ingreſſum, qui inauguratur, ſtolam ſuam oportet ponere, & induere eam, quam Cyrus priſcus, priusquam Regno potiretur, geſſit. Plut. in Artoxerx. init.* In Imperio noſtro ſunt Veſtes Caroli M. quibus Imperator Diaconi in modum induendus eſt, easque numerat *Hartman. Maurus: Dalmaticam Albam* holoſericam *precioſiſſimis margaritis gemmisq; diſtinctam; Auream ſtolam, margaritis quoque adornatam*, Cappam Holoſericam *violacei coloris, cui Aurum in modum*

dum Aquilæ intextum: Alterum Amiculum rubei coloris *contextum pari modo magna Aurea Aquila. De Coron. Germ. Caroli V.* Regum Peguanorum veſtis interior rei ſacræ inſtar aſſervatur. *Le Blanc. Itin. p. 1. C. XXII.* In Gallia eandem & Chirothecas comburi docet *Contin. Thuan. L. III. in Coron. Ludov. XIII.*

III. Pro communi Regum habitu iſte allegandus erit, quem frequentiſſime *Dalmaticam* nomine commemorant, ita tamen ut iis nihil aliud intelligatur, quam vel paludamentum, vel chlamys, vel aliud quodcunque laxum & corpus involvens veſtimentum, ſeu decidua in Poplites Tunica, quales Regibus communes eſſe Inaugurationum, Comitiorum & ſſ. Solennia frequentiſſime teſtantur. Paludamentum Regis Galliæ commemorant *Gramond. L. 1. Thuld. p. 1. L. 3.* Regum Angliæ ſimilem Habitum enumerant, quotquot vel Inaugurationem vel Comitia Anglicana exponunt. *V. Diar. Eur. Contin. VI. p. 62. de Coronatione Caroli II.* Imperatoriam *Dalmaticam Hartmannus Maurus* infra recenſebit: Quibus ſimiles Tunicas tamen & extantioribus Miniſtris ſuis communicari ſinunt, unde Habitus ille Parliamentarius in Anglia, Parium Franciæ in Gallia, & peculiaris Titulus ibidem notus *des Magiſtrats & gens, qu' on appelle de longue robbe:* De quibus in ſeqq. pluribus agemus. Interim ſi proprio ac veteri ſenſu accipiantur Dalmaticæ, huc non pertinebunt, cum Tunicas manuleatas deſignent, in uſum quidem traductas, ſed non ſemper ſine infamia. Dicit quidem *Baronius*, Reges jam olim iis uſos fuiſſe *Martyrolog. ad XXXI. Mai:* Commodum, Heliogabalum *Dalmaticatos* deſcribi: *Dalmaticatus in publicum proceſſit, atque ita ſignum quadrigis emittendis dedit.* Lamprid. in Commod. *Dalmaticatus in publico poſt cœnam ſibi viſus eſt, Gurgitem Fabium & Scipionem ſe appellans, quod cum ea veſte eſſet, cum qua Fabius & Cornelius a parentibus ad corrigendos adoleſcentes eſſent producti.* Idem in Heliogabalo. Item *Julium Capitolinum* meminiſſe *Dalmaticarum*, quibus *Pertinax* Imp. uſus fuerit. Sed cuncta hæc non uſum Dalmaticarum, verum exempla probroſorum Principum præ ſe ferunt. *Capitolinus Dalmaticarum* quidem meminit, non v. quibus uſus fuerit Pertinax, ſed quæ Commodi fuerant, cujus rerum Auctio ſub Pertinace inſtituebatur. Cæteros quod attinet, Commodum & Heliogabalum, præter eos nullus ſanus aut honeſtus

Prin-

Princeps ipſas geſtaſſe legitur, iſtaque cauſa fuit, cur illi a Scriptoribus notarentur. Nec ratione carebat, cur *Dalmaticæ* probro haberentur, quia manuleatæ erant, quia mulierum virorumque effœminatorum habitus fuit. Ut proinde *Dalmaticæ* vel alio, & deſignato a nobis ſenſu, vel plane nullo hic veniant.

IV. In Veteri Romano Imperio Imperii Inſigne in Chlamyde *Purpurea* erat: Τὸ διαφέρον τῆς βασιλικῆς περιβολῆς ἀπὸ τῆς ἀλουργίδος ἦν: *Eutrop. L. IX. in Dioclet.* Sic Maximus *Purpura* injecta Imperator ſalutatus eſt: Πορφύραν ἐπιβαλόντες βασιλικὴν Αὐτοκράτορα ἀναγορεύουσιν. *Herodian. L. VI. fin. in Alexandr.* Nigrum verba facientem exercitus *Imperatoria Purpura* amicivit: Εὐθέως τὸ στρατιωτικὸν πᾶν καὶ τὸ συνειλεγμένον πλῆθος, Αὐτοκράτορα τε αὐτὸν καὶ Σεβαστὸν προσηγόρευσε. Τήν τε βασίλειον πορφύραν περιβαλόντες, &c. εἰς τε τὰ ἱερὰ τῆς Ἀντιοχείας Νίγρον ἄγουσι, καὶ εἰς τὴν αὐτοῦ οἰκίαν καθιστᾶσιν. *Idem L. II. in Julian.* Vnde & *Porphyrogenneti* nomen aliqui derivarunt, quaſi Proles Imperateria in Purpura nata, hoc eſt deſtinata Imperio eſſet, cui rei ſatisfecimus *Diſſ. II. c. III. §. I. Et Purpuræ* ſumptio pro capeſſito Imperio uſurpata. Sic Poſthumus in Gallia περιθεὶς ἑαυτῷ τὴν ἀλουργίδα, Purpuram ſumpſit *Eutrop. L. IX.* Item Carauſius ἀλουργίδα τε ἐνέδυ καὶ καταλαμβάνει τὰς Βρεττανικὰς πόλεις, *Purpuram* ſumpſit & Britannicas Urbes occupavit. *Id. eod. L. in Dioclet.* Er in tumultuariis Imperatorum creationibus direptam a vexillis *Purpuram* aut de ſimulacris Deorum, cum aliunde non ſuppeteret, ut ea Imperatorem induerent, Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores notarunt. *Ferrar. de Re Veſtiar. Ant. P. I. L. II. c. IX.* Quam *Purpuram* deinde ad totam Familiam ſuam Imperatores extendi paſſi ſunt, quemadmodum de Dalmatio, Anaballiano & Conſtantio Conſtantini M. Conſanguineis teſtatur Zoſimus, quod uſi fuerint veſte Purpurea & aureis limbis ornata ἐσθῆτι χρώμενοι κοκκοβαφεῖ καὶ περιχρύσῳ *Vit. Conſt. L. III.* Et Imp. Theodoſ. cum univerſis ea poſſeſſione interdixiſſet, quæ ſoli Principi *ejusq; Domui* dedicaretur, primum pallia tunicasq; ſericas, tum *quæ tincta Conchylio, quæ nullius alterius permixtione contexta ſint*, ac tunicas aut *pallia ex omni parte texturæ cruore infecta conchylii* proferri jubet *L. IV. C. de Veſt. Holob.* Eamq; tam ſancte cuſtodiri voluerunt, ut Læſæ Majeſtatis tenerentur, qui privati Purpuram ſumerent *fin. c. L.* Immo ne in ſpeciem quidem *Sacri Muricis* veſtes tingi ſinebant, Capitali

pitali pœna Transgreſſoribus propoſita *L. III, cit. T. C.* Et Chryſoſt. Or. de Anathem. Ὁ περιθεὶς ἑαυτῷ ἁλουργίδα βασιλικὴν ἰδιώτης τυγχάνων αὐτός τε καὶ οἱ αὐτῷ συνεργήσαντες ὡς τύραννοι ἀναιροῦνται. Sic Maram Diaconum accuſatum legimus, quod veſtem ſibi a Tyrii Textrini gerdiis parari juſſerat, ap. *Amm. Marcell. L. XIV.* Et Sueton. in Nerone ſcribit, Matronam quandam quod purpura uſa eſſet non veſte tantum, ſed Bonis cunctis exutam fuiſſe. Hujus intuitu & *Purpuram Summam* dixere: Lamprid. de Alexandro: *Ulpianum ſæpe a militum ira objectu* Purpuræ Summæ *defendit.* Quod *Caſaubonus* quidem accipit de *Purpura*, quæ in ſumma ſive in extrema veſte fuit prætexta: Quaſi ſolo limbo ac faſcia extrema *Purpurea* defenſus fuerit Ulpianus, & non totius Veſtis *Purpureæ* Imperatoriæ objectu. Sed dura interpretatione; cujus vice cum *Ferrario* malumus *Purpuram Summam* Imperatoriam reddere, veluti & ſenſu plane ſimili *Purpuram Principalem, Sacrum Muricem, Purpuram Veri Luminis, & Veſtem Alethinam*, h. Veram, verique coloris dixere. V. *Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ* paſſim. Quo pertinent etiam *Holoveræ* ſeu *Holoberæ Veſtes*, quarum mentio fit toto *Tit. C. de Veſtibus Holoberis, & auratis, & de intinctione Sacri muricis ante cit.* Et illas quidem ſericas interpretantur ſeu totas ſericas, quia Zonaras Βήρους dicat eſſe Veſtes Sericas. *V. Gothofred. not. ad h. l. Turneb. Adverſ. 1. XIII.* Nos tamen & *totas Purpureas* reddi poſſe cenſemus, cum Familiæ Imperatoriæ propriæ fuerint, idque ſeu Voce Hybrida, aut Græco Latina, quod totæ Veræ, ſive ex Vero Colore eſſent, cum *Purpureum* Colorem per quandam excellentiam Verum appellarent, unde & Chlamys veri Coloris apud *Trebell. Poll.* & Veſtis Alethina paulum ante commemorata; Seu corrupto Vocabulo & ſimpliciori notatione ex ὁλοπόρφυρα, unde Holophora, Holophera, & Holovera facta ſint, cum Iſidorus Holophora q. tota ex Purpura facta reddat *Orig. L. XIX. c. XXII.* Cætera quæ *Salmaſ. ad Trebell.* & ex eo *Ferrar. c. X. ad L. III. cit. T.* tradunt, inutili ſubtilitate nituntur. De Purpura vero, quod hic dicendum reſtat, eſt, Poſteriores Imperatores hac in parte æquanimiores fuiſſe; permiſitque Imp. Leo, ut Purpuræ ſegmenta & Particulæ in publicis mercimoniis ſint. *Decet enim Imperatoriam Majeſtatem cum aliis modis ſubditos Beneficiis afficiat, eorundem Magnificentiæ ne invideat.* Novell. LXXX. Idipſum de Tiberio Juniore perhibet Cedrenus. Conf. *Lindenbrog. in Amm. Marcell. L. XIV.*

U V. Non

J. Publ. L. 1. c. x1. Sprenger. *Luc. Imp. c. 1. p. 57.* Cauſamque hanc habuit, ſi non conſuetæ æmulationis pars fuit, quod Carolum V. Imp. Lutetiam Pariſiorum ingredientem Galliæ Rex Franciſcus prolixis honoris ſignis quidem proſequeretur; atro tamen Equo, quo in ingreſſu veheretur, donaret, cum ipſe ſolus Equo Albo inſideret, quod obſervat *Bellius. Hiſt. L. XVI.*

VII. De Coloribus Regiis apud Veteres Perſas hæc ex Curtio nobis conſtant. L. III. c. III. *Cultus Regius inter omnia Luxuria notabatur: Purpureæ Tunicæ medium Album intextum erat: Pallam Auro diſtinctam Aurei accipitres velut roſtris inter ſe corruerent, adornabant, & Zona Aurea muliebriter cinctus acinacem ſuſpenderat, cui ex gemma erat vagina. Cidarim Perſæ Regium Capitis vocabant Inſigne; hoc Cœrulea faſcia albo diſtincta circumibat.* Ut proinde Inſigne Regium tribus coloribus eminuerit, Albo, Rubro, & Cœruleo: Sunt tamen e Criticis, qui pro Cœrulea legant erubea, ut Acidalius, alii hocce rubea. Lipſius ad Tacit. VI. XXVII. II. vel Coccinea pro Cœrulea, vel Cœruleum, ut referatur ad Cidaris Inſigne, ſcribi poſſe exiſtimat. V. *Freinſhem. in c. l. Curtii.* In China Color Regis, cæteriſque omnibus interdictus Flavus eſt, e quo veſtis ejus contexta eſt variis conſtans ex aureo filo Draconibus; Nec in Veſte ſolummodo Regia Dracones, ſed & in Palatio univerſo vaſiſque Argenteis, Aureiſque, & reliqua ſupellectile; vel celati vel depicti viſuntur. Quin ipſa etiam Tecta ac Tegulæ Flavum Colorem & Dracones ſpectandos exhibent; ne quid in Regio Palatio, quod Regium colorem non præferat, appareat. Si quis eum Colorem aut Dracones in proprios uſus adhiberet, is utique ceu perduellis pœnis ſubjaceret, niſi forte Regio ſanguine prognatus eſſet. *Kircher. Chin. L. II. c. X.*

VIII. Denique Angliæ ac Galliæ Regibus ſingulare eſt, quod in luctu non nigris, uti communiter fieri ſolet, ſed violacei coloris veſtibus utantur. *Ibat Rex habitu Violaceo, hæc Regibus Gallis in luctu Veſtis,* inquit de Ludovico XIII. Henricum Parentem lugente *Gramond. L. 1.* Confer *Contin. Thuan. L. III.* Quem tamen Ludov. XII. ad mortem Conjugis Annæ cum atrato commutavit: *Il prit contre la couſtume des Roys de France le dueil, Nois & ne permit, que perſonne entraſt en ſon cabinet, qu' en habit de dueil, Hilar. de Coſte T. 1. des Eloges & vies des Roques &c. p. I. p. 10.* Et Ludovicus XIV. audita morte Cromwelli cum in luctu Galli Reges *violaceo colore uti conſueverint, atra-*

Digitized by Google

tus inceſſit Cromwelis cauſa. Thuld. ad Anno M DCLIIX. L. IX. p. 324. quod ille quidem in ſigno acerbi luctus habet, nos tamen ideo factum arbitramur, ut ſolito ſibi ac Regio Luctu indignum eſſe indicaret, Reginæ Gallicæ vero Colorem caſtaneum, *Le Tanné (Graſſerus* reddit, Nägelfenfarbe Frantz. Schatzk. *de Exeq. Reg. Gall. p. 132.)* in luctus ſigno habent: Quod tamen limitat *Favyn:* Fieri, quoad vivant mariti Reges. Poſt mortem eorum autem habitu Albo uſæ ſunt; unde & Blancarum Nomen Franciæ Viduis Regiis tributum *pour ce que durant leur Viduité elles portoient un voile blanc.* Du Haillan *de l' Eſtat des Affaires de France L. 3.* Si non a matre Ludovici IX. ſ. Sancti quæ Blanca dicta fuit & ſumma cum laude Regimen adminiſtravit, ita dici voluere, quod ſuſpicatur *Steph. Paſquier Recherch. L. V. c. XVII.* Catharina de Medicis tamen, vidua Henrici II. Item Maria de Medicis, Vidua Henrici IV. Anna Auſtriaca vidua Ludovici XIII. Reginæ Matres dici voluere. Et rationem discriminis reddit *Scip. du Pleix.* T. III. Hiſt. de Fr. f. 215. Ita uſu receptum eſſe, ut *Reginæ Matres* dicerentur, quæ Filium haberent Regem; *Albæ* vero Viduæ Regiæ ſine liberis. Nigrum habitum Vidua Caroli IIX. Regis induit, præter morem Viduarum Regiarum Galliæ, inquit idem *Du Pleix*, quæ album ante geſtarunt. Mariæ de Medicis vero vitio datum fuit, *quod luctum tam propere exuiſſet & ſplendido cultu, vix dum exacto a Funere Anno gemmis ac unionibus fulgurans paſſim procederet, cum Catharina Medices Henrici II. Galliarum Regis vidua toto vitæ tempore pullata lugubri cultu ſpectandam ſe præbuerit & Catharina Lotharinga Ferdinandi magni Hetruriæ Ducis vidua, ſervati pudoris fœmina, tot jam annos a funere Conjugis atrata luctum agat &c. Buleng. Hiſtor. Lib. VI.*

IX. In minutioribus, ut Calceis, Chirothecis & Ss. recenſendis prolixi non erimus. Angli in Coronatione Regum ſuorum eos Chirothecis induunt, Hungari calceis etiam: Hi vigilantiæ & induſtriæ Symbolum fuerint, iſtæ innocentiæ, ut a rapinis & fraudibus mundas manus habeant. V. *Petr. de Rewa Monarch. Hung. cent. VII. p. 150.* & ex eo *Gockel. de Reg. Europ. c. 1. n. 98. 99.*

X. Reliquam huc pertinentem materiem Lectori ex Habitu Caroli V. Imp. dignoſcendam proponimus, quem geſſit cum Mauritium Saxonem Electoratu donaret, deſcribente *Nicol. Mamerano Tr. de Inveſtitura* hoc conſcripto in *Polit. Imp. Goldaſt. P. VI. n. V.*

Magnanimitatis imaginem poſteris exponi pœnitentiæ panno obvelatam. V. cit. I. Dec. 1. L. I. ad MDLVI.

III. Abdicationis Coactæ, (diceres Depoſitionem & non incongruo vocabulo in ſpecie Exaugurationem, veluti Abdicatio Voluntaria alio nomine eſt Renunciatio, Reſignatio) non minor gravitas eſt, & ſacro ſuo Titulo tunc orbantur Reges, vel propria culpa ſua vel malitia aliena. Ita olim in Gallia Childericus III. Regno excidit, Pipino Majore Domus, qui Regium nomen non diſſimulanter affectaverat, ſtuporem & ſocordiam ejus cauſante, Zacharia P. M. deinde, qui Pipino tunc contra Aiſthulphi & Longobardorum injurias ſummopere indigebat, Conſilia ſuggerente & denique conſentiente. De cujus facti juſtitia V. Pluribus *Barclajum de Poteſtate Papæ c. XLI.* In Anglia ſimiles vices olim expertus fuit Richardus II. de cujus depoſitione V. peculiarem Tractatum *Henr. Knighton in Scr. Hiſt. Angl. Ed. 1652.* Et noſtro tempore Pientiſſimus Angliæ Martyr Carolus I. rebelli ſuorum furore injuſtiſſime & regno & Vita privatus, pro quo negotio, cum variorum ſcriptis jam notum ſit, proponimus conſulendum Tr. *Regii Sanguinis Clamor ad Cœlum adverſus Parricidas Anglicos Hag. MDCLII.* In Polonia Henrico Valeſio, Galliæ ejus nominis Regi Tertio, cum clanculum ſe inde proripuiſſet, A. MDLXXIV. Imperium abrogatum fuit, *Decreto ea de re Eid. Util. facto, quo Senatus & Equeſtris Ordo declarabat, quando Rex ad Diem Varſavienſibus ſuperioris Anni Comitiis præfinitum in Poloniam non veniſſet, ſe omni fidei & Obſequii Jus ei renunciare, ipſum v. Regno excidiſſe, jamque Interregnum eſſe, perinde ac ſi Rex defunctus eſſet, quod tunc per Regni & Aulæ Tribunos palam & in ipſis Comitiis & poſtea Cracoviæ, ut cunctis inoteſceret, nec quenquam* Exauguratio *latere poſſet, a publico præcone proclamatum eſt. Thuan. L. LXI. ad A. MDLXXIV.* In Suedia A. MDCIV. Ordinum Decreto Sigismundo abrogata Poteſtas. *Thuan. L. CXXXI.* V. Tr. *Exegeſis Hiſtorica cauſas commemorans, quibus Ordines Regni Suecici provocati Sigismundum Regem Poloniæ ejusque progeniem &c. Suecano exuerunt Diademate Francof. MDCXX. 4.* In Imperio noſtro oportuit Ludovicum Pium Imp. coram Filiis & rebellibus Sacerdotibus, quos intempeſtivo affectu proſecutus fuerat, Compendii in Concilio Imperialem Dignitatem cum Vita Monaſtica commutare. V. *Acta Exautorationis ejus T. II. Scr. Gall. du Cheſne p. 331.* Item *Agobardi Ar-*

chie-

chiepiſcopi Lugdunenſis Epiſtolam ad Ludov. Imper. de Monarchia Imperii Francici T. 1. Goldaſt. de Monarch. S. R. I. Et Wenceslaum ob res male geſtas Electores (*Burgoldenſi p. 1. Diſc. XIX. §. X.* videntur & reliqui ſtatus acceſſiſſe, ſed contrarium patet ex §. IIX. Sententiæ Exautorationis) throno dejecere. V. *Sentent. Exautor. in T. 1. Conſtit. Goldaſti.* De Jure Pontificis M. circa hanc rem nihil hunc dicemus. Videatur *M. Anton. de Dom. de Rep. Eccl. L. VI. c. X.* & Diploma Friderici II. Imp. *de Uſurpatione &c. & quod Papa non poſſit inſtituere aut deſtituere Imperatorem, Reges ac Principes T. 1. Conſt. Imp. Gold. p. 306.*

IV. Ritus hic pauci ſunt: Exaugurationem Henrici III. in Polonia publica Præconis voce factam docet *Thuanus l. ante cit.* Circa Caroli V. abdicationem Regnorum Hiſpanicorum tradit *Godelevæus l. cit.* In ſingulis Urbibus, ubi publicum Conſilium aliquod fuerit, Fecialium duorum Gentilitiis Regni ſignis & ornamentis inſtructorum in ſuggeſtu ſibi invicem oppoſitorum alterum dediſſe, alterum accepiſſe ſceptrum, enſem & galeam, & priorem ita locutum fuiſſe: *Quod fauſtum fortunatumque ſit Hiſpaniæ univerſæ atque aliis Provinciis Imp. Carolus V. Hiſpan. Rex legitimo Jure factus, ſponte lubentique animo omni ſe poteſtate abdicat, Regemque eſſe jubet ac heredem ſuum inſtituit Philippum, ita ut in illum omnia jura regnandi poſſidendique atque in alios transferendi tranſlata ſint, more legeque veteri, & eo jure tranſlata, ut quæ optimo jure transferri ſolent privata omnia & publica.* Orationes & Literas Caroli hoc nomine factas habes apud eundem. Sereniſſima Chriſtina, cum Inſignibus Regni ſe exuiſſet, & Voluntatis ſuæ rationem Senatoribus Regni expoſuiſſet, Carolum Guſtavum Succeſſorem ſuum compellavit: *Pro te,* inquit, *Nepotum Cariſſime, proque Regno Suediæ Deum Optimum precor, uti hic dies omnibus ſalutaris & fauſtus illuxerit. Poſui ego hæc regni ornamenta, ut quæ inſtatu ſuo in animo Chriſti Spiritus loquitur, exequi, negociaque ſuſceptæ peregrinationis tranſigere poſſim. Tu interim ea, quæ poſui, Me Tibi transferente ita accipe, ut noſtri beneficii memoria Regnum feliciter adminiſtres, Noſque abſentes etiam diligas, Thalden. l. prox. cit.* Fuereque tunc & Numi projecti, qui Coronam cum Inſcriptione continerent, ET SINE Te, quod ex *Gualdo Galeazz. in V. Chriſtinæ Reg.* refert *Sprenger. Tacit. Axiom. L. 1. c. XLIII.* De Cerimoniis recentiſſimæ Abdicationis Sereniſſimi Regis Poloniæ

res omnibus nota eſt. Non pigebit tamen graviſſimam Ejus Orationem hic adjicere, & ita Diſſertationem præſentem claudere, ſi de conſequenti Abdicationis prius monuerimus, illud eſſe, ut reſervetur Abdicatis Annuorum redituum quædam portio, qualis fuit CM. Florenorum Carolo V. & CCM. Impp. Dn. Chriſtinæ aſſignata, ſub Hypotheca Inſularum *Oeſel*, *Oeland* & *Gotland*, quam tamen ultra dimidium reduci poſtmodo placuit. Ipſæ vero Perſonæ Illuſtres vel Regno plane excedunt, quemadmodum Gotarzes in Hyrcaniam abiit, apud *Tac. l. c.* vel in Regno privatam vitam ſectantur, eamque aut civilem, ut Diocletianus hortorum culturæ ſe abdicens, aut Eccleſiaſticam, veluti Lotharius Imp. in Cœnobio Prumienſi vitam transegit, Carolus V. in cœnobio S. Juſti, Wilhelmus Dux Bavariæ in Cœnobio Carthuſianorum juxta Ratisbonem &c.

ORATIO
Sereniſſimi Regis Poloniæ
JOH. CASIMIRI,
qua ipſemet Ordinibus valedixit & Regno ſe abdicavit.

QUando jam affluit impellitque Hora, ut Amoris Paterni debitum a ducentis octoginta annis huic inclytæ Reipublicæ pupillæ domus noſtræ exſolvam, dierum maturus, Comitiis & caſtris defeſſus, calamitatibus annis viginti preſſus, Rex & Pater, quod mundo pretioſiſſimum eſt, coronam in manus Dominationum Veſtrarum deponam: Vice ſolii ſolum mihi privatum eligo, ultimus domus meæ, cum Regno funeris mei, ſuperſtes emorior. Pro Sceptro particulam terræ mihi in ſinu chariſſimæ matris communis Veſtræ meæque Patriæ intra cineres Majorum meorum relinquo. Vos ſicut primum me in caſtris, extremum a præliis videratis, ita in Annalibus primum, qui amore Patriæ augendæque ejusdem felicitatis Regnum poſuerit, & Majeſtatem Regiam in diſpoſitionem Veſtram reſtituerit, memineritis. Amor Dominationum Veſtrarum liberis vocibus huic me ſolio impoſuit: Amor meus erga Dominationes Veſtras me ſupremum utri-

utrimque lineæ heredem libere demittit. Monarchæ ceteri, filiis, fratribus, aut conſanguineis, Coronam tradebant: Ego Patriæ chariſſimæ, cujus Pater ſum & filius, cujus amore e Duce gregarius, ex Principe obediens, ex Rege Concivis fio, ut ſummiori & Reipublicæ commodiori locum concedam, Cujus in Electione ut Deus Dominationes Veſtras proſperet, in ſolitudine mea vacuus negotiorum Majeſtatem ejus Sanctam anxius precabor. Gratias igitur Dominationibus Veſtris ago pro omnibus erga me charitatibus, meritis & ſuſceptis periculis, gratias ago pro conſiliis, præſidio & ſumtibus. Si cui ex Rationibus Status vel fatorum quid ingratum me Rege accidit, Veniam oro, ipſe viciſſim omnibus do veniam. Valedico inſuper omnibus Dominationibus Veſtris, & Cordi meo admoveo, quorum dulcem memoriam, dum vivam, circumferam. Benedictionem inſuper omnibus Dominationibus Veſtris & ſingulis relinquo, & quanquam loco disjunctus, animo tamen a communi Matre nunquam dividar.

DISSERTATIO VI.

DE

INSIGNIBUS ET CULTU REGUM.

CAPUT I.

Inſignium Vox & Deſcriptio: Veſtes Inaugurationibus deſtinatæ apud Veteres Reges Perſiæ, Caroli M. in Imperio &c. Dalmaticæ: Chlamys Purpurea, Veſtes Holoberæ: Sacrum Encauſtum, Natura Purpuræ: Color Albus in Habitu Regio, Veſtes Violaceæ Regum Angliæ & Galliæ: Chirothecæ, Calcei: Veſtitus Imperatorius.

I.

INSIGNIUM Vox ab *Inſignis* eſt, hoc eſt, notatus, ſigno conſpicuus. *Inſigne* in genere nota, qua aliquid ſignatur, quo ſenſu Sol forſan erit *Inſigne Radiatum diei* apud *Lucret. Lib. V.*

Propterea noctes biberno tempore longæ
Ceſſant, dum veniat Raditatum Inſigne diei.

V. Martin, Lex. Voc. Inſigne, *B. Parentem meum Origg. L. I. V.* Signum. Strictiori ſenſu ſunt Phrenoſchemata ſeu conſtantes illæ Familiarum Impreſiæ, & æquivalenti ſignificatu *Arma*, *Arma Gentilitia*, Wapen *&c.* dicuntur. Medio & paulum latiori ſignificatu ſunt propria alicujus ornamenta, quibus ab aliis diſtinguitur, definiente *Accurſio l. 2. in princ. in verſ. Inſignibus ff. de his qui not. infam.* eoque Græcorum παράσημα, ἐπίσημα, σύμβολα, item *Ornamenta* ipſis æquivalent. *V. Novell. XXIV. c. 1. L. IV. C. de Injuriis &c.* Ita Veterum Romanorum toga prætexta, ſecures, faſces, ſella curulis *Inſignia* Magiſtratuum erant, quemadmodum Cicero loquitur in L. Piſonem: *Tum Lictoribus in toga & prætexta Conſulatum eſſe putas, quæ ornamenta in Sex. Clodio te Conſule eſſe voluiſti. Hujus tu Clodiani canis* Inſignibus *Conſulatum declarari putas?* Item *Virgil. XI. Æneid. Et ſellam Regni trabeamq;* Inſigne *vetuſti. Ulpian. L. 1. ff. de Proc. Offic. Proconſul ubique quidem Proconſularia* Inſignia *habet &c.* Quem ſenſum in præſens noſtrum facimus, ornatum, cultum, & Arma Regia per partes viſuri, cæteris Grammaticorum prætermiſſis, num Arma recte uſurpentur pro Inſignibus, & an *Inſigniis* æq; ac *Inſignibus* dici poſſit, quorum cauſa laborioſiſſimus Valla Veteri Bartolo litem movit, &c. Videatur de iis inter alios *Limn. J. P. L. VI. c. VI. n. II. III. IV.*

II. Initium nobis Veſtes erunt, Perſonæ Regiæ proximæ, quas Reges vel ſolo Inaugurationis, vel toto Vitæ ſuæ tempore gerunt. Iſtiusmodi erant Veſtes Veteris Cyri, quas Paſargadis Sacello bellicæ Deæ novum Regem depoſita Veſte propria induere oportebat, in ſignum exuendæ ſuperbiæ & humilitatis in memoriam revocandæ. Εἰς πασαργάδας δεῖ τὸν τελούμενον παρελθόντα τὴν μὲν ἰδίαν ἀποθέσθαι στολὴν, ἀναλαβεῖν δ' ἣν Κῦρος ὁ παλαιὸς ἐφόρει, πρὶν ἢ βασιλεὺς γενέσθαι. *Paſargadas ingreſſum, qui inauguratur, ſtolam ſuam oportet ponere, & induere eam, quam Cyrus priſcus, priusquam Regno potiretur, geſſit. Plut. in Artoxerx. init.* In Imperio noſtro ſunt Veſtes Caroli M. quibus Imperator Diaconi in modum induendus eſt, easque numerat *Hartman. Maurus: Dalmaticam Albam holoſericam precioſiſſimis margaritis gemmisq; diſtinctam*; Auream ſtolam, *margaritis quoque adornatam*, Cappam Holoſericam *violacei coloris, cui Aurum in modum*

dum Aquilæ intextum: Alterum Amiculum rubei coloris *contextum pari modo magna Aurea Aquila. De Coron. Germ. Caroli V.* Regum Peguanorum veſtis interior rei ſacræ inſtar aſſervatur. *Le Blanc. Itin. p. 1. C. XXII.* In Gallia eandem & Chirothecas comburi docet *Contin. Thuan. L. III in Coron. Ludov. XIII.*

III. Pro communi Regum habitu iſte allegandus erit, quem frequentiſſime *Dalmaticarum* nomine commemorant, ita tamen ut iis nihil aliud intelligatur, quam vel paludamentum, vel chlamys, vel aliud quodcunque laxum & corpus involvens veſtimentum, ſeu decidua in Poplites Tunica, quales Regibus communes eſſe Inaugurationum, Comitiorum & ſſ. Solennia frequentiſſime teſtantur. Paludamentum Regis Galliæ commemorant *Gramond. L. 1. Thuld. p. 1. L. 3.* Regum Angliæ ſimilem Habitum enumerant, quotquot vel Inaugurationem vel Comitia Anglicana exponunt. *V. Diar. Eur. Contin. VI. p. 62. de Coronatione Caroli II.* Imperatoriam *Dalmaticam Hartmannus Maurus* infra recenſebit. Quibus ſimiles Tunicas tamen & extantioribus Miniſtris ſuis communicari ſinunt, unde Habitus ille Parliamentarius in Anglia, Parium Franciæ in Gallia, & peculiaris Titulus ibidem notus *des Magiſtrats & gens, qu' on appelle de longue robbe*: De quibus in ſeqq. pluribus agemus. Interim ſi proprio ac veteri ſenſu accipiantur Dalmaticæ, huc non pertinebunt, cum Tunicas manuleatas deſignent, in uſum quidem traductas, ſed non ſemper ſine infamia. Dicit quidem *Baronius*, Reges jam olim iis uſos fuiſſe *Martyrolog. ad XXXI. Mai*: Commodum, Heliogabalum *Dalmaticatos* deſcribi: *Dalmaticatus in publicum proceſſit, atque ita ſignum quadrigis emittendis dedit.* Lamprid. in Commod. *Dalmaticatus in publico poſt cœnam ſibi viſus eſt, Gurgitem Fabium & Scipionem ſe appellans, quod cum ea veſte eſſet, cum qua Fabius & Cornelius a parentibus ad corrigendos adoleſcentes eſſent producti.* Idem in Heliogabalo. Item *Julium Capitolinum* meminiſſe *Dalmaticarum*, quibus *Pertinax* Imp. uſus fuerit. Sed cuncta hæc non uſum Dalmaticarum, verum exempla probroſorum Principum præ ſe ferunt. *Capitolinus Dalmaticarum* quidem meminit, non v. quibus uſus fuerit Pertinax, ſed quæ Commodi fuerant, cujus rerum Auctio ſub Pertinace inſtituebatur. Cæteros quod attinet, Commodum & Heliogabalum, præter eos nullus ſanus aut honeſtus

Prin-

Princeps ipſas geſtaſſe legitur, iſtaque cauſa fuit, cur illi a Scriptoribus notarentur. Nec ratione carebat, cur *Dalmaticæ* probro haberentur, quia manuleatæ erant, quia mulierum virorumque effœminatorum habitus fuit. Ut proinde *Dalmaticæ* vel alio, & deſignato a nobis ſenſu, vel plane nullo hic veniant.

IV. In Veteri Romano Imperio Imperii Inſigne in Chlamyde *Purpurea* erat: Τὸ διαφέρον τῆς βασιλικῆς περιβολῆς ἀπὸ τῆς ἀλουργίδος ἦν: *Eutrop. L. IX. in Dioclet.* Sic Maximus *Purpura* injecta Imperator ſalutatus eſt: Πορφύραν ἐπιβαλόντες βασιλικὴν Αὐτοκράτορα ἀναγορεύουσιν. *Herodian. L. VI. fin. in Alexandr.* Nigrum verba facientem exercitus *Imperatoria Purpura* amicivit: Εὐθέως τὸ στρατιωτικὸν πᾶν καὶ τὸ συνειλεγμένον πλῆθος, Αὐτοκράτορα ἀνεῖπε καὶ Σεβαστὸν προσηγόρευσε. Τήν τε βασίλειον πορφύραν περιβαλόντες, &c. εἴς τε τὰ ἱερὰ τῆς Ἀντιοχείας Νίγρον ἄγουσι, καὶ εἰς τὴν αὐτοῦ οἰκίαν καθιστᾶσιν. *Idem L. II. in Julian.* Vnde & *Porphyrogenneti* nomen aliqui derivarunt, quaſi Proles Imperateria in Purpura nata, hoc eſt deſtinata Imperio eſſet, cui rei ſatisfecimus *Diſſ. II. c. III. §. I. Et Purpuræ* ſumptio pro capeſſito Imperio uſurpata. Sic Poſthumus in Gallia περιθεὶς ἑαυτῷ τὴν ἀλουργίδα, Purpuram ſumpſit *Eutrop. L. IX.* Item Carauſius ἀλουργίδα τε ἐνέδυ καὶ καταλαμβάνει τὰς Βρεττανικὰς πόλεις, *Purpuram* ſumpſit & Britannicas Urbes occupavit. *Id. eod. L. in Dioclet.* Er in tumultuariis Imperatorum creationibus direptam a vexillis *Purpuram* aut de ſimulacris Deorum, cum aliunde non ſuppeteret, ut ea Imperatorem induerent, Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores notarunt. *Ferrar. de Re Veſtiar. Ant. P. I. L. II. c. IX.* Quam *Purpuram* deinde ad totam Familiam ſuam Imperatores extendi paſſi ſunt, quemadmodum de Dalmatio, Anaballiano & Conſtantio Conſtantini M. Conſanguineis teſtatur Zoſimus, quod uſi fuerint veſte Purpurea & aureis limbis ornata ἐσθῆτι χρώμενοι κοκκοβαφεῖ καὶ περιχρύσῳ *Vit. Conſt. L. III.* Et Imp. Theodoſ. cum univerſis ea poſſeſſione interdixiſſet, quæ ſoli Principi ejusq; *Domui* dedicaretur, primum pallia tunicasq; ſericas, tum *quæ tincta Conchylio, quæ nullius alterius permixtione contexta ſint*, ac tunicas aut *pallia ex omni parte texturæ cruore infecta conchylii* proferri jubet *L. IV. C. de Veſt. Holob.* Eamq; tam ſancte cuſtodiri voluerunt, ut Læſæ Majeſtatis tenerentur, qui privati Purpuram ſumerent *fin. c. L.* Immo ne in ſpeciem quidem *Sacri Muricis* veſtes tingi ſinebant, Capitali

pitali pœna Transgreſſoribus propoſita *L. III. cit. T. C.* Et Chryſoſt. Or. de Anathem. Ὁ πεισθεὶς ἑαυτῷ ἁλουργίδα βασιλικὴν ἰδιώτης τυγχάνων αὐτός τε καὶ οἱ αὐτῷ συνεργήσαντες ὡς τύραννοι ἀναιροῦνται. Sic Maram Diaconum accuſatum legimus, quod veſtem ſibi a Tyrii Textrini gerdiis parari juſſerat, ap. *Amm. Marcell. L. XIV.* Et Sueton. in Nerone ſcribit, Matronam quandam quod purpura uſa eſſet non veſte tantum, ſed Bonis cunctis exutam fuiſſe. Hujus intuitu & *Purpuram Summam* dixere: Lamprid. de Alexandro: *Ulpianum ſæpe a militum ira objectu* Purpuræ Summæ *defendit.* Quod *Caſaubonus* quidem accipit de *Purpura*, quæ in ſumma ſive in extrema veſte fuit prætexta: Quaſi ſolo limbo ac faſcia extrema *Purpurea* defenſus fuerit Ulpianus, & non totius Veſtis *Purpureæ* Imperatoriæ objectu. Sed dura interpretatione, cujus vice cum *Ferrario* malumus *Purpuram Summam* Imperatoriam reddere, veluti & ſenſu plane ſimili *Purpuram Principalem, Sacrum Muricem, Purpuram Veri Luminis, & Veſtem Alethinam*, h. Veram, verique coloris dixere. V. *Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ* paſſim. Quo pertinent etiam *Holoveræ* ſeu *Holoberæ Veſtes*, quarum mentio fit toto *Tit. C. de Veſtibus Holoberis, & auratis, & de intinctione Sacri muricis ante cit.* Et illas quidem ſericas interpretantur ſeu totas ſericas, quia Zonaras Βήρεις dicat eſſe Veſtes Sericas. *V. Gothofred. not. ad h. l. Turneb. Adverſ. i. XIII.* Nos tamen & *totas Purpureas* reddi poſſe cenſemus, cum Familiæ Imperatoriæ propriæ fuerint, idque ſeu Voce Hybrida, aut Græco Latina, quod totæ Veræ, ſive ex Vero Colore eſſent, cum *Purpureum* Colorem per quandam excellentiam Verum appellarent, unde & Chlamys veri Coloris apud *Trebell. Poll.* & Veſtis Alethina paulum ante commemorata; Seu corrupto Vocabulo & ſimpliciori notatione ex ὁλοπόρφυρα, unde Holophora, Holophera, & Holovera facta ſint, cum Iſidorus Holophora q. tota ex Purpura facta reddat *Orig. L. XIX. c. XXII.* Cætera quæ *Salmaſ. ad Trebell.* & ex eo *Ferrar. c. X. ad L. III. cit. T.* tradunt, inutili ſubtilitate nituntur. De Purpura vero, quod hic dicendum reſtat, eſt, Poſteriores Imperatores hac in parte æquanimiores fuiſſe; permiſitque Imp. Leo, ut Purpuræ ſegmenta & Particulæ in publicis mercimoniis ſint. *Decet enim Imperatoriam Majeſtatem cum aliis modis ſubditos Beneficiis afficiat, eorundem Magnificentiæ ne invideat.* Novell. LXXX. Idipſum de Tiberio Juniore perhibet Cedrenus. Conf. *Lindenbrog. in Amm. Marcell. L. XIV.*

V. Non opus erit, ut prolixe exponamus, Colorem Purpureum Imperatoribus æque ac Regibus aliis proprium fuiſſe, cum toties commemorata Purpura id ſatis indigitet: Quemque non veſtibus tantum tribuere, ſed ad ipſum Liquorem etiam, quo in ſcribendo utebantur, extendere, *Sacri*, h. Imperatorii, *Encauſti* nomine inſigniendum. Ideo ſancit Leo Imp. *L. VI. C. de Diverſ. Reſcript. Sacri affatus; quoscunque noſtræ manſuetudinis in quacunque parte paginarum ſcripſerit autoritas, non alio vultu penitus aut colore, niſi* purpurea *tantummodo* Inſcriptione *luſtrentur, ſcilicet* uti cocti muricis & triti Conchylii ardore ſignentur &c. *Hanc* ſacri Encauſti *confectionem nulli ſit licitum aut conceſſum habere &c.* Quæ uſum pariter ac Confectionem ejus declarant. Exempla Vid. *in Panciroll. de reb. deperd.* & *nott. a Salmutho* adjectis. Ipſum vero Colorem hunc quod attinet, eum ex Conchylio, quod Purpuram dixerint, confectum fuiſſe, notiſſimum eſt: Naturamque ejus Plinius indigitat, dum *nigricantis Roſe Colore ſublucentem vocat. cit. c. XXXVI. & c. XXXIIX. Laus ei ſumma Color Sanguinis concreti, nigricans aſpectu, idemque ſuſpectu refulgens.* Cum Purpura alias triplex eſſet, primum Violacea, mox Rubra Tarentina; & noſtra demum omnium precioſiſſima, a loco, ubi tingebatur, Tyria, & a duplici Tinctura Dibapha dicta, quæ genera ejus ita recenſet *Cornel. Nepos* apud eund. *Plin. c. XXXIX.* cujus verba ſunt: *Me Juvene Violacea Purpura vigebat, cujus Libra denariis centum venibat: Nec multo poſt Rubra Tarentina: Huic ſucceſſit Dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi.* Sed noſtro tempore in numerum deperditorum venit, in quibus & primum locum obtinet apud *Pancirollum l. c.* cujus ille rationem reddit, quia Syria, & alia loca, in quibus Purpura deprehenſa fuerit, in Turcarum, eoque Barbarorum & incultorum manus devenerint; Niſi novam ejus ſpem variis Coloribus nobile Conchylium in America inventum facturum ſit, quodque viridi, violaceo, Purpureo, ſuave rubenti Colore Lintea tingere deprehenſum fuit, cujus Teſtis ocularis fuit *Th. Forgeſius*, idque verbis ſequentibus orbi exponere voluit: *A true Purpleſiſch, that ſticks to the Rocks: It is an inſect of the Sea, compoſed of many hard shells lay'd over one another, like the ſcales of Woodlice. I walking by the Seaſide to ſearch after the Secrets of Nature found one of them in the West-Indies: but wondred at the variety of colours, wherewith it ſtained my hand.*

hand. For firſt it was green; then blew, afterwards purple, and laſtly a beautiful Read, and taking my handkerchief to my hands, it died the ſame likewiſe, and the colour remained in the linnen not to be washedout. In quo ſi non aliud, ſaltim variorum colorum iſta veſtigia elucent, qualia de Purpura ſuperius adduximus, e quibus ſpe non plane irrita verum colorem Purpureum expectari poſſe ſciunt ii, quibus varietas colorum in *Tinctura Ligni Braſiliani*, *Coccinilla* & alibi latens nota eſt, quod Phyſicorum Filiis cogitandum relinquimus V. *Forges Catalogue of many Natural Rarities p. 25. Power Append. ad Obſerv. Microſcopicas Ed. Anglice A. 63.*

VI. Nec Purpura tantum, aut Color Purpureus, verum Albus etiam inter Inſignia Veterum Regum erat: Cujus rationem reddunt, fuiſſe in teſtimonium Innocentiæ, Pacis, Æquitatis, veluti Purpura vindictam juſtam in Sanguine improborum fundendo deſignet: Ita *Valerius Max. L. 1. c. VI. notat Imperatoribus in prælium exeuntibus Paludamentum Album aut Purpureum dari ſolitum*; Eoque cum Pompejus faſciam Candidam, ſeu, uti Cicero loquitur, Cretatam gereret, Regnum affectare creditus fuit ap. *Sueton. in Cæſ.* Et patientem Servatorem cum Pilati milites Purpura induiſſent *Marc. XV. XVII.* Herodes eundem illuſum amicivit veſte candida, *Luc. XXIII. XI.* Intentione prorſus ſimili, Chriſtum enim tanquam falſum Principem & falſum Regem irridere atque ludibrio exponere voluerunt. V. plur. *Caſaub. Exerc. XVI. n. LXXIII. & in Sueton. 1. LXXXIX.* Ipſiusve hujus rei veſtigia hodienum inter Gallos videre eſt, qui Colorem Album inprimis tanquam Regium venerantur. Et metatores Hoſpitii Regii in expediendis illis, quæ ſui ſunt muneris ideo Creta Alba utuntur. *Extat mandatum de A. MDLI. d. XI. Febr. ac alia de Regis Hoſpitiis lata, quibus diſerte interdicitur omnibus, qui non ſunt metatores Regis, aut Reginæ, ne ſub pœna amputandæ manus in annotatione aut ſubſcriptione Hoſpitiorum Dominis ſuis a metatoribus Regiis aſſignatorum, ullo modo utantur creta alba, ſed Flava, aut alia pro lubitu, Alba ſemper excepta. Color Albus enim Regibus noſtris ſemper præ cæteris placuit, ab illo Tempore, quo Columba Alba Sacrum Oleum, cujus uſus eſt in Unctione Regum, cœlo detulit: Hinc etiam pro inſignibus ſibi elegerunt Lilium inter Flores candidiſſimum, & in Bellicis expeditionibus utuntur vexillis tæniisque albis.* Mirantmont *de la Chancellarie p. 27.* & ex Limn. *de R. Franc. L. II. c. VII. de*

Jr Publ. L. 1. c. 21. Sprenger. *Luc. Imp. c. 1. p. 57.* Cauſamque hanc habuit, ſi non conſuetæ æmulationis pars fuit, quod Carolum V. Imp. Lutetiam Pariſiorum ingredientem Galliæ Rex Franciſcus prolixis honoris ſignis quidem proſequeretur, atro tamen Equo, quo in ingreſſu veheretur, donaret, cum ipſe ſolus Equo Albo inſideret, quod obſervat *Bellius. Hiſt. L. XVI.*

VII. De Coloribus Regiis apud Veteres Perſas hæc ex Curtio nobis conſtant. L. III. c. III. *Cultus Regius inter omnia Luxuria notabatur: Purpureæ Tunicæ medium Album intextum erat: Pallam Auro diſtinctam Aurei accipitres velut roſtris inter ſe corruerent, adornabant, & Zona Aurea muliebriter cinctus acinacem ſuſpenderat, cui ex gemma erat vagina. Cidarim Perſæ Regium Capitis vocabant Inſigne; hoc Cœrulea faſcia albo diſtincta circumibat.* Ut proinde Inſigne Regium tribus coloribus eminuerit, Albo, Rubro, & Cœruleo: Sunt tamen e Criticis, qui pro Cœrulea legant erubea, ut Acidalius, alii hocce rubea. Lipſius ad Tacit. VI. XXVII. II. vel Coccinea pro Cœrulea, vel Cœruleum, ut referatur ad Cidaris Inſigne, ſcribi poſſe exiſtimat. V. *Freinsbem. in c. l. Curtii.* In China Color Regis, cæteriſque omnibus interdictus Flavus eſt, e quo veſtis ejus contexta eſt variis conſtans ex aureo filo Draconibus; Nec in Veſte ſolummodo Regia Dracones, ſed & in Palatio univerſo vaſiſque Argenteis, Aureiſque & reliqua ſupellectile, vel celati vel depicti viſuntur. Quin ipſa etiam Tecta ac Tegulæ Flavum Colorem & Dracones ſpectandos exhibent, ne quid in Regio Palatio, quod Regium colorem non præferat, appareat. Si quis eum Colorem aut Dracones in proprios uſus adhiberet, is utique ceu perduellis pœnis ſubjaceret, niſi forte Regio ſanguine prognatus eſſet. *Kircher. Chin. L. II. c. X.*

VIII. Denique Angliæ ac Galliæ Regibus ſingulare eſt, quod in luctu non nigris, uti communiter fieri ſolet, ſed violacei coloris veſtibus utantur. *Ibat Rex habitu Violaceo, hac Regibus Gallis in luctu Veſtis,* inquit de Ludovico XIII. Henricum Parentem lugente *Gramond. L. 1.* Confer *Contin. Thuan. L. III.* Quem tamen Ludov. XII. ad mortem Conjugis Annæ cum atrato commutavit: *Il prit contre la couſtume des Roys de France le dueil, Nois & ne permit, que perſonne entraſt en ſon cabinet, qu' en habit de dueil, Hilar. de Coſte T. 1. des Eloges & vies des Roques &c. p. I. p. 10.* Et Ludovicus XIV. audita morte Cromwelli cum in luctu Galli Reges *violaceo colore uti conſueverint, atra-*

tus

Digitized by Google

tus inceſſit Cromwelis cauſa. Thuld. ad Anno M DC LIIX. L. IX. p. 324. quod ille quidem in ſigno acerbi luctus habet, nos tamen ideo factum arbitramur, ut ſolito ſibi ac Regio Luctu indignum eſſe indicaret, Reginæ Gallicæ vero Colorem caſtaneum, *Le Tanné (Graſſerus* reddit, Nägelſenfarbe Frantz. Schatzk. *de Exeq. Reg. Gall. p. 132.)* in luctus ſigno habent: Quod tamen limitat *Favyn:* Fieri, quoad vivant mariti Reges. Poſt mortem eorum autem habitu Albo uſæ ſunt; unde & Blancarum Nomen Franciæ Viduis Regiis tributum *pour ce que durant leur Viduité elles portoient un voile blanc.* Du Haillan *de l' Eſtat des Affaires de France L. 3.* Si non a matre Ludovici IX. f. Sancti quæ Blanca dicta fuit & ſumma cum laude Regimen adminiſtravit, ita dici voluere, quod ſuſpicatur *Steph. Paſquier Recherch. L. V. c. XVII.* Catharina de Medicis tamen, vidua Henrici II. Item Maria de Medicis, Vidua Henrici IV. Anna Auſtriaca vidua Ludovici XIII. Reginæ Matres dici voluere. Et rationem discriminis reddit *Scip. du Pleix.* T. III. Hiſt. de Fr. f. 215. Ita uſu receptum eſſe, ut *Reginæ Matres* dicerentur, quæ Filium haberent Regem; *Albæ* vero Viduæ Regiæ ſine liberis. Nigrum habitum Vidua Caroli IIX. Regis induit, præter morem Viduarum Regiarum Galliæ, inquit idem *Du Pleix*, quæ album ante geſtarunt. Mariæ de Medicis vero vitio datum fuit, *quod luctum tam propere exuiſſet & ſplendido cultu, vix dum exacto a Funere Anno gemmis ac unionibus fulgurans paſſim procederet, cum Catharina Medices Henrici II. Galliarum Regis vidua toto vitæ tempore pullata lugubri cultu ſpectandam ſe præbuerit & Catharina Lotharinga Ferdinandi magni Hetruriæ Ducis vidua, ſervati pudoris fœmina, tot jam annos a funere Conjugis atrata luctum agat &c. Buleng. Hiſtor. Lib. VI.*

IX. In minutioribus, ut Calceis, Chirothecis & Ss. recenſendis prolixi non erimus. Angli in Coronatione Regum ſuorum eos Chirothecis induunt, Hungari calceis etiam: Hi vigilantiæ & induſtriæ Symbolum fuerint, iſtæ innocentiæ, ut a rapinis & fraudibus mundas manus habeant. V. *Petr. de Rewa Monarch. Hung. cent. VII. p. 150.* & ex eo *Gockel. de Reg. Europ. c. 1. n. 98. 99.*

X. Reliquam huc pertinentem materiem Lectori ex Habitu Caroli V. Imp. dignoſcendam proponimus, quem geſſit cum Mauritium Saxonem Electoratu donaret, deſcribente *Nicol. Mamerano Tr. de Inveſtitura* hoc conſcripto in *Polit. Imp. Goldaſt. P. VI. n. V.*

Habitus Cæſaris is erat, quo Pontifices miſſæ Sacrificium facturi induiſolent, ſignificans Rom. Imp. Religionis Chriſtianæ aſſertorem, promotorem & defenſorem ſemper & ubique eſſe debere: Hocque illi inprimis & ante omnia incumbere, ſummæque curæ & ſollicitudini infinitæ ſemper eſſe debere. Conſtat autem is Habitus hoc ferme ordine, de imo usque ad ſummum progrediendo. Primo Caligæ ſunt, quas Bruſſechinas vocant, paulo ſupra genu aſcendentes, ex nobiliſſimo illo rubro oſtrino byſſo, quod Carmeſinum appellant: Suntque eis adhærentes & connexi Calcei ex villoſa rubra Purpura Margaritis & gemmis ſeriatim per totum diſtincti & ornati.

Secundo Veſtis longa & laxa, ante aperta, ex dicto oſtrino byſſo ſeu Carmeſino cum manicis ſe verſus manus aſtringentibus cum parva fimbria ſuperne & inferne ex panno Coccineo, ſeu rubro Scharlachio.

Tertio Humerale, quod vocant, ex lino albo & tenui cum unionibus a tergo & adamantibus ornatum.

Quarto, Alba, quam vocant, veſtimentum ex lino albo ante & retro ſupra fimbriam, ſed & ſuper manicis larga quadratura ex auro & margaritis precioſiſque lapidibus exornatum.

Quinto Cinctura Alba ſericia cum nodo craſſo & divite ad utramque extremitatem ex punctis aureis circum extantibus, frequentique & condenſata uniorum ſeu Margaritarum rotundarum & grandium copia ornata.

Sexto Stola ex Auro tortili, flavòque ſericio filo circumvoluto phrygiata cum cruce utrinque ad extremitatem ex margaritis opulenta & cum fimbriis aureis ex objectu intextis.

Septimo tunica prima ex tortili flavis ſericis filamentis auro Phrygiata, ad fimbriæ & manicarum largos limbos ex margaritis auroque bracteata intus oſtrino byſſo ſeu Carmeſino ſubdita ante & retro clauſa, ad latera utrinque paulum ab inferiori parte ſciſſa & aperta.

Octavo tunica ſecunda eodem modo facta, ſed ex unionum nobilium copia opulentior, cum collari ex iisdem contexto.

Nono, manipulus ex auro textus rubroque byſſo ſubditus cum crucibus de auro & margaritis concinnatis.

Decimo Cappa choralis, quam vocant, ex puris aureis filamentis per totum texta, cum bicipiti grandi Aquila ex nigro ſericio filo ſuper-

perintexta; Itaque ſuperne ad fimbriam, limbum ſeu faſciam largiſſimam habet ex unionum rotundorum & grandium Adamantum, Smaragdorum &c. divite copia cultam.

Undecimo Corona Cæſarea.

Duodecimo Chirothecæ ex puro bracteato auro textæ, margaritisque ornatæ cum margaritarum unitarum nodulis ex filamentis aureis dependulis.

XI. Nimirum Conciliandæ venerationi opus eſt hac magnificentia, magnorumque operum vulgus non alios capaces putat, quam quos eximia ſpecie donatos videt. Ideo Ludovico XI. vitio vertebatur nimis tenuis habitus, cum Arbiter delectus eſſet dirimendæ liti inter Reginam Arragoniæ & Henricum Regem Caſtiliæ. *Ludovicus brevibus utebatur veſtimentis & adeo neglectis, ut nihil ſupra; Pileum geſtabat diverſum ab aliis & huic affixa erat Imago Plumbea. Hanc tenuitatem ridebant Hiſpani, & Parſimoniæ tribuebant.* Comin. Comment. L. III. Quod poſtea emendavit, & cum intelligeret, Venetiarum Legatos magnifico apparatu ad ſe venire, Regias veſtes indutus & ex ſublimi ſede conſpicuus, Regalem ſpeciem illis oſtentavit, *Bodin. de Rep. L. IV. c. VI.* Burgundiones etiam in Colloquio Friderici III. Imp. cum Carolo Audace, *tenuitatem Cæſaris & exiguum Comitatum & negligentiorem ornatum deſpiciebant.* Sed Germani quoque e contrario nunc vituperarunt luxum in Carolo, *qui ut opes potentiamque ſuam oſtentaret, ſumptuoſiſſimus erat in omnibus.* Comin. l. ante cit.

XII. Orientales tamen hac in parte ab Exceſſu prope abſunt. De Magni Mogoris habitu *Kircherus Chin. Ill. P. II. c. V.* merito illud dici potuiſſe: *Omnis Lapis precioſus operimentum ejus. Capitis integumentum erat faſcia aureis filis inæſtimabilis precii lapidibus gemmisque Indorum Regum more intorta; Veſtimentum ad genu usque protenſum auro coruſcum, nec non opere phrygio floribus foliisque intertextum; Cingulum non diſpari ornatu concinnatum, nudis quidem pedibus more majorum, ſed femora ſubtiliſſima carbaſo ad inſtar byſſi variis ſtriis perlisque innexis incriſpato ſpectabantur. Ad unum latus acinaces, ad alterum Ephebis arcubus, pharetris, cæterisque exoticis armis inſtructis circumdabatur. Loquenti Gemmæ quaſi ex ore, tum ad recordationem eorum, quæ dixerat, tum ad Majeſtatis magnitudinem demonſtrandam, decidere videbantur. Quæ ſi non luxum, certe nimium*

mium aliquid, quicquid tandem fuerit, præ ſe ferunt. **Alexii utique** Imp. CNPli oſtentatio Legatis Imperatoris noſtri riſui fuit: *Qui Feſto Natalis Chriſti & ipſe Gemmatam veſtem induit & reliquos omnes Auratas & lati clavi veſtes induere juſſit : Quo ſpectaculo*, inquit Nicetas, Iniqvus alias Rerum Germanicarum Cenſor, *Alemanni adeo non obſtupuerunt, ut eorum cupiditas illo ſplendore Romanorum* (ita Græcos ſuos vocat) *magis etiam inflammaretur, & Græcos ut ignavos homines & ſervilibus deliciis deditos quam primum oppugnandi occaſionem optarent. Ideo cum aſtantes Romani eos hortarentur, ut Gemmarum ſplendorem, quibus Imperator inſtar Prati nitebat, aſpicerent & media Bruma Veris Suavitatem oculis perciperent, negabant Alemannos talia ſpectacula deſiderare, neque muliebria ornamenta admirari ſolere, quæ fucis, flammeis, inanibus radiantibus Viris impenſe placere ſtudeant, ac ut Romanis terrorem incuterent, nunc tempus inſtare ajunt, ut muliebribus ornamentis ſepoſitis Aurum ferro commutent: Nam ſi Legatio foret irrita, nec annuerent poſtulatis Domini ſui neceſſe eos habituros pugnare cum Hominibus, qui non Gemmis ut prata niteant, neque rotundis margaritis intumeſcant, aut amethyſtis purpuræ & auro intertextis pavonis inſtar glorientur, ſed qui Martis alumni iræ flamma oculos ſuffuſi, non ſecus quam Gemmæ radient, & totos dies ſudorem fundant margaritis ſplendidiorem.* Hactenus Nicetas, qui ipſe agnoſcit Imperatorem rem aggreſſum nec tempori conſentaneam, nec decoro congruam, ipſisque Græcis prope ridiculam. Et Tributum Alemannicum XVI. Auri Talentorum, quod Alexium tunc a Legatis hiſce paciſci oportebat, vanitatem iſtam mox manifeſtavit: Neque enim fuiſſet, unde id colligeret, niſi in deſperatæ egeſtatis indicium Monumenta Veterum Imperatorum omni ornatu aureo ac argenteo ſpoliaſſet.

V. *Nicet. ibid.*

CA-

CAPUT II.

Throni Regum, Epiſcoporum, Legati Regum in Convivio Pontificio humiliori menſæ accumbunt, quam ipſe Pontifex M. Faldiſtolia: Genuflexio coram Rege Angliæ, Gago, Regibus Orientis, Chriſto, Cauſæ ejus: Adoratio: Oſcula manuum, Pallii, Controverſia ea propterea Legato Turcico mota, Religio Ferdinandi II. Imp. Oſcula Pedum Pontificibus exhibita a Sacro Ordine, Regibus, Imperatoribus, Controverſiæ de iis: Origo hujus ritus: Exempla aliorum Principum eundem foventium: Prælatio Ignis apud Veteres Imperatores, Incenſio ſtupæ in Sede Romana: Reges Hiſpaniæ nigro Habitu adeundi ſunt: Diminutiva Nomina in Libellis ſupplicibus Moſcovitarum; Arenæ Aſperſio in Regno Gago: Caſtra Doloris, Conſecrationes.

I.

ISta de Veſtibus: In Cultu Regio occurunt Genuflexio, Adoratio, Oſcula, quæque præterea ſpecialis Uſus unius atque alterius Regni dictitat conſueto nobis ordine hic recenſenda. Si ante de Palatiis ac Aulis Thronis item Regiis dixerimus. Et Palatia Imperatoria quidem initio Imperii Germanici *Salas* dixere: Quod Nomen hodienum reſtat reliquiis Palatii Regalis Caroli M. in Ingelnheim, loco hodie Ditionis Palatinæ. Similis eſt *Sala Stromburgenſis*, der Saal zu Stromburg/ olim ita dictum Caſtrum antiquiſſimum in Pago Hunesruck inter Simmeram & Crucenacum, itidem Ditionis Palatinæ. *Freher in P. de Andl. c. XVI.* Palatinum Anglicanum, quod Londini eſt Aulam Albam, *White Hall* vocant, Gallicum Lutetiæ Pariſiorum Luparam, *La Louvre:* Quæ nota ſunt, & pleniorem Indicem horum Palatiorum jam alibi exhibuimus. Antiquum Gallorum Nomen *Domus* erat, καθ' ἐξοχὴν ita dicta: Unde *Majores Domus.* Turcica Sedes Seralii, *Serail aut Seraglio*, voce indigitari ſolet; Ipſa Aula *Porta*, cujus rationem a priſco Orientalium more derivamus, quibus Tribunalia & Conventus ſolennes in Portis erant, quemadmodum Boas coheredem ſuum ad Portam vocat *Ruth IV.* 1. Et Deus omnibus Portis Judices præfici jubet *Deut. XVII.* 1. Confer *Meditt. Polit. Diſſ. XIX. § I. X.* Thronus eſt Sedes eminentior, in qua Principes conſtitui ſolent: Quia enim munus gerunt eminentiſſimum, eminenti ſede etiam conſpicuos eſſe oportet. Exempla ejus jam in ſacris occurrunt *Jud. III. XX. II. Sam. III. X I.*

Reg. II. XII. &c. In Hiſtoria Imperatorum Romanorum Severus in Senatum venit Sedem Imperatoriam capeſſens, ἀνελθὼν εἰς τὸν βασίλειον Θρόνον, inquit *Herodian L. II* Et Honoribus Imp. Thermantiam uxorem ſuam Filiam Stilichonis, interfecto eo, Solio Imperiali dejectam, παραλυθεῖσαν τοῦ βασιλείου θρόνου, matri ſuæ reddi juſſit *Id. L. V.* ut alia exempla tranſeamus. Quam tamen prærogativam & Sacer ordo ſibi poſtmodum ſumſit & creberrime Thronorum pro Sede Epiſcopali uſurpata vocabula admiſit, ut Thronus Romanus, Conſtantinopolitanus &c. Auditique jam Epiphanii tempore ejusmodi Throni fuere; Ideo cum Archimandritæ quidam Epiphanio ſcriberent, & opus ejus de Hæreſibus ſibi mitti cuperent, Epiſtolam concludunt: *Robuſtus in Domino & lætus in Chriſto ac S. Spiritu* datum Tibi Thronum *ac Divinum munus perficias &c.* apud *Epiphan. ab init.* Ac licet primum mera vox eſſet re inanis, vitio etiam verteretur Epiſcopis, ſi quid eminentiæ reipſa in eo quærerent, quemadmodum ex Hiſtoria Pauli Samoſateni patet apud *Euſeb. L. VII. c. XXIX.* ei hoc inprimis vitio verſum fuiſſe, quod gradum ſibi ac Thronum ſublimem erexerit, non tanquam Chriſti diſcipulus, ſed ſeparatum ad morem Principum hujus ſeculi: Secutis tamen temporibus, & cum Dignitatem ſuam Regiæ æquiparare inciperent, rem Voce deſignatam ſimul attraxere & conſervavere: Ac in Sede Romana præter ordinarium Thronum, ne quid ipſi decederet, Menſam Epularem etiam ſublimius evehi oportuit, adeo ut Legati Regii, quos Pontifex M. convivio excipit, ad Menſam Papali menſa paulo humiliorem ſeorſim accumbant. V. Hiſtoriam Legationis Ferdinandi III. Imp. A. MDCXXXIIX. factæ *in Merc. Franc. ad d. A.* & alios paſſim. Media Secula, maxime vero Europæ Borealioris, Thronis Civilibus pariter ac Sacris alia quæpiam ſubſtituere, ſeu adjunxere, *Faldiſtolia* appellata, h. Sellas Plicatiles, Faltſtüle, in varii conſecrationibus & ordinationibus Epiſcoporum, Abbatum, Regum, Principum & aliorum adhibendas. Deſcripſitque ejusmodi Faldiſtolium, quod in ſupellectile ſua numeravit, *Wormius Muſei ſui L. IV. c. IX.* In medio Umbilico quaſi dotari axem firmante & ita tenente, ut complicari & explicari ejus beneficio tota ſella poſſet. Cætera V. apud ipſum Autorem & *Spelmann. Gloſſar. lit. F.* Quibus adjicimus & Anglos peculiari Sella Reges ſuos inaugurandos excipere, quam ab Eduardi Confeſſoris temporibus ei negocio deſtinatam fuiſſe ajunt.

II. Genu-

II. Genuflexio apud Reges Angliæ uſitata eſt, ut ſi miniſtretur ipſis, vel alias petant aliquid inferioris notæ homines, in Genua procumbant: Sic cibum, potum miniſtri dum Regi præbent, ingeniculando id faciunt, & Medicum cum Strumoſis ante Regem genibus nixum introduximus præc. *Diſſ. V. c. II §. V.* Simili cultu Regni *Gago* in Africa Princeps excipitur, quem Subditos genibus flexis arenamque capiti inſpergentes ac manu tenentes venerari docet *le Blanc. Itin. p. II. c. I. By* Tombut *en* Melli, *aan gene Zyde van de Senega, ziet men t' Koninkryk van Gago zneer groot en breet, welks Koning zeer machtig is, en zich by nae van zyn volcken dott aanbidden, die hoe grooт zy ook zyn op hun Knieien tot hem ſpreken, mete en vat vol zant in de hand; dat zy op hun hooft ſtorten, als zy voor hem neergeknielt zyn; en zy gaan, als zy van hem ſcheiden, al achterwarts wech, zonder te ruck naar hem te keeren.* Apud Reges Hiſpaniæ Oſcula manuum adhibita ſimul Genuflexione figi indigitabunt verba *ſq.* §. *IV.* ex rebus Hiſpanicis adducenda. Et Thronum Romanum Genuflexionem admittere compluribus exemplis §. V. docebimus. Priſcis Regibus Orientis in uſu fuiſſe diſcimus exemplo Ahasveri Regis *Eſth. III.* II. qui Genuflexionem Hamani decernebat, ut Dignitatem ejus Regiæ parem faceret. *Omnes Servi Regis, qui ingrediebantur portam Regis, flectentes incurvaverunt ſe Hamani, quia ſic præceperat de eo Rex.* Et Servatori noſtro, quod affectatæ Regiæ Dignitatis accuſaretur, genu ante eum ſummiſſo illuſum fuit. *Matth. XXVII. XXIX.* Quæ irriſoria Genuflexio, quod contigiſſet Paraſceves die, apud veteres Chriſtianos effecit, ut eo die ab omni genuflexione abſtinerent. *V. Cl. Hildebrand. Ritual. Orant. Cap. VII. n. II.* Ubi & verba Bernonis Augienſis Abbatis idem confirmantia adducit: *In Paraſceve abſtinuerunt Chriſtiani a Geniculationibus & figendis Oſculis: A Geniculationibus ideo, ne Judæos Chriſto illudentes; Ab Oſculis, ne Judam proditorem imitari viderentur. Serm. de Jejun. quat. Tempor.* Cauſa hujus ritus haut dubie in publica ſubjectione quærenda eſt, cujus teſtimonium eſſe debuit; Ideo & in Sacro Codice Genuoflexio pro Subjectione accipitur. *Jeſ. XLV. XXIII. Incurvabitur mihi omne genu*, h. mihi ſubjecti erunt omnes; Et *Phil. II. X. Ad nomen Jeſu omne genu ſe flectet cœleſtium ac terreſtrium &c.* h. omnis Creatura ſubjicietur Chriſto. Cui addi poterit, quod veteres miſericordiam in genibus poſuerint, quemadmodum

dum Plinius dicit *L. XI. c. XLV. Hominis genibus & quædam Religio ineſt, obſervatione gentium: Hæc ſupplices attingunt, ad hæc manus tendunt, hæc ut aras adorant.* Hanc itaque ut imbecillis ſubditus provocet, genu incurvat. Plura hac de re vide apud *Hadr. Jun. Animadv. L. XI. c. XI. Commentt. in c. l. Plinii. Cl. Hildebr. c. l.* & alios paſſim.

III. Adoratio, Extremæ Humilitatis indicium, Genuflexioni affinis eſt, & ab antiquiſſimis temporibus Cultui Regio deſtinata fuit, non tamen uti religioſa quædam res, ſed ut actus mere civilis. Sic David cum Saulum invocaret, verticem inclinans facie in terram demiſſa inclinavit ſe, *I. Sam. XXIV. IX.* Et Bathſeba facie in terram demiſſa incurvavit ſe coram Davide, *1. Reg. 1. XXXI.* Quæ Germanus Interpres reddidit: Neigete ſein Antlitz zur Erden / und betete an. In Imperio Perſico notam fuiſſe Hiſtoria Cononis docet, qui Regis aſpectu & colloquio prohibitus fuit: *Quod cum more Perſarum adorare nollet. ap. Juſtin. L. VI.* Et in Imperio Romano deinde licet Imperatores ſola ſalutatione aliquamdiu contenti fuiſſent, ſub Diocletiano tamen admiſſa fuit, & ad poſteros propagata: *Προσκυνεῖσθαι προσέταξεν ἑαυτὸν, μέχρις αὐτοῦ βασιλέων τῇ κοινῇ προσηγορίᾳ τιμωμένων.* Adorari ſe juſſit, cum ante eum cuncti ſalutarentur. *Eutrop. L. IX. Hiſt.*

IV. Oſcula figuntur in teſtimonium Amoris & Reverentiæ: Reverentiæ Character in verbis Davidis eſt: *Oſculamini Filium. Pſ. II.* Amoris in oſculo Salutis, Sancto & Ss. de quibus *V. Ruth. 1. IX. II. Sam. XIX. XXXIX. Rom. XVI. XVI. II. Cor. XIII. XIII.* Quem ritum hodienum conſtantiſſime ſervant Perſonæ Illuſtres, ut Manus, Pallia, Veſtes, Fimbrias Veſtium, Sandalia, Pedes eo affici curent, non tamen neglecto circumſtantiarum diſcrimine. Cæſarem in Coronatione Romana Pontificis Maximi maxillam oſculari teſtatur Ceremoniale Romanum & *Henr. Agripp.* de Coronatione Caroli V. Bononiæ facta. Oſcula manibus figi frequentiſſimum, omnibusque ſolennibus Actibus commune eſt: Exempla ubivis nota ſunt, & ne prorſus prætereantur a nobis, Caroli II. præſentis Regis Hiſpaniæ manum ipſa hora, qua Glorioſiſſimus Parens ejus Philippus IV. obierat, Proceres quotquot aderant, ſtatim oſculatum ivere, quos etiam, licet quartum adhuc annum ageret, digna Principe gravitate ad ſtuporem omnium excepiſſe ſcribunt: Hat den Handkuß von allen mit

einer

einer ſo groſſen und herzlichen Majeſtät angenommen / als ein Printz / ſo ſein vollkommen Alter erreichet / immer hätte thun können ; Und auf welche Weiſe ihm eine iede Perſon / die für ihm niedergekniet / benahmet worden / eben ſolcher Maſſen hat er ſich mit Darreichung und Zurückziehung ſeiner Hand gegen Denſelben verhalten. *Autor Germano-Gallicus* vom Kranckheit / Teſtament und Tode *Philippi IV.* Königs in Hiſpanien / *p. ult.* Longe diſſimilibus a Parente moribus, qui cum III. Ætatis A. Rex Caſtiliæ deſignaretur, ejulatu & ſomno Cerimonias haſce tranſire paſſus fuit. *Contin. Thuan. L. 1. ad An. MDCIIX.* In Suedia item, cum Novo Regi Carolo Guſtavo fides data eſſet, Nobilitas & Clerus, urbani atque Ruſtici, ſinguli Regis manum oſculati fuere *Thuld. P. 1. L. 3. p. 195.* An. MDC. LV. Ferdinandum II. Imp. tamen hunc honorem a Sacro Ordine ſibi deferri non paſſum fuiſſe teſtatur *Lemmermannus in Vita ejus c. IX. Uti manum dextram omnibus Sacerdotibus dedit, ita nulli oſculum permiſit, illud benevolentiæ, hoc reverentiæ deberi profeſſus.* Et non ita pridem A. MDCLXV. in Aula Imperatoria eo nomine a Legato Turcico controverſiæ nonnihil motum fuit, qui cum Oſculum manuum prætendiſſet, Anteceſſoribus ipſius vero tantummodo Pallium oſculandum conceſſum fuiſſet, rem tandem ita geri ſivit, ſed apprehenſum pallium Pectori firmiſſime applicuit, teſtatus forte, ſibi pectus & cor partem manibus longe nobiliorem patuiſſe. Dingete ihm aus bey der Audientz / nicht den gewöhnlichen Kaiſerlichen Mantel / ſondern die Käiſerlichen Hände zu küſſen. Deme zur Antwort wurde ꝛc. Was anlangte die Küſſung des Mantels / da beſtünde man auf dem altem Herkommen : Tum v. Als die Käiſerl. Majeſtät in der Audientz dem Bothſchaffter den Mantel zu küſſen darreichte / druckete er denſelben nieder / und küſſte die Bruſt. *Diar. Europ. Contin. XII. p. 41.*

VI. Provehimur ad materiem Hiſtorico-Theologicam, de Oſculo Pedum in Throno Romano fieri ſolito, ſed munere noſtro hic functuri, hoc eſt Hiſtorico, cætera ad ſublimiorem Cathedram remiſſuri. Ritum hunc tanti ſemper iſthic æſtimarunt, ut Gregorius VII. eum in nono loco inter Privilegia Papæ retulerit, V. *Lorin. in c. X. Act. v. XXV.* Eumque trina deoſculatione ipſo ſtatim Pontificatus initio Cardinales inchoant, ita tamen, ut manum atque os ſimul exoſculentur. V. *Thulden. de Electione Alexandri VII. ad A. MDCLV. p. 24.* & alios paſſim, ex quo deinde ad totum Sacrum Ordinem, cæ-

teroſque Principes, Reges, ipſum Imperatorem ſine diſcrimine extenſum voluere & adhuc volunt. Sacri Ordinis Exemplum præbuit Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis, a quo Alexander II. exegit, ut veſtigiis ſuis advolutus oſculum pedi figeret. *Baron. T. XI. Annal. p. 398.* Et de Ruthenorum Legatione idem perhibet *T. VII. Annal. p. 683.* Ingreſſi ſunt ad Clementem IIX. Anno M D XCIV. Archiepiſcopus & Epiſcopi &c. Ruthenorum numero decem, ut a longe conſpicati ſunt Romanum Pontificem, venerationis ergo proſtraverunt ſe in Terram ſurgereque juſſi & accedere Thronum Pontificis ad ejusdem pedes rurſum eodem humillimo cultu & reverentia eos ſunt deoſculati &c. Pro aliis Principibus allegamus Carolum IIX. Regem Galliæ, quem flexo genu Alexandri pedes oſculatum introducit ex *Guicciard. L. II. Morneus Myſter. Iniq. p. 1322.* Similiter Franciſcus Valeſius Paulo III. in Cathedra ſedenti in primo congreſſu pedem dextrum oſculatus eſt *Sleidan. L. XII.* Henrici Magni Legatus Dux Nivernius An. M DC IIX. cum ad Pontificem M. iret, ut ei nomine Regis obſequium præſtaret, pedes Pontificis oſculatus eſt. *Contin. Thuan ad dictum A. L. I. p. 26.* Chriſtianus I. Rex Daniæ cum An. M CCCC LXXIV. Romam peregrinatum veniret, una cum Comitibus ſuis ſimile fecit. *Joh. Peterſen Chron. Holſat. p. 153. Hamelman. Chron. Oldenb. p. 207.* Carolus V. Imp. quotiescunque ad Pontificem M. Literas dedit, ſolenni hac ſubſcriptione uſus fuit: *Ego manus & pedes Veſtræ Sanctitatis deoſculor. T. Bodin. L. 1. de Republ. c. IX.* idque ſeu Ritus hujus indicina aliqua, ſeu ordinaria ſalutandi Formula. Et, ne infinita exempla aggregemus, Ferdinandus III. Imp. A. M DC XXXIIX. Principem Eggenbergicum, tanquam Legatum Extraordinarium, Romam miſit, qui eodem ritu Pontifici M. obedientiam ſponderet. V. totam Actionem deſcriptam in *Mercur. Franc. ad A. dictum p. 547. & ſeqq.* Hinc etiam Cerimoniale Romanum non dubitavit in Proceſſu Coronationis Imperatorum hunc modum præſcribere: *Electus Imperator cum ſuis omnibus Equo deſcendit, & per gradus aſcendit ſuggeſtum; Et ut primum Pontificem videt, detecto capite illum, genu terram tangens, veneratur; Et iterum appropinquat ad gradus Sedis genu flectit: Demum ad Pontificis* pedes *pervenit*, illos in Reverentia Salvatoris devote oſculatur. *Pontifex hilari vultu Cæſarem aſpiciens, ad oſculum manus & oris reſpicit. Tum Cæſar iterum genu flexus auri maſſam*
ad

ad pedes *Pontificis offert &c. Stante ibi ad dextram Pontificis Cæſare, Pontifex recipit Imperatricem* ad Oſculum Pedis & manus; *Regem vero, ſi quis adeſt*, ad oſculum pedis, manus & oris; *Alios a. Prælatos, Proceres & Nobiles Cæſaris* ad oſculum pedis tantum, *ap. Goldaſt. T. 1. Conſtit. Imp. f. 414.* Non tamen omni controverſia res caruit; Ideo cum Franciſcus Valeſius *l. ante cit.* ſolennitatem hanc expediviſſet, Chriſtophorus Wirtembergicus, Guilelmus Comes Furſtembergenſis, Daniæ Regis Legatus, & alii id facere recuſarunt, licet eos monuiſſet Coneſtablius. *Sleid. cit. L. XII.* Quo majus adhuc erat, quod tempore Concilii Florentini Græci & Patriarcha eorum Conſtantinopolitanus, licet preſſi eſſent Armis Turcicis, & auxilii petendi cauſa Florentiam veniſſent, eo nomine moverunt: Indoluit Patriarcha primum, audito hoc ritu, mox conſtituere, ſe nihil tale factum, quodque in propoſita iſto perſiſteret, privatim tandem & ſine publico ſtrepitu ad Pontificem M. admitti oportuit. Cujus ratio erat tædioſiſſima illa Primatus Controverſia, quam totis mille Annis jam Conſtantinopolitani Patriarchæ & Pontifices Maximi foverant: Teſtantur hac de re Acta Græca Concilii hujus ſequentia: *Mane cum ſolviſſemus ante primam horam diei, videmus Cariſſimum ab Imperatore miſſum ad nos accurrentem, qui nunciavit Patriarchæ, Papam expectare, ut ſua magna Sanctitas accedens eum adoret*, & ejus pedem exoſculetur; *& Imperator, inquit, jam tertium diem aſtat, & dimicat, ne hoc fiat, quod interim Tuæ Magnæ Sanctitati indicat, ut ſcias, quonam pacto ſit Tibi accedendum ad eum. Grave viſum eſt hoc valde Patriarchæ, quippe qui confidebat, ſe a Papa aliter omnino ſuſceptum iri, aliumve affectum reperturum: Etenim cum adhuc Venetiis eſſet, dixerat cuidam ex Domeſticis & Familiaribus Papæ, ego ſtatui apud me, quod ſi Papa ætate me præcedit, ego ipſum habeo pro Patre, ſin æquales ſumus annis; habeo eum pro Fratre; Sin autem me Junior eſt, habeo eum pro filio, & mea mentis eſt, ut ſi aliqua ſit domus propinqua domui ipſius, quæ habeat* δίοδον μετέωρον, *Tranſitum ſuſpenſum, ſupra viam, eam det mihi, ut privatim accedam ad eum & ille viciſſim ad me.* At ut audivit Exoſculationem Pedis, obſtupuit: *Tamen diſceſſit & frequenti jam foro Ferrariam pervenimus, & ſtetimus ex adverſo arcis prope pontem, & ante meridiem venerunt ſex Epiſcopi & Patriarchæ ex parte Pontificis adventum congratulati ſunt: Patriarcha vero dixit*, ſe ad talem Salutationem non teneri: *Sed quando-*

doquidem Fratres ſumus; inquit, complectamur nos, & oſculemur invicem fraterne, aliter ego non faciam. *Habuit autem & alios ſermones Patriarcha ea de re, ad quos & illi reſponderunt; Et Patriarcha, cum omnes, quos ſecum adduxerat, Epiſcopos conſuluiſſet, una voce decreverunt:* Hoc non fore neque juſtum, neque decorum, neque utile. *Redeunt mane Epiſcopi Pontificis & Oſculum pedis exigunt:* Patriarcha vero indecoram eſſe hanc Inſtantiam ediſſerit: Undenam enim Papa hoc Juris habeat, aut quænam Synodus ei contulerit, & ubinam ſcriptum ſit, inquit, oſtendite, *præſertim cum Papa dicat, ſe eſſe Succeſſorem B. Petri; Sed reſponderunt Epiſcopi, morem antiquum eſſe Papæ,* & omnes ipſi talem ſalutationem deferre, *Epiſcopos, Reges, Imperatorem Germaniæ ipſum, Cardinales adeo Imperatore ipſo majores, utpote conſecratos: Ad quæ Patriarcha, novum inventum hoc eſſe, non acquieſcam, inquit, non hoc faciam unquam, ſed ſiquidem vult Papa, ut ego eum ſalutem fraterne, ſecundum noſtrum antiquum morem, eo pacto ego eum accedam, ſin hoc non recipit, recuſo omnia & revertor.* Ac finis tandem fuit, ut Pontifex M. qui pedes ſuos a Patriarcha frequenti conventu exoſculatum iri ſibi promiſerat, cum id non poſſet obtinere, eum demum ἐν ἰδίῳ κελλίῳ, in privata cella, ſuſcipere cogeretur, idque præſentibus tantum Cardinalibus. V. *Acta Concil. Flor.* & ex iis *Morn. Myſt. Iniqu. p. 1220. & ſeqq.*

VI. De Origine hujus ritus certum eſt, eam intuitu prætenſionis in Vicariatum Chriſti & Succeſſionem B. Petri a Servatoris & Apoſtolorum exemplo a Scriptoribus peti; Et peti debere crux crepidæ Papali intexta docet, ne Pontifici adeo, quam Cruci id honoris fieri videatur. Chriſtus *Summus Sacerdos & Pontifex M. tulit, ut mulier, quæ erat in Civitate peccatrix, ſicut Teſtis eſt Lucas, ſibi pedes primum flens lacbrymis rigaret, capilliſque tergeret, ac deinde deoſcularetur, veluti apud Hebræos mos fuerat, Chriſtos Domini venerari. Voluit item procul dubio Cornelius Centurio pedes Apoſtoli Petri oſculari, ſed Pater manſuetudinis plenus id fieri non eſt paſſus, qui, elevans eum ſibi ad pedes jacentem, dixit, Surge & ego ipſe homo ſum.* Quæ argumenti loco allegat *Polyd. Virgil. de Invent. Rer. L. IV. c. XIII.* Atque addit deinde Sacerdotibus Ethnicis Romanorum jam tum conceſſum fuiſſe, ut reliqui pedes eorum oſcularentur, ſicque quod apud illos honori antea fuerat, non ſublatum eſſe penitus, ſed ſanctiori inſtituto ad conſimilem adhiberi cultum. *Lorin. in Act. IV. XXXV.*

XXXV. ex eo probat, laudabilem eſſe hunc morem, quod venditores Bonorum ſuorum poſuerint precia ad pedes Apoſtolorum. Idem *Lorinus in c. X. Act. XXVI.* Suidam citat, qui de *Leontio* Epiſcopo Tripolis Lydiæ refert, eum, cum ab Euſebia, Conſtantii uxore, accerſeretur, ita reſpondiſſe ipſi: *Si me ad Te venire volueris; debita Epiſcopis reverentia conſervata, ego quidem ingrediar, Tu autem ſtatim ab iſto ſublimi ſolio deſcendens reverenter mihi obviam procedas & caput meis manibus ſupponas benedictionem acceptura, ac deinde ego ſedeam: Tu verecunde adſtes, cum juſſero, ſigno dato ſeſſura: Si hæ inquam Tibi conditiones placuerint, veniam ad Te: Sin alio modo, non tam multa dabis, tam magna non poteris, ut non honore Epiſcopis convenient e neglecto divinum Sacerdotii inſtitutum violemus.* Citant etiam Ambroſium *L. de Dign. Sacerdot. c. II. Sublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares & Principum Diademati, longe erit inferius, quam ſi plumbi metallum ad Auri fulgorem compares, quippe cum videas Regum colla & Principum ſubmitti genibus Sacerdotum, & exoſculatis eorum dextris, orationibus eorum ſe credunt communiri. Et Baronius* deinde *T. VI. ad A. DXII.* allegat Epiſtolam Orientalium Epiſcoporum ad Symmachum P. M. qua optant Romam venire, *ut Sancta*, inquiunt, *adoremus tua Veſtigia.* Sed poſteriora hæc, ſi indigitent Honorem maximum Sacro Miniſterio tunc exhibitum fuiſſe, ſi etiam occaſionem præbuerint majorem indies ejus cultum excogitandi, non tamen neceſſario pedum Oſcula ſecum trahunt, aut illa Pontifici M. ſoli figi debere, aut iſto tempore ea jam tum in uſu fuiſſe evincunt. Veſtigia adorare Hyperbole eſt, apud Græcos non inconſueta. Ambroſius non nominat Thronum Romanum, ſed in univerſum Epiſcopalem Poteſtatem; Neque de pedum oſculo aliqua dicit, ſed Oſculum Dextrarum nominat, quod illis figebatur, quorum precibus ſe muniri credebant. Idem de Leontii exemplo dictum eſto; Et Apoſtolorum facta Oſculum tale non continuerunt; Chriſti vero Exemplum extraordinarium erat, ac dictu præterea haut facile Sacrum Ordinem cultum omnem Chriſto exhibitum in ſe admittere poſſe. De Crece deinde Crepidæ intexta non immerito quæſiverit Aporeticus aliquis, annon dignior locus Cruci aſſignandus ſit, cui Latriam competere Catholici dicunt, & num ſignum Redemptionis noſtræ ad pedes deprimi poſſit? Ipſorumque Catholicorum aliqui-

Digitized by Google

bus id indecens videri Teſtis eſt *Fauchet. apud Molin. in Hyperaſpiſt. L. I. c. XXVI.* Interim non adeo recentem eſſe hanc conſuetudinem, in facinore Juſtiniani II. Imp. claret, qui Conſtantinum P. M. A. DCCX. Conſtantinopolin evocatum Nicomediæ excepit: *In die autem*, inquit hac de re Anaſtaſius, *qua ſe invicem viderunt*, *Auguſtus Chriſtianiſſimus cum Regno in capite ſeſe proſtravit*, pedes Oſculans Pontificis, *deinde in amplexum mutuum corruerunt*, referente *Baron. T. IIX. A. DCCX. p. 659.* Niſi ſubleſta fide nitatur hæc relatio.

VII. Enimvero & extra ordinem Sacrum Magni Principes non una vice id fieri ſibi paſſi ſunt, certiſſimo indicio, non Sacri, ſed Civilis Cultus. Veteres Imperatores Cajum, Maximinum Juniorem oſculandos Pedes præbuiſſe Hiſtoriæ Imperiales tradunt. *Caligula Pompejo Penno abſoluto & gratias agenti porrexit oſculandum ſiniſtrum pedem*, *Senec. de Benef. II. XII.* Et in ejusdem ultimo ac ferali Epulo *Pomponius Secundus cibum capiebat ad pedes ejus, eosque frequenter oſculabatur*: Ἐνεφορεῖτο τε ἅμα τῶν σιτίων παρὰ τοῖς ποσὶν αὐτοῦ καθήμενος, καὶ ἐπικύπτων συνεχῶς αὐτοὺς κατεφίλει. *Xiphilin. in Calig fin.* De Maximino Juniori idem teſtatur *Jul. Capitolin in Maximin. Jun. c. 11.* quod tamen non ſine opprobrii nota commemorat, adjicitque, id nunquam paſſum eſſe Seniorem Maximinum; ſed dixiſſe: Dii prohibeant, ut quispiam Ingenuorum Pedibus meis oſculum figat. Et Seneca, ubi Caji iſtos actus proſequitur: *Invenit aliquid, ait, infra genua, quo Libertatem detruderet.* Quæ & ſimilia vide apud *Molinæum in Vate L. V. c. XV. p. 491.* In Coronatione Mediolanenſi obſervatum eſſe ſcribit *Alciatus*, ut qui ex Angleriæ Comitibus dignior ſit, pedem dextrum, & qui ex Cottarum familia ſiniſtrum oſculo tangat, Imperatoremque humeris ferat uterque ſublatum in Prætorium. *Merul. Ant. Gall. Ciſalp. L. III. c. IX.* Reges Galliæ in Inveſtituris a Principibus ſuis ejusmodi honorem olim expectaſſe Hiſtoria Rollonis Ducis indicat, quam ex Veteri MSo Codice Monaſterii Andegavenſis non illepide recitat *Lanſius Or. pro Germania p. 18. Carolus Stultus* (eſt ille Rex Gallorum alio nomine Simplex & Sextus dictus) *dedit Normanniam Rolloni cum Filia Giſla: Hic non eſt dignatus pedem Caroli oſculari: Cumque Comites illum admonerent, Pedem Regis acceptione tanti Beneficii oſcularetur, Lingua Anglica reſpondit:* Neſe by God: *quod interpretantur, Non per Deum: Rex vero & ſui illum deridentes & ſermonem ejus corrupte referen-*

rentes illum vocaverunt BIGOD: Unde Normanni adhuc vocantur Bigodi: Continuationem annectit *Krantz. Norweg. L. II. c. XXVI.* Horruiſſe Liberum animum Ducis invicti *ſervile Miniſterium*, aliumque ex aſtantibus officio vicarium dediſſe, *cui Rex pedem protendit, ille vero apprehenſo pede Regem reſupinavit. Indignati nonnulli ex Francis infremuere, alii altius ſecum populi libertatem & ferocitatem reputantes Regem placavere.* In Imperio Conſtantinopolitano etiam hunc venerationis morem per pedum Oſcula viguiſſe docet *Condin. de Offic. Conſtant.* Imperatori Conſtantinopolitano die Paſchæ omnes Principes oſculari τὸν δεξιὸν πόδα, εἶτα τὴν δεξιὰν χεῖρα, καὶ μεθ᾽ αὐτὴν τὴν δεξιὰν αὐτοῦ παρειὰν, *Dextrum pedem, deinde manum dextram, poſteaque genam illius dextram:* Eundem exhibere cultum Genuenſium Protoſtratum, ſi adſit, non vero Venetos: Ad diem autem quintum Hebdomadis, quam vocant Διακαινήσιμον, Patriarcham & ſummos Sacerdotes & Antiſtites oſcula Imperatori figere. Dein & inter incultos extremi Orientis populos ita agi experti ſunt Navigationis Auſtralis per Fretum Le Maire Autores Jacobus Le Maire ac Socii ejus, quos ipſe Rex Inſulæ Hornanæ humili hoc cultu proſecutus fuit. *Den Koningh bewees haer groote reverentie, lach bykans een halſ uyr met de handen te ſamen, t' aengeſicht daer op, tegens de aerden bukende, blyvende zoo leggen,* tot Aris Claeſſen *gelycke reverentie dede, hem doe rechtende kuſten ſyn handen en voeten. T. II. Navig. Belgic. N. XIIX p. 96.* Plura de ritu hoc vid. inter alios ap. *Cornel. a Lap. in Ieſ. c. XLIX. Bozium in Nott. Eccleſ. L. XX. c. V. Et Joſephum Stephanum* peculiari opuſculo *de Oſculatione Pedum Papæ*, ſeorſim & cum *Tractatu Tractatuum Venetiis edito.* Ac nos, quæ forſan deſiderabuntur adhuc, ſupplebimus *Diſſ. XII. de Hierarchia Eccleſiaſtica.*

IIX. Apud veteres Imperatores ſpecialis hic ritus erat, ut *Ignem* Ipſis *præferrent*, Procul dubio in teſtimonium & admonitionem Illuſtrium Actionum, quas perpetuo ederent, cum Igni illuſtrentur omnia, indicandique ſimul ardoris, quo accenſos eſſe deceat in Solio tam ſublimi collocatos. Ita de tumultuaria Nigri Inauguratione ſcribit Herodianus: Τήν τε βασίλειον Πορφύραν περιβαλόντες, καὶ τὰ λοιπὰ τῆς σεβασμίου τιμῆς, καὶ αὐτοσχεδίου παρασκευῆς ἀθροίσαντες, καὶ Προπεμπεύοντος τοῦ Πυρὸς εἴς τε τὰ ἱερὰ τῆς Ἀντιοχίας τὸν Νίγρον ἄγουσι, καὶ εἰς τὴν ἑαυτοῦ οἰκίαν καθιστᾶσιν: *Amictum Imperatoria Purpura reli-*

quoque exornatum aulico apparatu ibidem ex tempore conquiſito, præcedente etiam Igni, *in Antiochiæ primum Templa, mox ad ſuas ædes deduxerunt. L. II. in Julian.* ſimilique modo Gordianum Seniorem introducit *in Maximin. L. VII.* Et prænunciam Principis advenientis Lucernam ita commemorat *Corrippus L. II.* de Juſtini ad circum adventu:

Prænuncius ante
Signa dedit curſor, poſita de more Lucerna.

Et Pertinax, cum Imperii nondum ſecurus eſſet, neque *Ignem ſibi præferri*, neque ulla Principatus Inſignia attolli paſſus fuit, donec Senatus ſententiam ſcitaretur. *Id. ib. in Pertinace.* Quo honore etiam Uxoribus Auguſtis frui licuit: ideo Lucillæ Commodi Sorori, quæ prius Lucio Vero Imperatori nupſerat, quem Marcus ſibi conſortem Imperii aſciverat, poſtmodum vero Pompejano deſponſa fuerat, nihilo ſecius priſtinum honorem retinere, & Throno Imperatorio ſedere in Theatro, & Ignem ipſi præferri a Commodo conceſſum fuit. *Herod. L. I. in Commod.* Patriarchis quoque faces prælatas fuiſſe autor eſt Balſamo. V. *Berter. Pithanôn Diatr. II. c. 1.* & infra *Diſſ. XIV. §. III.* Noſtra tempora fere ſimilem Cerimoniam in Throno Romano conſpiciunt, dum Faſciculus Stupæ coram Novo Pontifice accenditur, licet diſparem ob cauſam, eamque ut fragilitatis humanæ admoneatur, quam & conceptis Verbis Magiſter Ceremoniarum indicat. Relatio Thuldeni, quem in rituum hac materie toties citavimus, hæc eſt, *de Inauguratione Alex. VII. P. II. L. IV. p. 33. Clementino Sacello egreſſi cum eſſent, Cerimonia illa ſtupæ incenſionis non modo ſpectatu, verum etiam commemoratu digna, exhibita fuit.* Stupæ Faſciculum ſummo hærentem bacillo, *Clerici admotus manu* lucens cereus contingebat inflammabatque. *Tum contra Pontificem in genua ſe excipiens Ceremoniarius, quo eum Splendoris humani cito decreſcentis admoneat, cantabundus hæc verba,* Pater, *inquit*, Sancte, ſic tranſit gloria Mundi. *Secundo dein ac tertio mutata ſtupa faſtigioque ſceptri ſuperpoſita, aſpirante ad eam cereo inardeſcit, verbaque eadem ad Epiſcoporum Epiſcopum bis ac tertium iterantur: Pater Sancte! ſic tranſit Gloria Mundi.* Quid Cereorum in ſolennibus Academicis Prælatio in receſſu habeat, exponemus *Appendice* harum Diſſertationum, *de Doctoribus & Magiſtris.*

IX. Meminit & *Virgarum Laureatarum Herodianus* Inſignis Im-

Imperatorii loco *l. ante cit. de Initio Imperii Gordiani Senioris.* Αἱ ῥάβδοι δαφνηφόροι ὅπερ ἐςὶ σύμβολον εἰς τὸ διαγνῶναι τὰς βασιλικὰς ἀπὸ τῶν ἰδιωτικῶν: Virgæ Laureatæ, *quo Inſigni Principes a privatis dignoſcuntur.* Quæ indicaſſe ſatis erit, neque enim dubium eſt ex veteri Regum Romanorum conſuetudine originem petendam eſſe, cum & ii jam tum Virgas & Secures ſibi præferri curaverint, has pro amputandis vitiis immedicabilibus, illas pro iis, quæ emendari poſſent: Iisque aſſimilabimus *Virgam Juſtitiæ*, quæ inaugurandis *Regibus Galliæ* tradi ſolet. V. Hiſtoricos de Inauguratione eorum ſuperius citatos: Et *Albos Baculos*, quos aliqui Miniſtrorum Rei Oeconomicæ *in Aula Anglicana* Regibus præferunt, inde etiam peculiare nomen Officiariorum Albi Baculi, *the Officers of the white ſtaff*, merentes; Et præter hos Supremus Angliæ Camerarius, Magnus ejusdem Seneſchallus, & Magnus dein Coneſtabilis, quoad officiis ſuis funguntur.

X. *In Hiſpania* moris eſſe. ut *Nigris Veſtibus* indutum eſſe oporteat, qui cum Rege Hiſpaniæ loqui velit, ipſosque Legatos Principum tali veſtimento ſe ſubmittere, notamus ex Autore *des Voyages d' Eſpagne,& Journal des Sçavans P. I.n. 11x. p.77.* Re plane contraria Turcarum moribus, qui nigrum colorem pro vili infauſtoque habent, itemque apparere aliquem in veſte nigra pro fœdo, finiſtroq; omine. Et narrat *Busbequius* Baſſas aliquando, cum Veſte nigra ipſos accederet, miratos & ſerio ea propter conqueſtos fuiſſe; Nec quenquam ibi cum nigro veſtitu in publicum prodire, niſi ærumnoſum, quem vel inſignis paupertas, vel gravis aliqua calamitas premat. *Epiſt. 1. Legat. Turc. p. 66. In Ruſſia* Subditos CZarium ſuum Libellis ſupplicibus compellaturos in Subſcriptionibus Diminutivo uti docet *Olear. Itin. Perſ. p. 50.* Ut Loco *Jwan*, Johannes, *Jwaske*, Johannulus, *Petrus*, *Petruske &c.* Cauſa forſan, quia in Diminutivis affectio quæritur. Iidem ſi colloquio ejus frui cupiant, ſe *claros Oculos Majeſtatis ipſius viſos velle*, teſtantur,& diſcedentes, *ſe Majeſtatis ipſius Claros Oculos vidiſſe.* De Ritu Regni Gago Arenam capitibus inſpergendi locum citavimus ex *Le Blanck. Itin. ſup. §. II.* In *Regno Indico Magni Mogol.* qui a Rege diſcedunt, demiſſo Capite manus oculis, deinde pectori, demum Terræ apprimunt. Legen mit geneigtem Haupte die Hände über die Augen / hernach auf die Bruſt / und rühren endlich damit die Erde an / anzuzeigen / daß ſie ſich für ihm wie

Erde und Staub achten / wünſchen darnach dem Könige langes Leben / und gehn rücklings davon. *Mandelslo Itin. L. 1. c. xx111x.*

XI. Et tandem ne mortuos quidem Cultus Proprius deficit, quem noſtro tempore, & maxime quidem Principes Catholici, *Caſtris Doloris*, in Veteri Romano Imperio Conſecratione, expediverunt: *Caſtra Doloris* ſunt exornatæ ſepulcrales Pyramides cereisque ardentibus inſtructæ: Cujusmodi ſupra mille Caſtrum Doloris Ferdinandi IV. Romani Regis circumluxere, affixa ſimul defuncti Regis Icone, profunda Secundum quietem contemplantis ſpecie. *Thuld. ad A. MDCLIV. p. 153.* Vid. Hiſtorias Proceſſuum Exequialium paſſim. Origo videtur ex ſuggeſtuum ſeu Tabernaculorum ſtrue, qua in Conſecrationibus olim uſi ſunt, depromi poſſe: De quibus pauca ex ſæpius *cit. Herodiano* excerpemus, inde ad Inſignia in ſpecie ſic dicta ſeu Arma Regia tranſituri. Refert ille primo Luctum feſtiva ſolennitate mixtum tota urbe indictum mox ceream Imaginem Defuncto ſimilem in Regiæ ingreſſu Eburneo ac ſublimi Lecto impoſitam, huic continuis ſeptem diebus per horas aliquod aſſediſſe a læva Senatum atris, a Dextra Matronas Illuſtres albis veſtibus; Et medicos quotidie acceſſiſſe inſpecturos quaſi ægrum, pronunciaſſeque ſubinde, ægritudinem indies ingraveſcere: Finita ſeptimana Lectum humeris geſtaſſe nobiliſſimos equeſtris ac Senatorii Ordinis Equites & in Vetus Forum detuliſſe, locum deponendo Magiſtratus Romani Imperio deſtinatum, ibique in gradibus utrinque excitatis hinc pueros e Patriciis, iſthinc fœminas Illuſtres ſtetiſſe, ac hymnos in defunctum lamentabili carmine ceciniſſe: Tunc Lectum iterum ſublatum atque extra urbem in Campum Martium deductum; Extructos ibi ſuggeſtus Tabernaculorum formam referentes, unum maximam, alterum hoc paulo minorem, hoc iterum minorem tertium, quartum & alios, minimum denique omnium poſtremo in loco poſitum; Hosce Turres portubus imminentes ſeu Pharos repræſentaſſe, & interius aridis fomitibus impletos, extrinſecus auro, ebore, ſtragulis, picturis exornatos; Lectum deinde in ſecundum Tabernaculum ductum, aromataque & alia odorata injecta; Tum Equeſtrem Ordinem motu Pyrrichio numeroque in orbem recurrente illud circumequitaſſe: Currus item circumactos, quibus Purpurati Rectores inſederint perſonas referentes, quæ haberent imagines Illuſtrium Romanorum Principum; tandem Imperii ſucceſſorem Taber-

bernaculo facem admoviſſe, idemque reliquis cæteros feciſſe; Ac poſtremo e minimo & ultimo, tanquam e faſtigio quodam ſimul cum ſubjecto igni aſcenſuram in ætherem Aquilam dimiſſam, qui ipſam Principis Animam deferret. *L. IV. init. de Conſecrat. Severi Imp.* Atque hujusmodi Conſecrationes ne initiis Chriſtianiſmi quidem deſiiſſe diſcimus ex Numiſmate Veteri, quod Conſtantini M. Linteo velatam imaginem exhibet, quæ quadrigis in cœlum vehitur, brachioque exerto excipitur a Brachio altero cœlitus porrecto cum ſubſcriptione CONS. i. e. Conſecratio. Sed ſenſu Chriſtiano forſan de Cœleſti Gloria divinitus donata id accipere licebit. V. *Voſſ. de Idol. Gent. L. 1. c. x11.* In Japania Miniſtri Regum atque etiam minorum Principum morte propriis manibus ſibi intentata Domino ſequuntur, cui & ſolenni formula ſe aſtringere ſolent, ſi quo beneficio ab ipſis afficiantur: Sibi immerito inter tot Subditos beneficium præberi, ac proinde redhoſtimenti loco ſe corpus ſuum ipſis offerre, ſeu uti recitat *Caron. Deſcr. Japan. p. 155. Gebiedende Heer, uwe getrouwe onderdanen zyn veele, en wat hebbe ick doch verdient, deſe eere te genieten, dit lichaem, dat doch myns Heeren is, ſchencke ick u wederom, en belove, dat het niet langer leven ſal, als het uwe.* Eundemque ritum & Veteres Scythas in ſepultu Regum ſuorum obſervaſſe prolixe exponit *Herodotus L. IV. Hiſtor.* Cujus promptitudinis ratio fuerit, quia populi iſti non aliud quam Deſpoticum & Abſolutum Regimen Principum ſuorum ſciunt eoque rerum pariter ac Corporis ſui ratione ſeipſis ſubjacere arbitrantur.

CAPUT III.

Inſignium Scriptores, Antiquitas, occaſio: Partium, Scuti Figurarum, Colorum, Galeæ, Clinodiorum, Atlantidum recenſio & rationes: Aquila Biceps a Natura repræſentata; Inſignia Imperii Germanico Romani, Ruſſici, Urbis Genevæ: Lilia Gallicana, Scutum Liliatum: Inſignia Portugalliæ: Inſignia Regum Angliæ; Chelys Hibernica, Prætenſio Regum Daniæ in Suediam & Hamburgum: Inſignia Regum Suediæ: Imperii Turcici: Reliquorum Regum in & extra Europam: Excurſus de Regum ac Regnorum Divis Tutelaribus; Prærogativa, Privilegiis.

I.

Reſtant Arma Regia, Inſignium in ſpecie ſic dictorum nomine alias

alias nota, & Germanis nobis Wapen appellata, quod Armis extantioribus inſculperentur: Autores, qui nunc ad manum ſunt, pro generali eorum noticia indicamus, *Henricum Spelmannum* in Aſpilogia ſ. Tr. de Scutis, *Abrahamum Tranſum* Explicatione Inſignium & Armorum, *Johannem Ferne Blazon of Gentrie*, ſ. de Splendore Nobilitatis, *Moreau Tr. des Armoiries de France*, Hanß Caſpars von Löwen Wapenbuch auf gantz Europam gerichtet/ Martin Schrots Wapenbuch des H. Röm. Reichs/ und allgemeiner Chriſtenheit. *Limnæum J. P. L. VI. c. VI.* Et Rerum Genealogicarum Scriptores *Albizium*, *Hier. Henninges*, *&c.* Antiquiſſimum eorum uſum fuiſſe in Columba Veterum Babyloniorum, Equo Dari Hyſtaspis, Dracone primorum Regum Chinenſium, Anchora Seleuci claret: A prima enim rerum origine hominum Ingenia operam dedere, ut virtutis, Dignitatis, fortunæ aut ſimilium rerum ſuarum aliquod ſignum aliis oſtenderent, idque ut figuris ejusmodi exprimeretur, communi conſenſu receptum fuit: Ideo Leones, Urſos, Equos, Aquilas, aſſumſere, utpote Animalia non obſcuræ Virtutis ſeminium referentia, teſtaturi quippe, ſibi non minus virtutem ejusmodi defore. Sic Draco, quod apud Chinenſes pro maximæ felicitatis omine haberetur, a Regibus eorum Inſignis loco aſſumptus fuit. V. *Martin. Martin. Hiſt. Sin. L. I. p. 22.* Equum generoſitas commendat, & Witekindus Saxo, infracti Animi Princeps, Inſigne ejus conſtanter circumtulit, unde & Oſtphalorum ac Weſtphalorum nomen enatum; Equus enim tunc phale dicebatur. *Hamelman. Chron. Oldenb. P. I. c. I.* Eundem a Dario Hyſtaſpis uſurpatum Scholiaſtes Thucydidis notat, cum Equi & Equiſonis fide ad Regnum perveniſſet. Babylonii Columbam geſſere, quod famoſiſſimam Semiramidem ſuam in Columbam mutatam crederent, eademque figura ipſam colerent: Quo intuitu & Interpretes aliqui vocem *Jonah* ita explicant *Jerem. XXV. XXXIIX.* Facta eſt Terra eorum in deſolationem *a facie Iræ Columbæ*. Et *c. XLVI. XVI.* Surge, & revertamur ad populum noſtrum, & ad Terram Nativitatis noſtræ *a facie gladii Columbæ*. h. Exercitus Magni Nebucadnezaris, cujus Symbolum in Vexillis fuerit Columba. *V. Voſſ. Theol. Gent. L. I. c. XXIII.* Seleucidis Anchora erat; utpote cujus Characterem, tanquam Familiæ ſuæ proprium, in femore ferebant. Godofredus Bullioneus Tribus Ardeis uno Jaculo transfixis delectatus fuit, cum Elogio: *Dederitne viam Caſusve Deusve.* Cauſa, quod toti-

totidem aliquando uno ictu confeciſſet. *V. Silveſtr. Petra ſancta in Symbol. Heroic. L. VI.* Cujusmodi plura in ſingulorum Regiorum Inſignium ſpeciali deſignatione in ſeqq. adducemus.

II. Atque ut Partes Inſignium quoque in anteceſſum delibemus, eas præeunte *Limnæo* recenſemus I. Scutum ſeu Campum, cui Inſignia inhærent. II. Emblemata, h. Figuras atque Colores Scuto adhærentes. III. Galeam. IV. Clinodia, Ornatus cauſa Galeis adjecta, & V. Suſtentacula, quæ Inſigne ſuſtinent ac fulciunt. *Scutum* cur Veteres potiſſimum eligerent, ratio fuit, quod inter Arma maxime conſpicuum eſſet, ac defenſivis pariter atque offenſivis armis omnibus nobilius haberetur. Unde *Scuti alienatio* inter alia pro Deſertionis crimine habita, *L. XIV. §. I. ff. de re milit.* Et Epaminondas Thebanorum Dux jam ſemianimis in caſtra relatus *id unum a Circumſtantibus quæſivit, Num cadenti ſibi* Scutum *ademiſſet Hoſtis, quod ut ſervatum audivit, allatum* velut laborum gloriæque Socium *oſculatus eſt*, ap. *Juſtin. L. VI.* Scutum deinde Figuris & coloribus ornari oportuit: Figurarum rationem §. præc. reddidimus; fuitque cum Scutum ab iis plane vacuum nihilominus notabilem aliquam Impreſſiam relinqueret, ſtructum in Pompa funerali a Comite Eſſexio cum Symbolo: *Par nulla Figura Dolori.* Licet Emblema iſtud potius eſſet, quam Inſigne aliquod. *V. Silveſtr. Petra ſancta de Symbolis Heroicis L. VI.* His colores additi ſunt, ſed itidem non temerè, verum ut ſignificarent aliquid: Quorum explicationem ex *Pancirolli Comment. in Notic Imp. Orient. c. XXXVII.* nunc plenius reddemus; *Limnæi* enim Interpretamentum *N. LXIV. LXV. LXVI.* confuſius eſt, quam ut huc trahi poſſe exiſtimemus. *Aureus* felix ſeculum, aureumque præſentat. Virgilius *Toto ſurget gens Aurea Mundo*, in Eclog. IV. & *Aurea condet Secula.* Aurum Soli aſſimilatur & Gemmis Topaſio & Chryſolito. Ex Signis Leoni & Julio menſi reſpondet roburque & adoleſcentiam denotat. *Albus* ſeu argenteus, animi candorem puritatemque, velut alii, fidem inſinuat. Ideo Virgilius ait in Æneid. *cana fides.* Ex planetis Lunam, ex ſignis Cancrum, ex lapillis margaritam, Berillumque, ex elementis aquam, phlegma, infantiamque refert. *Luteus* lætum ſeculum ſignificat: eſt enim color, velut croceus, qui in roſarum medio micat. *Puniceus* honorem indicat & victoriam, quod & *Virgilius in 5. Æneid.* innuit:

Z *Jam-*

Jamque adeo donati omnes opibusque ſuperbi
Ibant puniceis evincti tempora tœnis.

Viridis Spem, vel robur & vigorem portendit. *Virgilius in VI. Æneid. Sed crudâ Deo viridisque ſenectus.* Quod tractum eſt ab herbis, quæ, dum virent, vigent. Planetam Mercurium, Signa Geminos & Virginem refert, ac ver, juventutemque & Smaragdum, qui plus cæteris oculorum aciem recreat. *Cœruleus* ex ſplendido, albo, nigroque creatus, *Plat. in Timeo* juſtitiæ & Claritatis, famæque eſt ſymbolum, planetæ Veneri reſpondet, & ſignis Cœleſtibus Tauro & Libræ, & elemento aëris, item ſanguini, pueritiæ, æſtati, & aëri ac ſapphiro, qui poſt Smaragdum mirificè aciem oculorum recreat & clarificat. *Niger* eſt prudentiæ firmitatisque ſignum, quod is color in alios amplius non vertatur: planetæ Saturno reſpondet, Signis cœleſtibus, Arieti, Aquario, & Geminis, item Adamanti, Agathæ & Chelidonio, Elemento terræ, hiemi, melancholiæ, ætatique decrepitæ, & plumbo, ex quo fit color niger. *Purpureus* ex rubro, albo, nigroque commixtis generatur. *Plat. in Timeo.* Vim imperii ob purpuram, quæ Principis eſt propria, ſignificat: refert hic color Jovis planetam, Sagittarium & Piſces, ſtannum, gemmam, opalum, irim florem, ſenectutem & fulgur. *Ferrugineus* roboris duritiem portendit. *Rubeus* magnanimitatem & Marti, Arieti & Scorpio, carbunculo & corrallio, igni, autumno, bili, ætati virili, rubentibus roſis & ferro reſpondet. In ſymbolis amoris ardorem plerumque indicat, aliquando ſanguinem, ut in cruce rubea Chriſti ſanguine tincta. Atque hi aliquando etiam citra figuras admiſſi fuere, quæ priſcorum Celtarum conſuetudo fuit *T. Cluverio Germ. Ant. L. 1. c. XLIV.* Indeque hodienum antiquiſſima & maxime genuina Nobilitatis Inſignia ducuntur, quæ omnium ſimpliciſſima & certis duntaxat coloribus & ſpaciis vel Rhombi vel Trabium figura diſtincta apparent. *v. Limn. l. c. n. XIV.*

III. *Galeam* deinde imponunt, quippe itidem armamenti Defenſivi genus, ſed quam diverſimodis nunc commutant, cum Coronis, Tiaris, Galeris, Mitris & ſs. pro Dignitatum Diverſitate. *Clinodia* ſeu Ornamenta Galeæ ſunt Plumæ, Galli, Corvi, Canes & ſs. ipſa Cornua, non tanquam infamiæ, ſed honoris notæ, ad declarandos radios Solis aut ſplendidæ alicujus lucis: *Suſtentacula deinde ſeu Atlantides*, aut Telamones adduntur, veluti Inſignibus Anglicanis

Leo & Draco, vel Unicornis: Draco ante adjectum Regnum Scotiæ, Unicornis poſtea: Telamones enim Inſignium Scoticorum erant Unicornes. Inſignibus Ducum Brunſuicenſium adſtant Homines ſilveſtres. Inſignia Gallicana Carolus VI. fulcivit Angelo, Filius Carolus VII. Cervis alatis, Ludovicus XI iterum Angelis, quod S. Michaelis militiam inſtituiſſet, Ludovicus XII. Hiſtricibus: Poſt quem cæteris Regibus, in honorem Michaelini Ordinis binos Angelos ſemper retinere placuit. *Chiflet. de Amp. Rem. C. I.* Solent & Symbola aliquando adjici, uti Armis Anglicanis in Periſcelide circumpoſita verba: *Hony ſoit, qui mal y penſe.* Cujus ratio reddetur in Diſſ. de Equitibus. Et alias: *Dieu & mon Droit, Deus & Jus meum.* Quod primum uſus fuit Richardus I. ad demonſtrandum abſolutum ſuum & a ſolo Deo dependens Imperium. Continuavit deinde Edvardus III. cum Galliam ſibi vindicatum iret, quem cæteri poſtea ſecuti: *Autor. St. Angl. c. IV.* Inſignibus Principis Walliæ: ICH DIEN: Re digna memoratu, Phraſin Germanicam in locis a Germania longe diſſitis reperiri.

IV. Ipſa Monarcharum noſtrorum Inſignia quod attinet, Imperium noſtrum Germanico-Romanum AQUILAM gerit, eamque Bicipitem, rem Naturæ ipſi adeo familiarem, ut evidentiſſimo Charactere figuram ejus Capitibus Cancrorum Fluviatilium & Radicibus Filicis Fœminæ implantaverit. Hanc Priſci Romanorum Reges amavere, poſteri in Rep. Libera amplexi ſunt, & ſecuti tandem Imperatores ad noſtram usque ætatem propagarunt. Ratio videtur in Aquilæ robore, magnitudine Corporis, volatu ſublimi ac celeri, acrimonia viſus, prudentia præterea & animi magnitudine quærenda eſſe, ut veluti Aquila iſtis, ſic Romani ſimilibus donis eminere cenſendi ſint, quod & *Joſephus* jam olim ſcivit, dum de ſignis Romanorum locutus fuit *L. III. Bell. Jud. c. V. AQUILA Legioni apud Romanos præeſt. Regina ipſa omnium avium, & eadem valentiſſima. Unde etiam Imperii Signum ipſis eſt, & velut omen victoriæ, in quoscunque eant.* Aliam, licet verbis parum perplexis, reddit Sigismundus Imp. in Reformat. c. XXVI. ap. Goldaſt. Reichs-Satz. *T. II. p. 140.* cit. *Limn. J. P. L. 1. c. XXIV. n. XXIIX.* Eandem poſteri Bicipitem voluere, ſeu potius duas Aquilas expanſis alis ſibi Dorſa jungentes, forte in deſignationem Bicipitis Imperii Orientalis & Occidentalis: Quanquam ſint, qui hac de re dubitent, maxime cum ante

te Henricum VI. Imp. nemo Imperatorum ejusmodi Aquila uſus fuiſſe deprehendatur, quod ex Octav. Strada de Vitis Imp. obſervat Limn. l. c. Voſſius tamen Numum Veterem allegat cum Aquila Bicipiti, ſed non alio argumento, quam Legionum duarum in unam coalitarum, *Th. Gent. L. III. c. LXXVI.* Veteres Perſas eodem Aquilæ Inſigni uſos fuiſſe docet *Xenophon: Et Signum Aquila Aurea in haſta longa extenſa; Et una quoque ipſum hoc Inſigne Perſarum Regi manet. Cyroped. L. VII.* Ruſſici Imperii Inſigne eandem eſſe ac Bicipitem quidem geminaque corona inſtructam tradit *Olear. Itiner. Perſ. p. 51.* Quod mera arrogantia ſuperioris ſeculi Tyrannus Johannes Baſilides primum introduxit, quod Sanguine Imperatorio cretus haberi vellet.

VI. Inſignia Regum Galliæ ſunt LILIA; Ratio in ambiguo eſt: *Boxbornius* Monachos, aut tales alios, quorum olim Ingenio judicioque plurimum in aulis tributum fuerit, autores fuiſſe putat. Legiſſe illos in Evangelica Hiſtoria, *LILIA non nere, &c.* Itaque, cum Nere vel Lanam tractare, quod Lilia non faciant, Fœminarum proprium ſit & ipſis Principibus Matronis id tribuant Homerus veterumque Poëtarum alii, Lanam facientes, h. Fœminas arceri a Sceptro Francorum per LILIA ſignificare voluiſſe. *Hiſt. Un. ad Anno CCCC XX. p. 343.* Sed conjecturæ huic locus erit, ſi de Antiquitate Legis Salicæ ſatis conſtet, quo de egimus præced. *Diſſ. III.* Becanus plauſibiliora ſcribit, LILIO ſpem denotari, tribus ſpem numeris omnibus abſolutam, ac proinde a veteribus Francis recepta eſſe, ut poſterorum animos certa futuræ felicitatis fiducia incenderent *L. IV. Francicor.* Sed lucem hanc inutili nubecula obſcurat; Tria LILIA jam Noachi ætate in Francorum Inſignibus fuiſſe; Quæ dixiſſe, eſt refutaſſe. Originem unanimiter fere a Clodovæo ſeu Ludovico I. petunt, & illum una cum Religione Chriſtiana LILIA primum accepiſſe ſentiunt; Sed a quo Autore rurſus dubium eſt. Tradunt Angelum Clodovæo juxta *Ampullam Remenſem & Auriflammam, Scutum LILIATUM* attuliſſe. *V. Steph. Forcatul. de Gall. Imper. L. VI.* nec vulgus alia garrire didicit, ſed fide admodum vacillanti, quamque candidiores Hiſtorici non minus, atque Ampullæ Remenſis Antiquitatem, in dubium vocant. Ita *Haillan. L. I. Ret. Franc. Fides illa Francorum de LILIIS nulla probati Scriptoris autoritate confirmatur;* Scipio Duplex Regius Annal. Scriptor. *Quod attinet ad Scutum*

tum cœruleum LILIIS pictum, neque hiſtoria, neque traditio ullam fidem facit, quod e cœlo transmiſſum fuerit in Clod. 1. Reg. T. 1. Hiſtor. Adde Tilletos duos & Guillelmum Marlotum, quos citat *Chiflet. cit. Tr. de Amp. Rem. c. 1.* Et certum eſt, de cœleſti hac LILIORUM miſſione ne apicem quidem extare in totis Tomis V. Scriptorum Antiquiorum Franciæ ab origine Gentis usque ad Philippi Pulchri tempora & An. MCCC. editis *ab Andr. & Franciſco du Cheſne.* Alii Eremitam ea Clodovæo monitu Divino attuliſſe ſcribunt, fide priori non diſſimili. *Malingre de la Loy Salique c. XXIIX.* Sed fuerunt iſtæ antiquiorum temporum piæ fraudes, ut Legibus ac geſtis ſuis Divinitatem obtenderent, idque ſi Clodovæus etiam excitata ejusmodi de ſe opinione fecit, commentum non tam novum excogitavit, quam quo alii jam ſæpe uſi fuerant, imitatus fuit.

VI. Neque aliud fere Inſignium Portugalliæ initium fuit: Cum enim Alphonſus I. Rex Portugalliæ in Caſtris contra Saracenos eſſet, atque exigua manu adverſus validiſſimum iſtorum Exercitum confligere haberet, media ante conflictum nocte fertur Servatoris Alloquio uſus fuiſſe, & ſpem victoriæ, ſed monitum ſimul accepiſſe Denarios XXX. quibus venditus fuerit, Inſignium loco poſtmodum uſurparet; Quod ipſa illa nocte etiam effectum dedit, novoque Armorum genere militibus novas vires addens Exercitum Saracenorum feliciter fudit. Hinc Scutulorum Denariorumque in Inſignibus Portugallicis initia. *V. Anton. de Souſa Luſitan. Liber. c. penult.* Pio itidem haut dubie commento, ut animis ſuorum erectis Infideles extirparet, vacillansque Regnum ſuum ſtabiliret.

VII. Regis Angliæ Inſignia quatuor conſtant partibus: Procumbentibus tribus Leonibus pro Anglia, Leone erecto pro Scotia, Chelyde pro Hibernia, Liliis ad firmandam Prætenſionem in Regnum Galliæ. Priora nulla peculiari monitione indigent. Chelyn adhibitam iterum docet *Boxborn. l. ante cit.* quod celebratiſſimus inter eos Rex ac Legiſlator Davidis nomine fuerit inſignitus: Davidi autem Judæorum Clariſſimo Regi, propter Pſalmos, quos condidit ipſe ac cecinit, & olim & hodie ejusmodi Inſtrumentum Muſicum tribui conſueviſſe. Sed in eo turpiter ſe dat, quod Scotiæ Regibus eam adſcribat, cum indubium ſit Hiberniæ Symbolum eſſe. Liliorum retentu prætenſionem in Regnum Galliæ firmari ſciet, qui eosdem Reges Franciæ adhuc ſcribi meminerit. Confer

Digitized by Google

Diſſ. III. c. I. §. VII. Neque inſolita eſt illa Inſignium, etiam res plane inanis, retentio: Cum & Poloniæ Reges hactenus Inſignia Regni Suedici geſſerint, in quod Jus ſuum aliquandiu quæſivere: Hinc & cum Pace Olivenſi Tituli Suedici nomine inter Suedos ac Polonos conveniret, Inſignium uſus quoque mentionem fieri oportuit: *Sereniſſimus Rex Poloniæ, prout hactenus, ita in poſterum ad dies Vitæ ſuæ utetur integris Titulis* & Sigillis Inſignibusque *Regni Suediæ in Polonia & ad omnes Principes extra* Suediam. Quæ plenius citavimus *ead. Diſſ. III. c. II. §. III.* Similiter cum Chriſtianus III. Rex Daniæ A. MDXLVIII. Inſignia Suedica Trium Coronarum ſuis & Regni Danici Inſignibus inſeruiſſet, obtentu Conjunctionis trium Regnorum Suediæ, Daniæ & Norwegiæ ſub Margarita & aliis Anteceſſoribus ipſius inſtitutæ, Suedique de eo graviter expoſtularent, tanquam Inſignium iſtorum uſurpatione quoque jus aliquod in Regnum Suediæ Dani prætexerent, ac poſtmodum bellorum inter Reges iſtos præter alia cauſa eſſet, tandem Articulis Pacis inter utrumque Regum ab Arbitris Pacis deciſum eſt, *ut uterque Rex Suediæ & Daniæ tribus Coronis uteretur,* hac tamen conditione, *ut neuter per hoc Inſigne Jus aliquod in alterius Regnum obtenderet, Loccen. Antiq. Sueo Goth. L. II. c. II.* Similiter inter rationes Prætenſionis Regum Daniæ in civitatem Hamburgenſem una fuit, quod Folium Urticæ, Principum Holſatiæ Inſigne a tempore Chriſtiani III. paſſim Urbis Inſignibus, in Curia, portis, Sigillo publico, ac moneta ſculpſerint, quam citat *Burgold. P. III. Diſc. XII. n. IV.*

IIX. Daniæ Regum Inſignia quod attinet, *olim quidem Cimbri æneum Taurum, ut roboris ac fortitudinis ſignaculum prætulerunt; Nunc longo id ævo obſoletum nec locum habet. Primo igitur, qui exhibentur, TRES LEONES Daniæ regni inſignia ſunt, in ſolo croceo. Et proxime ei poſitus cum bipenni LEO Norvagiæ ſceptrum indicat. Qui vero illi locatus eſt conterminus corda novena ſaltu tranſiliens Gothos, eorumque imperium notat, in roſea planitie.*

Hinc rigidos Slavos effert pernicibus alis,
Et loca propugnat ſanguinolenta, DRACO.

Hos eosdem & Vandalos alias vocamus, inde quæ ſequuntur TRES CORONÆ, unionem trium Regnorum Daniæ, Sueciæ Norvagiæque ſignificant; Gotlandiæ, ejusque ampliſſimam in ſinu Balthici maris ſitam ditionem, AGNUS CHRISTI exhibet, geſtans vexillum, cui inſcri-

pta in ſolo rubeo CRUX CANDIDA. *Hujus origo refertur ad illud, quod factum eſt ap. Livonos, Valdemari II. Regis memorabile prælium. Ubi Dani, amiſſa per errorem, quam ſequebantur, aquila, cum in fugam agerentur, demiſſum cœlitus memoratur novum vexillum, in cujus rubeo ſolo, crux alba erat deſcripta, cujuſmodi etiam ſequuti fuerant, atque ita revocato continue gradu, hoſtilem aciem acerrimo conflictu perrumperunt, atque egregiam ad ſuos; fuſo hoſte, reportarunt victoriam. Hanc ob cauſam, quodque Rex idem Valdemarus II. Chriſti fidem ad ultimos illos Livonos Eſtbonumque populos primus propagarat, oſtentant regni inſignia crucem jam dictam, Vexillum vero ipſum* DANEBROGA *exinde eſt nominatum, ac magna ſemper religione, veluti regni palladium aliquod cuſtoditum, quin & exiſtimatum putatumque in præliis omnibus ex eo certantium pendere fortunam; ad morem fortaſſe, quo Cæſar quoque Conſtantinus Crucem labaris intextum militi præferre pro more habuit, cum ejuſmodi ſymbolo: in hoc ſigno vinces. An vero vexillum idem cœlo, ut memoravimus, dimiſſum ſit, an vero a Pontifice Romano, ut Regis ſtudium excitaret, loco cruciatæ, quemadmodum id temporis vocabant, ſubmiſſum diſputare hoc loco non eſt animus. Bini vero, qui proxime adſtant, Leones Ducatus Sleſvicenſis Inſignia habentur. Eis, qui proxime appingitur, Coronatus Piſcis Islandiæ Inſulam præſignificat, Urtica vero, quæ ſubjungitur, Holſatiæ, Cygnus autem coronata cervice Stormariæ ditiones ob oculos ponit. In medio horum inſignium, qui eſt poſitus Eques Cataphractus, Dithmarros eorumque territorium præfigurat.*

Celſa Trabes gemini pingit Delmborſta coloris,
Oldenburgiaca Crux vehit Alba domum.
Turrigeri hæc celebres cingunt Elephantis honores,
Fama volans quorum tollitur æqua polo.

Pontanus Chorograph. Danic. f. 770. 771.

IX. In Suediæ Regno *Tres Coronas & Leonem* videre eſt. *Tres Coronæ* ſunt vetus Inſigne Regum Suediæ, in quarum recognitionem & tres Upſaliæ veteris Colles aut Tumulos cæteris editiores, in quibus Regum Suediæ Cineres & Oſſa ſervantur, ſeorſim erectos volunt. Cauſam & ſenſum *Olaus M.* dominiorum amplitudinem, egregia militiæ foriſque geſta, & Metallorum Ubertatem eſſe ſtatuit. *L. II. Rer. Septentrion. Meſſenius Speculæ Sueonum c. XII.* hanc reddit, quod Upſalia quondam religionis, Regiæ & Juſticiæ ſuprema Sedes fue-

fuerit. Alii Suediam, Gothiam, Vandaliam illis inſigniri volunt. *Leo* Vetus Gothorum eſt Inſigne, quod *Joh. Marian L. VII. R. Hiſp. c. III.* confirmat: *Gothorum Regum Inſignia Leonis in pedes erecti, atque diducto rictu formidabilis.* Hinc in Numo Unciali Caroli IX. Regis Suediæ A. MDCX. publicato Inſignibus *Leonis* ſeorſim expreſſis additur *Gothia*; Inſignibus *Trium Coronarum Suecia.* Utraq; vero Inſignia conjuncta exiſtimantur, ex quo Suedia & Gothia in unam coaluerunt. Quod vero Leo ſupra tria fluenta aſſultat, eo quidem volunt ſignari Gothorum fortitudinem olim in tres plagas Europam, Aſiam, Africam inſtar torrentis ſe effudiſſe, easque Bellis & victoriis peragraſſe. *Loccen. Antiq. Sueo-Goth. L. 11. c. 11.*

X. Turcæ hactenus *Lunam* pro Inſigni agnovere: Forſan in Spei, Fœcunditatis aut ſimilium Symbolum; Tale quid enim Luna Creſcens veteribus denotare credita fuit; Et Henricus II. Franciſci I. Filius, eam ſpei indigitandæ cauſa loco Symboli circumtulit cum Elogio: *Donec totum impleat Orbem.* Quam in juventute ſua plenam geſſit, cum verbis: *Cum plena eſt æmula Solis*, Paradin. *Deviſ. Heroiqu. p. 18.* Origo videtur inter veteres Saracenos quærenda eſſe, qui Lunam tanquam ſupremum Numen coluere. V. Euthymium Zigabenum in Panoplia, Cedrenum in Chronicis & alios, quos citat *Voſſ. Th. Cent. L. II. c. XXXI.* Pro Henrico ſuo *Paradinus* allegat: Lunam eſſe Symbolum Eccleſiæ, utpote inter incrementa & decrementa continuo luctantis, Gallum vero eſſe Eccleſiæ Primogenitum. Cæterorum Inſignia nihil peculiare important, ut proinde indicaſſe ea ſatis ſit. Hiſpanica varia ſunt, pro Regnorum varietate, quorum Origo tamen plerumque in ipſo Regni nomine ſita eſt. Sic Granadæ Inſigne eſt Malum Punicum, Caſtiliæ Caſtellum, Legionis ſeu Leonis, Leo &c. Regni Poloniæ Inſigne eſt Alba Aquila coronata, hiante roſtro & expreſſis alis. *Cromer. de Repub. Pol. L. XVI.* Bohemiæ Leo rubens Bifurcata Cauda in Campo Albi Coloris. Hungariæ ab uno latere VII. Trabes: ab altero Crux geminata tribus Clivis inſiſtens. Chinenſes, veluti jam §. 1. dictum, in bonum felicitatis omen Draconem habent, & eum quidem quinque Digitis inſtructum, in quibus diſcrimen potiſſimum Inſignis ſui collocant, ut alii quidem Dracones ſuos Unguibus quaternis inſtruere poſſint, nunquam autem & pœna Capitis propoſita quinis. *V. Martin. Dec. Sin. L. I. num. I.* Pavonis Figuram Cruci imminentem Inſigne

ſigne Regis Narſingæ eſſe in commendationem S. Crucis commemorat *Kircher. Prodr. L. Cept. c. IV p. 111.*

XI. Specialis *Inſignium* uſus in Sigillis eſt. *Sigilla*, *Bullas* vocant appreſſa vel appenſa additamenta illa, quibus in majorem fidem ſcripta a ſe muniunt. Sigillis tamen apud Cæſares noſtros in quotidianis & promiſcuis rebus; Bullis in rebus majoris momenti, uſus fuit; Bullamque ideo apud eosdem *Majeſtatem* dixere: Cui & pro negocii aut perſonæ conditione precioſior aut vilior materies addita; Ipſum Aurum quoque, ſi maximæ & graviſſimæ res eſſent, ut in privilegiis & conceſſionibus maximi momenti, quas Principibus vel Præſulibus aut Collegiis darent, aut in Pragmaticicis Sanctionibus ad totum Imperium & poſteritatem pertinentibus: Qualis eſt illa nobiliſſima Caroli IV. quæ *κατ᾽ ἐξοχὴν Aurea Bulla* vocatur: *Cujus vel aſpectus ſolus immenſum quiddam Majeſtatis & gloriæ contemplantibus ingerit, & venerabundos cogit ſummi Imperii & Veteris Romæ atque Aurei Seculi meminiſſe.* Petrarch. *Epiſt. in Epp.* cujus verba licet alia ſibique conceſſæ Aureæ Bullæ applicata, huc merito trahimus. Ejus Deſcriptionem talem Freherus exhibet verbis Pilei cujusdam Cardinalis ab Urbano Papa VI. in Germaniam miſſi A. MCCCLXXIX. atteſtantis ſe vidiſſe & tenuiſſe quasdam literas patentes Caroli Imp. tum Librum illum Aureæ Bullæ, quem ita deſcribit: *Prædictus Liber erat ſcriptus in Pergameno in XXIV. foliis cum coopertura groſſa, in quo erant ſcripta diverſa negocia Sacrum imperium & Electores ejusdem tangentia: Qui quidem Liber transfixus erat cum filis ſericis glauci & rubei coloris involutis cum Bulla ſeu Sigillo Aureo rotundo Imperiali appendente, in cujus uno latere apparebat Figura Imperialis in Majeſtate ſedens cum Corona Imperiali in Capite habentis in manu dextra ſceptrum & in ſiniſtra manu pomum cum Cruce deſuper modo Imperiali, & a latere dextro Clypeum cum Aquila, & ſiniſtro Clypeum cum forma Leonis. In circumferentia vero legebantur hæc verba: KAROLUS QUARTUS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS ET BOHEMIÆ REX. Ab alio vero latere Caſtrum magnum cum duabus turribus, habens Portam inferius in medio cum literis: AUREA ROMA. In circumferentia vero legebantur hæc verba: ROMA. CAPUT. MUNDI. REGIT. ORBIS. FRENA. ROTUNDI.* V. Freher. in *P. de Andl. L. II. c. V.* Et monet quidem *Polid. Vergil. de Invent. l. IIX. c. II.*

Ante Carolum M. Imperatorum literas auro obſignaſſe Principum Romanorum neminem. Conſtat tamen Reges Francorum plus minus CC. Annos ante Caroli Imperium Auro obſignaſſe literas, ſi ſuſpectas nobis non obtrudat Franciſcus Roſiarius in Apparatu ad Stemmata Lotharingica. Profert enim non ſolum Pipini Regis & Sigeberti, ſed Dagoberti etiam chartas plures Aureis ſigillis roboratas: Et quod majus eſt, Scuta in Sigillis exhibentes juxta Regulas hodiernæ Fecialium ſcholæ inſignita. *Spelmann. Gloſſ. V. Bulla.* Similiter Imperatorum CPLorum Bullæ materia divertebant, erantque Aureæ, Argenteæ, Cereæ, Plumbeæ. Aurea utebantur Imperatores in Conſtitutionibus ac mandatis ad Reges, Sultanos ac Toparchas. *Codin. de Offic. Conſt.* Idem uſus Argenteæ. Phranzes *Chron. L. II. c. X. Ego cum Literis Bulla Argentea inſignitis & jurejurando firmatis & multo milite miſſus ſum, ut Athenas & Thebas in poteſtatem reciperem.* Luitprandus in Legat. *Tulerunt autem & alias literas argento ſignatas atque dixerunt,* &c. Ad Matrem, Uxorem & Filium Cerea; Ad Deſpotam, Patriarcham, Sebaſtocratorem & Cæſarem Plumbea utebantur. *Codin. l. c.* ap. *Meurſ. Gloſſar. V.* κηρόβουλον, & ex eo *Spelmann. Gloſſar. l. c.* Adde *Limn. J. P. L. I. c. XI.* Addebantur etiam præter Nominis Subſcriptionem tres in fronte Cruces Coloris Rubei, per quas tacite veluti jurabat Imperator, rata ſe ea velle, quæ ſcriberet. Phranzes L. III. c. IV. *Imperator manu ſua eo vidente tres Cruces Cinnabare in fronte Bullæ ad Confirmationem pro conſuetudine exprimit*, Bullamque Auream *Legato in manus tradit.* ap. Meurſ. *l. c.* Sicque apud alias quoque nationes Crux confirmationis loco adjecta. *Ego Alfrye Regina conſenſi & ſigno Crucis confirmavi* ✠. Quod Citatum ſuperius Diſſ. I. c. II. §. VI. Eodem modo in Anglia *Sigillum Magnum* ſe habet, cujus cuſtodiæ qui admovetur e primis Miniſtris Coronæ eſt, & *Magni Sigilli Cuſtos* audit, *the Lord Keeper of the great Seal*; Et Minus, *the Privy Seal*, ejusque Cuſtos, *Privati Sigilli Cuſtos*. Veluti & apud Græcos Aureæ Bullæ ſignatio penes Magnum Logothethem fuit: Cereæ vero & Plumbeæ penes Accubitorem Fundæ. V. iterum *Meurſ. l. c.* In Galia talis eſt *Garde des Seaux*, quæ Dignitas itidem inter primarias Regni collocata eſt & Cancellario ſæpe numero adjuncta: Quo abſente aut Gratia Regis excidente Rex eam alii pro lubitu attribuit. Sic ademptam legimus A. MDC. XXXIII. Domino Caſtri Novi de Chaſteunneuf collatamque Petro

Se-

Seguierio, qui & ſeculo An. MDCXXXV. Aligræo, Monſieur d' Aligre in Cancellariatus Dignitate ſucceſſit. *L' Eſtat de la Fr. P. III. c. II.* Similis in aliis quoque Regnis Sigillorum conditio. Nec abiit inobſervatum in literis Regis Hiſpaniæ, quibus Inducias octimeſtres Belli Belgici An. MDCVII. ratihabuerat, *quod per faſtum & contemptum minuſculo non majore Sigillo tantæ rei monumentum obſignatum eſſet, quo jaci debebant fundamenta ſperandæ in æternum Pacis. Baud. de Induc. Belg. L. I.*

XII. Atque adeo pedem in Noticia Dignitatis Regiæ figimus, Duces, Principes, Comites, Barones, Nobiles & quicquid ex Sacro Ordine aut aliunde accedere poteſt, dehinc viſuri. Si quid prætermiſſum eſt, id neceſſariarum Obſervationum defectu facile excuſatum iri confidimus; Neque omnia in ſublimi hac materie ad lubitum conſignare privatis nobis competit. Divos Tutelares Regnorum & Regum recenſuiſſemus, niſi rem Theologicam id eſſe arbitraremur. Sic *Hiſpani* colunt B. Jacobum, *Angli* S. Georgium, *Scoti* & *Burgundi* Andream Apoſtolum, *Hiberni* S. Patricium, *Poloni* S. Stanislaum, *Bohemi* Wenceslaum, *Hungari* Ladislaum. Neque hodie abſiſtitur a deſignandis Patronatibus & Tutelis ejusmodi: Veluti Galli, cum olim coluiſſent S. Dionyſium Pariſienſem, ſolenni Diplomate Regio de A. MDCXXXIIX. ſepoſito ipſo B. Mariam Patronatu donarunt, cui Rex ſe ac Populum Regnumque ſuum atque adeo univerſam rem Francicam in Clientelam ſolenni Voto dedit ac dicavit, ut loquitur *Jac. Eveillon. Canon. Andegavenſis Tr. de Proceſſionibus Eccleſiaſticis c. XXVI.* Similiter Pragenſes S. Joſephum ſibi conſtituerunt *Anno M DCLV.* quem & Bavari noviſſime Anno M CLXV. aſſumſere, duriſſimo *P. Andreæ a S. Thereſia Carm. Diſcalc.* Sermone introductum, qui publice proſtat cum Titulo: Neu erklärter Obriſter Lands-Burggraf über das Durchläuchtigſte Chur-Hauß und Hochlöbliche Hertzogthum Bäyern. De quibus vid. pluribus judicioſiſſimum *Voetium Vol. III. Diſp. De Patronatibus, Tutelis & Præfecturis Sanctorum.* Sunt & alii Sacri Ritus ſolis Regibus familiares, veluti quod Cineres proprio ritu admittant, Feſto Trium Regum Aurum Thus & Myrrham offerant, quod poſt Catholicos Reges etiam Reformatus Rex Angliæ facit, *V. Diar. Eur. Contin. VII. p. 4. 5.* Feſto Inſtitutionis Cœnæ Dominicæ pauperum pedes lavent, Cerimonia itidem præter Catholicos Regi Angliæ uſitata.

Sed & illa Fori Theologici ſunt, ideoque extra Limites noſtros poſita: Poteritque de poſteriori hoc ritu conſuli *Jac. Gretſerus Tr. de Pedilario.* Prærogativam indeque nata Privilegia Regum ſtudio declinavimus, Lectorem interea ad curioſiores horum talium ſectatores remiſſuri, quales *Jac. Valdeſius de Dignitate Regni Hiſpaniæ. Tr. de l' excellence des Roys & du Royaume de France P. H. B. h. par Hieron. Bignon.* Et recentiſſimus Scriptor *d' Aubery* Tr. de Prætenſion. Regis Galliæ in Imperium exceptisque inde Axiomatibus, *James Howell* de Dignitate Regni Angliæ *Angl. edit. De Superioritate ac præcellentia Imperatoris, Regis ac Imperii Germanorum tota p. XI. Polit. Imp. Goldaſt.* De Prærogativæ contentione inter Hiſpanos atque Gallos prolixe egit *Jac. Chifletius Disq. de Ampull. Rem. c. XIIX.* atque poſt alia Decreta Imperatorum Decr. *Ferdinandi III. de d. Ebersdorf. d. XXIII. Sept. An. M DC XLIV.* pro Hiſpano emiſſum allegat. Quid in Epulo Norinbergenſi Ducis Amalfitani An. M DC L. inter Suedos & Gallos interceſſerit, idem tractat *c. XVII.* His adde *Sim. Majol. D. Canic. T. V. Colloq. V. p. 1151. Chaſſan. Catal. Glor. mund. p. V. Conſ. XXV. XXIIX. &c. & p. XII. Conſ. LVI. & LVII. Beſoldum de Seſſionis Præcedentia in Spicileg. Politico-Jurid. n. II. Vol. II. Diſſ. Polit. &c.*

DISSERTATIO VII.
DE
DUCIBUS.

Caput I.

Nomen Principum, Statuum Imperii: Dignitas amicorum Regis in Rep. Hebræorum & Suedia, Hanſes veterum Gothorum: Lordi ſeu Lords Anglorum: Parium Franciæ Origo, Ordo, Numerus, Privilegia, &c. Grandes Hiſpaniæ, Megiſtanes veterum: Illuſtres, Spectabiles, Clariſſimi, Perfectiſſimi, Egregii in Imperio Romano: Origo & uſus harum Dignitatum.

I.

ANtequam DUCUM notitiam contemplemur, præliminari Inſtructione opus fore rati fuimus, quæ generali Ambitu omnes Proceres ſub Regia Dignitate poſitos complectere-tur. Sic enim modo in genere *Principes* vocantur, modo certarum Regiodum Uſu *Lordi ſeu Lords*, *Pares*, *Grandes*, modo adjectivis Titulis diſtincti fuere *Illuſtrium*, *Spectabilium*, *Clariſſimorum*, *&c.* quorum Conſiderationi hoc caput impendemus.

II. De PRINCIPIS Nomine indicaſſe ſatis erit, ipſo Duces, Marchiones, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & qui ſimilem majorum Feudorum Dignitatem habent, aliquando comprehendi: Quo ſenſu potiſſimum in Imperio noſtro venit, ut in *A. B. Conſtit. Impp.* & alibi paſſim videre eſt. Eique non plane diſſimilis eſt Status Imperii Titulus, omnibus itidem Imperii noſtri membris communis, ſed in eo a Principibus divertens, quod Principes omnes, quotquot vel Nativitas, vel Gratia Imperatoris eo evexit; Status verò ii tantum, qui Jus Seſſionem habendi, indeque natam facultatem ſuffragandi in Comitiis habent. Confer *Limn. J.P. L. IV. c. II. Burgold. Part. I. Diſc. XIIX. Monzamban. c. II. & Pacif. a. Lap. Diſc. VII.* Status loco aptius forte nomen *Ordinum* adhibueris; Et hos quidem ultra Principes ſe extendere communis Gentium liberiorum in Europa noſtra conſuetudo docet, qua non tantum Inferior Nobilitas, ſed Civici etiam, Clerus & ipſi Ruſtici aliquando in Statuum ſeu Ordinum Numerum recipiuntur; Quod licet in Perſona ipſorum propria aut ſingulari non fiat, conjunctim tamen conſiderati expediunt, & unam q. Perſonam Moralem conſtituunt. Sic Regnum Galliæ tres Ordines habet, Clerum, Nobilitatem & Tertium Ordinem (Gallice *Le Clergé, La Nobleſſe & le Tiers Eſtat:*) Hic Magiſtratibus, quos Subalternos vocant & minore populo conſtat, ille nobilibus, qui arma profitentur. Nec valent Politicæ Leges, niſi in quas trium ordinum conſenſus eſt, neque ſufficit conſenſus Ordinum: Confirmare Regium eſt munus pro arbitrio. *Gramond. L. 1. p. 58. Contin. Thuan. L. VII. A. MDCXIV.* In Anglia Ordines conſtituunt primo Proceres e majori Nobilitate, deinde plebejus Ordo, quem repræſentant duo Equites vel cives primarii pro ſingulis Shiris ſeu Dominiis: E quibus hi Parliamentum Inferius, illi Parliamntum Superius conſtituunt. V. *Bateum Elench. Mot. Nuper. p. I. init.* In Suedia ſunt I. Nobilitas,

II. Epiſcopi Superintendentes, e ſingulis capitulis duo Conſiſtoriales, & ex quovis territorio ruralis Eccleſiæ Parochus unus. III. Tribuni Provinciarum militares, locum tenentes, majores cum uno Equitum Capitaneo cujusvis Legionis. IV. E civibus unius cujusque urbis Conſul, cum Senatore. V. E ſingulis Territoriis unus Ruſticus, qui & peculiare nomen Heretagsbauer gerit. Ordines Hungariæ conſtant ex Prælatis, Magnatibus, Civitatibus Liberis & Septem Montanis Civitatibus, nosque partem illam, quæ ex Magnatibus conſtat, recenſuimus ex *Werbeuczio C. 1. §. 1. Diſſ. X.* Singulorum ſpecialem enumerationem V. *in D. E. Cont. VII. p. 477. & ſeqq.* ad Diætam Univerſ. M. Maji A. MDCLXII. Ubi & modus celebrandi Comitia Hungarica deſcribitur. Cætera, quæ huc pertinere poſſunt requirentur ſq. *Diſſ. IIX. de Principibus.*

III. In Sacro Codice mentio fit AMICORUM REGIS. Huſai ſeu Chuſai *Amicus Davidis II. Sam. XV. ult.* Sabud *Filius Nathani Sacerdotis erat* AMICUS REGIS *I. Reg. IV. V.* Quo quidem nomine non tantum ſpecialem quandam Dignitatem ἀνώνυμον, ſed etiam in genere Dignitatem Procerum intelligi arbitramur, adeo ut tum intimam admiſſionem, tum virtutis ac fidei tanto munere dignæ nomen exprimant. Eodemque ſenſu in priſcis Suedorum monumentis AMICI Regis dicti ſunt, Konungs Winer/ ap. *Loccen. Ant. Sueogoth. L. II. c. IV.* Quos tamen & ANSES dixerunt, ab *Anſee*, vel *Anſa*, aut *Anſä*, h. Lingua Sueo-Gothica reſpicere, conſpicere, curare; q. Illuſtres, conſpicuæque Dignitatis & boni publici Curatores. *Jornand. Hiſtor. Rer. Goth.* apud eundem *Loccen. c. l.* Ex quo fonte & Urbium Hanſeaticarum nomen non incongrue arceſſi poſſe videtur.

IV. In Anglia Terminum LORDI, quem *Dominum* redderes, huic rei adhibent, & conſueta alias compoſitione *Milord & Mylord*, q. d. meum Dominum; In Abſtracto, *Your Lordship*, Dominatio veſtra; Quæ Scoti eodem ſenſu ſed levi immutatione per LAIRD & ſ. efferunt. Origo eſt a Saxonico *Laford* Dominus. Significantque eo omnes e majori Nobilitate a Ducibus ad Barones usque, ſeu omnia membra Superioris Parliamenti: Quanquam & primogenitos horum eodem afficiant; ac deinde & Judices Regios, licet tantum ex Equeſtri aut Civico Ordine ſint, etiam transferant, vel ratione Officii, vel quod itidem Parliamento Superiori interſint,

licet

licet non votum habeant, ſed in conſilium tantummodo adhibeantur. Quo faciunt verba *Smithi de Rep. Angl. L. I. c. XVI. Inter Nobiles primo loco Rex, tum Principes, Duces, Marchiones, Comites, Vice-Comites, Barones recenſentur, atque hi κατ' ἐξοχὴν ipſa Nobilitas vocantur, & porro* Domini *Virique Nobiles audiunt.* Denique *Majores* quoque, h. Conſules; ſeu Præſides Senatus, Londinenſem & Eboracenſem ita appellant. Gaudent præterea iſta Parliamenti membra Titulo PARIUM, Ratio originis eſt, quod Pares Nobilitate, ſeu potius Jure ſuffragandi in Regno ſint ap. *Ant. St. Angl. c. XIIX.* De Jure ac Privilegiis eorundem. Vid. eund. ibid. Alle Pairs oder Gleiche des Königreichs werden als Erb- und ſtets-wehrende Rathsherren des Königreichs gehalten.

Ihre Perſonen ſind befreyet; wann auch gleich das Parlament nicht beyſammen iſt / dahingegen die andere es nur in währender Zeit ſind / von allen Arreſten / es ſeye dann wegen Verrätherey / Untreue / öffentlichen Friedbruchs / Verachtung des Königs / oder daß ſie vom Parlament verurtheilet worden. Man kan kein ſupplicavit wider ſie verwilligen; noch Leibs-Verhafftung oder perſönliche Erſcheinungen für Gericht / wegen Schuld oder eines gemeinen Verbrechens: noch Erlaubnis wider einen Pair oder Gleichen in Königreich begehren: Im fall er ein Laſter der Verrätherey oder Untreue begangen / ſo kan man wider ihn für keinen andern Richter als den Gleichen des Königreichs rechtlich verfahren: Welche dann nicht verbunden ſind / einen Eyd abzulegen / wie die andere Richter / ſondern es iſt gnug / daß ſie bey ihren Ehren urtheilen.

In Bürgerlichen Proceſſen kan ſie kein Richter auf ſeinen Befehl vor Gericht laden / noch Nachforſchung thun / es wäre dann ein Proceß zwiſchen zweyen Pairen und Gleichen.

Im Fall ein Pair zu einem ſolchen Richter verwieſen würde / ſo hat er eine ſonderbahre Regul / die ihn deßwegen befreyet.

Es iſt kein Fall zu finden / worinnen ein Pair oder Gleicher Bürgſchafft leiſten müſte / niemand zu beleidigen.

Man kan ihn nicht zum ſchweren dringen / daß er den Frieden nicht brechen wolle / ſondern er verſpricht ſolches nur bey ſeinen Ehren / und man hielte dieſes vor ſo heilig / daß man es vor unzerbrächlich glaubte. Man kan kein Pair oder Gleichen auf die Folter ſpannen / die Warheit aus ihm zu bringen / wann es auch gleich wegen hoher Verrätherey

wäre.

wäre. Wann ein Pair zur Parlaments-Verſamlung beruffen wird/ und rechtmäſſige Urſachen beybringet/ daß er nicht erſcheinen kan/ ſo mag er einen andern an ſeinen Platz beſtellen/ der für ihn ſtimme und ſeine Meinung ſage/ welches die Abgeordnete in dem Unterhaus nicht thun können.

In den Commiſſionen/ die man ihnen aufträgt/ iſt ihnen erlaubet/ einen andern an ihre Stelle zu ernennen/ weil das Geſetz vermuthet/ es ſeye nothwendig/ daß ſie ſich bey dem König perſönlich einfinden.

Und ob wohl die Bürgerliche Geſetze und das gemeine Recht kein Zeugniß gelten laſſen/ es ſeye denn ſolches mit einem Eide bekräfftiget/ ſo iſt nichts deſtoweniger das Zeugniß eines Pairs oder Gleichen in Engelland/ ſo er bey ſeinen Ehren ohne Eidſchwur gegeben hat/ kräfft- und gültig.

Es war auch vor dieſem der Gebrauch/ wenn man ſie wegen der Treue ihrer Ritterſchafft examinirte/ daß man auf die Acten oder Schlüſſe an ſtatt des Eides ſetzte/ super honorem: Die Nachläſſigkeit aber etlicher Herren iſt Urſach geweſen/ daß man nachgehends dieſe Freyheit nicht allezeit hoch geachtet hat.

Man kan keinem Kläger vor Gericht einen einigen Gnaden-Tag verwilligen/ wo ein Pair oder Gleicher der Beklagte iſt/ und dieſes Vermög einer Satzung/ weil das Geſetz vermuthet/ daß ein Pair des Königreichs allezeit bey dem König zum Dienſte des Staats ſeyn müſte/ derohalben könne man ſeine Gegen-Part keinen längern/ als den gewöhnlichen Aufſchub geben/ ſondern man müſte ihm kurtze und gute Gerechtigkeit ertheilen.

Bey Eröffnung des Parlaments/ wann man von den Abgeordneten des Unterhauſes den Eid davon Supremacy oder Souverainität nimmet/ ſo fordert man ſolchen nicht von den Herren/ weil man vermuthet/ daß der König ſonſten ihrer Treu und Aufrichtigkeit gnugſam verſichert.

In allen Fällen/ wo andere der Geiſtlichen Freyheiten genieſſen können/ wie auch in vielen andern Fällen/ wo andere ſich dieſer Freyheit nicht mögen bedienen/ ſo werden alle Pairs oder Gleichen des Königreichs/ welche Stimm und Sitz im Parlament haben/ auf ihr Begehren/ nach der erſten Satzung Königs Eduards/ wie eine Geiſtliche überwieſene Perſon gerichtet/ wann er auch gleich nicht leſen könte/ ohne einige Schmach und Schande/ in die Hand gezeichnet/ und ſeine Güter confiſciret.

Der

Der Titul Lord gebühret allen Baronen in Engelland / und keinen andern Perſonen unter denſelbigen / wofern es nicht Biſchöffe oder Groß-Beamten von der Cron ſind.

Alle Freyherren in Engelland ſind befreyet vor den Sheriffs oder Schöffen / oder anderer Obrigkeit zu erſcheinen / den Eyd der Treue vor ihnen zu leiſten / wie die andere zu thun verbunden ſind.

Vermög der Engliſchen / wie auch der Reichs-Geſetzen / ſo können die Edelleute nicht auf die Folter geſpannet werden / in ſolchen Fällen / wie man mit den Un-Edlen verfähret / man hänget auch die Edelleute nicht / ſondern ſchläget ihnen den Kopff ab.

Es wird aber dieſes nicht allezeit beobachtet / ſondern wann einer untreue / oder ein ander gemeines Laſter begehet / ſo ordnet es der König bißweilen aus Gnaden anders.

Der Sherif oder Land-Richter kan in Streithändeln oder Unruhe / dichtigen Perſonen anbefehlen / aufzuſitzen / und ihm beyzuſtehen: Er kan ſolches aber keinem Pair oder Gleichen des Königreichs befehlen / ihm dieſen Dienſt zu leiſten.

Ein Baron von Parlament / welchem der König ſeine Schreiben / oder einen Bothen ſchicket / daß er im Parlament / oder im Rath / oder in der Cantzeley erſcheinen ſoll / der kan beym An- und Abzug in des Königs Wäldern oder Thier-Gärten ein oder zwey Stück Wild jagen und fällen.

In allen Bürgerlichen Proceſſen / wo ein Pair oder Gleicher des Königreichs entweder Kläger oder Beklagter iſt / ſo ſoll der Richter zum wenigſten einen Ritter hierzu beſtellen / dann ſonſten kan er die Anweiſung an ſeinen Richter begehren.

Die Geſetze in Engelland ſind ſo empfindlich / indem was die Ehr / Reputation und Anſehen eines Edelmanns betrifft / daß deswegen eine Satzung aufgerichtet worden / welche verbeut / daß man ihn durch falſches Anbringen nicht beleidigen ſoll / ſo ein Aergernüß ihrer Perſonen halber verurſachen möchte / oder einen Streit zwiſchen ihnen und dem Volck erwecken / dieweil es aber nicht nur den weltlichen Herren / ſondern auch den Biſchöffen und allen Groß-Beamten zum Schutz gereichet / ſo nennet man es ſcandalum Magnatum.

Die Gerichts-Bediente können in gewiſſen Fall in die Behauſung eines Pairs oder Gleichen nicht eingehen / nemlich darinnen verbottene Bücher zu ſuchen / oder wegen heimlicher Zuſammenkunfften Nachfor-

Digitized by Google

ſchung zu thun ꝛc. es geſchehe dann aus einem Schluß/ welchen der König und die ſechs Herren vom geheimen Rath/ worunter aufs wenigſte vier Gleiche des Königreichs ſeyn müſſen/ unterzeichnet hätten.

Ein Pair oder Gleicher kan des Kriegs wegen nicht geſchätzet werden/ es geſchehe denn zum wenigſten durch ſechs Perſonen von ſeiner Qualität.

Das Geſetz geſtattet allen denjenigen aus dem Volck oder Gemeine/ welche wegen Untreue/ Verrätherey oder eines andern gemeinen Laſters halben angeklaget worden/ daß ſie bis auf 30. Perſonen von ihren Richtern verwerffen können/ ohne Erkäntnüß der Sache; es geſtattet aber nicht/ daß ein Pair oder Gleicher des Königreichs/ einen einigen von ſeinen Richtern verwerffe/ noch ihn zu einem Eyd dringe; maſſen das Geſetz vermuthet/ daß/ weilen ſie alle Gleiche vom Königreich ſind/ und bey ihren Ehren richten/ man ſie keiner Falſchheit/ Gunſt oder Boßheit wegen in Verdacht haben könte.

Alle Pairs oder Gleiche vom Königreich/ haben die Freyheit/ eine gewiſſe Anzahl Cappelläne zu machen/ welche aus Zulaſſung des Ertz-Biſchoffs beſtätiget/ unter dem gröſſen Siegel von Engelland verſchiedene Pfründen/ nebenſt der Seelenſorge/ innen haben kan.

Solchem nach kan ein Hertzog ſechs/ ein Marggraf fünff/ ein Graf fünff/ ein Vice-Graf vier/ und ein Baron drey Capelläne machen.

Ein jeder Pair oder Gleicher vom Königreich kan ſechs Fremde unterhalten/ da ſonſten ein anderer nicht mehr/ weder vier unterhalten darff.

Kein Pair kan in contumaciam oder ſonſten verdammet werden/ ſondern ein Hertzog wird nur zu zehen Pfund Sterlin/ und die andern zu fünff Pfund verurtheilet. Nach der magna Charta ſoll dieſes vor den Pairs geſchehen/ es thun aber ſolches auch an ſtatt derſelbigen die Königliche Richter.

Und dieweil alle Gleichen vom Königreich erbliche und immerwährende Rathsherren des Königs im groſſen Parlaments Rath ſind/ wobey ſie ſich auf ihre Koſten einfinden müſſen/ ſo offt ſie der König hierzu erfodert/ dahero haben ſie die Freyheit/ daß ſie nichts zu den Unkoſten der untern Parlaments-Glieder herſchieſſen dörffen/ und man kan auch auf ihre Graf- und Herſchafften und andere Güter keine Beſchwerung deswegen legen.

Das Geſetz urtheilet/ daß die Güter der Gleichen oder Pairs alle-

zeit

Digitized by Google

zeit tüchtig ſeyn/ihre Schulden zu bezahlen / und die Schäden zu erſetzen/ derhalben muß man ſich an ihren Landen und Gütern erholen / ihre Perſonen aber darff man niemals arreſtiren oder in gefängliche Hafft nehmen/ weiln dieſelbige allezeit frey ſeyn ſollen / damit ſie immerdar dem König Dienſte leiſten mögen.

Die Pairs in Engelland haben noch viele andere Freyheiten: Als daß ſie von der Tranck- oder Wein-Steuer befreyet ſind / ein Graf vor 8. Tonnen/ und die andere Herren nach Proportion.

De Diſcrimine a Grandibus Hiſpaniæ & PARIBUS Galliæ ita porro differit: Jedoch hat gleichwohl der allerfürnehmſte Herr in Engelland / ich nehme auch den Sohn und Bruder des Königs ſelbſt nicht aus/einen ſolchen Vortheil nicht/als ein Spaniſcher Grand oder Groſſe/ daß er ſich in Gegenwart des Königs bedecken möchte / ausgenommen der einige Heinrich Ratoliffe/ Graf von Surrey / wie bereits oben vermeldet worden.

Der Adel in Engelland hat auch ſolche groſſe Freyheit nicht/wie der Frantzöſiſche / indem ſie die jenige Lande und Herrſchafften / die ſie vor ihren Händen haben / gantz frey und eigen beſitzen / welches ſie ihren König dergeſtalt verpflichtet/ und zu ſeinem Dienſt ſo tüchtig und geſchickt machet / daß / ob ſchon alda zum öfftern Aufruhren zu entſtehen pflegen/ ſie gleichwol nicht lang währen / und niemaln glücklich ablauffen: Da hingegen in Engelland der fürnehmſte Herr vom Königreich / hierinnen nicht mehr Freyheit hat/als der geringſte Handwercksmann / alſo daß man eine ſolche Vergeltung vor die geleiſtete oder noch künfftige Dienſte nicht zu hoffen hat. Ad imitationem PARIUM Franciæ, quos hac in re, veluti alias morum Gallicorum avidi fuere, imitari conati ſunt.

V. Similis eſt ſupremus Galliæ Titulus poſt agnationem Regiam, PARIATUS Franciæ, in concreto *PARIUM Franciæ*, *des PAIRS de France*, quos attigimus præced. *Diſſ. IV. c. I. §. VI.* eosdemque ut explicatius nunc proſequamur, præſentis inſtituti noſtri ratio exigit. Et primo quidem originem eorum ex Jure Feudali arceſſimus, ubi *PARES Curiæ*, aut *Curtis*, aut *Domus* dicuntur compares Vaſalli ſeu Convaſalli, qui ab eodem Patrono Feudum receperunt. *Feud. I. Tit. XI. XIIX. XXVI. Calvin. V. Pares.* Et veluti PARIUM ejusmodi munus erat, ut Domino ditiones ſuas occupanti aſſiſterent: Novorum Vaſallorũ cooptationis ſeu inveſtituræ arbitri eſſent: Ro-

gati de Inveſtiturâ teſtimonium dicerent. Feudalium cauſarum Judicia exercent. *Idem c. l.* Sic hi ſimili prorſus modo Regias Inaugurationes expediunt, & Conſiliarios Regios in Parliamento agunt, quod eâ propter etiam *Curia Parium* dicitur: *Leſquels ſemblablement aſſiſtent au Sacre & Courronnement du Roy: ſont Conſeillers en ſa Court de Parlement, qui pour ce eſt appellée* la Cour des Pairs. *Si bien qu' en un mot* les Pairs de France *ne ſont autre choſe, que* Tenants fiefs *du Royaume & dependans immediatement de la Couronne. L' Eſtat de la France de An. MDCLXI. L. II. P. II. c. IV.* Numero olim duodecim erant, ſex Eccleſiaſtici & totidem Laici, & in utroque ordine tres Duces ac tres Comites: Eccleſiaſtici, Archi-Epiſcopus & Dux Remorum, & Epiſcopi ac Duces, Laudunus, *(de Laon)* & Lingonenſis *(de Langres;)* Epiſcopi & Comites, Bellovacenſis *(de Beauvais,)* Noviodunenſis *(de Noyon,)* & Catalaunus *(de Chalons:)* Laici *Duces Burgundiæ, Normanniæ & Aquitaniæ;* ac *Tholoſatium, Campaniæ & Flandriæ Comites*, horumque munus erat, ut inaugurando Regi aſſiſterent, ſervitiaque commodarent. Sed cum progreſſu temporis, multiplicatisque Principibus Sanguinis, numerus hic duodenarius augmenta ſua paſſus fuit; ac veteribus iſtis alii non tantum acceſſere, ſed & cum veteres familiæ decederent, eoque bona ipſarum Coronæ reſtituerentur, alii ſucceſſere re ac nomine planè divertentes. Ac licet Eccleſiaſticis ſuus adhuc ordo integer ſit, cum ſacræ eorum dignitati PARIATUS annectatur, Laicos tamen hæc ſors involvit plus quam ſæpiſſimè. Sic Philippus Pulcher conſtituit Ducatum & PARIATUM Britanniæ; Johannes Ducatus & PARIATUS Aurelianenſem, Andegavenſem, & Avernienſem *(d' Orleans, Auvergne & Anjou)* Carolus VI. Nemurienſem & Alenzonium *(de Nemours & Alençon.)* Franciſcus I. *Vendoſme, Châtel eraud, Angouleſme, Dunois, Guyſe*, Henricus II. *Aumale & Montmorency.* Carolus IX. *Ponthievre, Mercoeur, Mayenne, Uſez.* Henricus III. *Eſpernon, Rethelois, Piney, Rais, Elbeuf, Joyenſe, Aluyn-Magnelay, Montbazon, Ventadour.* Henricus IV. *Beaufort, Thoüars, Aiguillon, Rohan, Suilly, Fronſac.* Ludovicus XIII. *Damville, Châteu-roux, Lesdiguieres, Luynes-Mayllè, Bellegarde, Chaune, Briſsac, Richelieu, La valette, La Rochefoucaut, Saint Simon.* Sub Ludovico XIV. literis Ducatus & PARIATUS inſtructæ ſunt ditiones de *Chaſteauvillain en Champagne, Châtillon ſur Loin, la Rocheguyon, & Treſmes.* Et quidem in favo-

favorem Dominorum, Nicolai *d' Hoſpital*, Domini de Vitry, & Mareſchalli Franciæ: Caſpari *de Coligny*, Domini de Chaſtillon & Mareſchalli Franciæ: Rogerii *du Pleſſis*, Domini de Liancourt & Præfecti Cubiculi: Renati Potier, Comitis de Treſmes Præfecti Prætorianorum. Item Comitatus de Gramont in Gratiam Domini Antonii de Gramont; Dominatus & Marchionatus *de Coeuvres* ſub nomine d' Eſtrées in gratiam Franciſci Hannibalis d' Eſtrées, Marchionis de Coeuvres & Mareſchalli Franciæ; Marchionatus *de Noirmoũtier* in gratiam Ludovici *de la Trimoüille* & alia loca, quibus recenſendis nunc ſuperſedebimus. Atque ex his etiam, quia veterum PARIATUUM nunc exſtinctorũ memoriam non plane obliteratam volunt, hodienum ſolennitate aliqua id exigente ſeliguntur, qui iſtos repræſentent. Quemadmodum tempore Inaugurationis Ludovici XIII. Ducem Burgundiæ repræſentavit Princeps Condæus, Ducem Normanniæ Princeps Contius, *(de Conty)* Ducem Aquitaniæ Princeps Sueſſio *(de Soiſſons)* Comitem Tholoſanum Princeps Nivernus *(de Nevers,)* Comitem Flandriæ Princeps Ellebovius *(d' Elbeuf)* Comitem Campaniæ Dux Eſpernonius. V. *Gramond. Hiſtor. Gall. L. 1.* Et inaugurando Sereniſſimo Dn. Ludovico XIV. aſtitere Dux Andium, *(Monſieur le Duc d' Anjou)* pro Burgundione; Vindocinus *(le Duc de Vendoſme)* pro Normanno; Ellebovius pro Aquitano; Candalenſis ſ. Eſpernonius pro Toloſano; Rotomagenſis *(le Duc de Roüanez)* pro Campano; Bornovillæus *(le Duc de Bournouville,)* pro Flandro. Horum quoque ornatus peculiaris eſt, & deſcribente Inaugurationem Ludovici XIV. Thuldeno ad A. M DC LIV. *Tunica argento filatim intexta ab humeris in genua accidebat. Eam tunicam violaceo imbutum colore, ac multo ſuperfuſum auro pallium tegebat. Corona capite geſtabatur, margaritis atque gemmis fulgida.* E privilegiis ipſorum recenſemus: (I) Quod ubi in Jus vocentur, quod non niſi in Parliamento Pariſienſi id fieri poteſt, duplici citatione opus ſit, una, qua ut PARES Franciæ citentur, altera, qua de ea diploma Regium mittatur ſeu ad Conſiliarium Parliamenti, ſeu Magiſtrum libellorum, Seneſchallum, Præfectum, aut vicarios eorum. (II) Quod pari cum Regibus ſuis jure a Papa excommunicari non poſſint. (III) Quod pauperes ad imitationem veterum decurialium, de quibus *L. 8. de Decurion.* a Rege ali debeant: (IV) Quod Conventus celebrare queant, ad quos à Præfectis ipſorum, & a Provocato demum appel-

 lecur

letur ad Parliamentum &c. *Spreng. Perſpicil. Chriſt. orb. Tit. de ſupremis Regnorum Titulis p. 45.* Iidem Juramentum & Regi & Parliamento præſtant, de litibus bona fide dirimendis, arcanis non revelandis, & debito honore habendo Regi. Sunt etiam PARIATUS, ut illi *de Nevers, Beaumont de Viconte, Mercoeur, Mayenne, Rhetelois, Joyeuſe, Elbeuf, Eſpernon, Aiguillon*, qui Maribus pariter ac Fœminis communes ſunt, & fœmina in PARIATU ejusmodi ſuccedens non minus ac vir aliquis vocatur PAR Franciæ, veluti hactenus fuit Domina *d' Aiguillon*, Duciſſa & PAR Franciæ. Et olim tempore Ludovici IX. Flandriæ Comitiſſa interfuit Judicio de Comitatu Clerimontano & Bellovacenſi inter Regem & Fratres ipſius Comites *de Poictiers & Anjou*; Item Machtildis Comitiſſa Arteſiæ tanquam Par interfuit Judicio Roberti Comitis Flandriæ. v. plura ap. *Haillan. l. infra c.* Hoc inſuper noſtro tempore peculiare habet hæc PARIATUS dignitas, ut Ducalem dignitatem fere ſecum trahat, quanquam antiquitus etiam Comitatus aliqui eo eveherentur, quales erant Comitatus & PARIATUS *de Poitou, de la Marche, d' Evreux, d' Artois, de Maſcon, de Foix, de Reaumont le Roger & d' Eu*, qui tamen omnes expirarunt, & ad Coronam rediere, ſolo poſtremo Comitatu *d' Eu* excepto, qui adhuc durat. Et deinde non omnes ea æque fruuntur, ſed aliquos recentiores licet Literis ac Diplomate Regio inſtructi ſint, Ratihabitionem Parliamenti ſubinde manere oportet. Cætera de hiſce talibus *vid. apud cit. Aut. de l' Eſtat de la France de A. MCLXI. lib. II. part. II. c. IV. & V. Du Haillan de l' Eſtat & ſuccez des affaires de France Lib. III. pag. 369. & ſeqq. Limn. Notit. Regn. Franc. L. II. c. XXV.*

VI. *Alia Galliæ Procerum Dignitas eſt illa de POUR, ſeu Avoir le POUR. Quæ quid importet, cognoſcere eſt ex L' Eſtat de la France L. II. P. II. c. III. p. 487. Il n' eſt accordé qu' aux Princes & grande Seigneurs. Ceux qui ont cette prerogative, ont droit, quand le Roy donne audiance aux Ambaſſadeurs, Agens, ou Envoyez de ſe couvrir, ſitoſt que le Roy à fait couvrir l' Ambaſſadeur. De pluſils entrent en Caroſſe au Louvre, & Leurs femmes ont le tabouret chez la Reine &c. L' Origine de ce mot, d' avoir le Pour, vient de ce que lorſque la Cour marche, les Mareſchaux & Fouriers des logis qui vont poſer la craye & marquer les Logis; quand ils marquent les Logis des petits Officiers & autres, ills y mettent ſimplement le nom: mais quand ils marquent le logement de ces Princes, ils y ajoutent le mot de POUR, & eſcrivent* Pour Monſieur--Tel &c.

VII. In

VII. In Hiſpaniâ GRANDES maximâ dignitate pollent, qui partes Conſilii Status habentur, hacque inter alia prærogativa gaudent, quod illis liceat præſente Rege, in Camera legere, & in capella pulvinari vulgò *Sobre el eſtrado*, inſidere. *Spreng. l. ante c.* Qua re & uxores eorum participant, ut à Regina honorificè ſalutentur, & juxta ſe in pulvinis ſedere jubeantur. *Lanſ. Orat, contra Hiſp. pag. 285.* His ob vocis affinitatem jungimus, Megiſtanes, Μεγιστᾶνες, ſ. Magnates veterum. Vid. *Eccleſ. c. VIII. v. X. & XI. VI. it. XX. XIX. & XXX.* Sic *Optimates* Perſarum Proceres vocat *Juſtin. Hiſt. lib. I.* Apud veteres Hiſpano-Gothos PROCERES dicebantur & in ſingulari *Procer.* Sic in Concil. Toletano Octavo ſubſcripſit *Dabila Comes & Procer*, & Euredus *Comes & Procer*, & Trolla *Comes & Procer.* Iſidor. Etym. L. IX. c. IV. *Proceres ſunt Principes Civium vel Civitatis: Quaſi procedes, quod ante omnes honore præcedant. Unde Capita trabium, quæ eminent extra parietes, proces dicuntur, eo quod primo procedant.* v. Pantin. *de Offic. Goth. in Tom. 11. Scr. Hiſp. de 200.* Peculiare etiam, Proceres Hiſpaniæ Titulo RICO HOMBRE, Homini Divitis, affici. Sic autor *de Regim. Princ. L. 111. c. ult. Apud Hiſpanos omnes ſub Rege Principes* Divites Homines *appellantur, & præcipue in Caſtella.* Rationem reddit *Gregor. Lopez ad L. X. Tit. XXV. de los Vaſallos Partid. IV. Hujus eſt ratio, quia Rex providet in Pecuniis ſingulis Baronibus ſecundum merita ſua, vel ſecundum Complacentiam, hos deprimit, illos exaltat. Ut plurimum enim munitiones & Juriſdictiones non habent, niſi ex Voluntate Regis & inde vocantur* Divites Homines, *quia cui in majori ſumma providetur, ille Major eſt Princeps; quia pluribus poteſt militibus providere.* Idem præ ſe fert Inſcriptio Diplomatis Regii ad Subditos A. MCCCXX. dati in *Guardiola de la Nobleza c. XL. Los Infantes & los Prelatos & los RICOS HOMES & los conceijos & las ordines & la Cancelleria del Regno de Caſtilla & de Leon & de Galizia &c.* Atque ipſum hoc nomen ſub Dignitatis Titulo aliquando collatum fuiſſe patet in Rege Caſtiliæ Petro, a quo Alonſo Fernandez Colonet Rico Hombre creatus fuit. Eſtque hoc ſimul notandum quod nomen hoc, ſi Dignitatis Index eſſe debeat, eodem ſitu etiam locatum eſſe requiratur; Nam ſi contrario poſitu appareat & *Hombre Rico* ſcribatur, non Dignitatem, ſed ſimpliciter Hominem Divitem notat. V. plur. in *Joſeph. de Seſſe Deciſ. Arag. I. §. XXXVI. &c. Ex Seld. T. of H. P. II. c. IV. n. VII.* Qui unus e pau-

paucis eſt, qui inter Scriptores Regnorum ac Statuum hujus Tituli mentionem faciat, cæteri enim vel parciſſime, vel plane non eum attingunt: Et accepiſſe quidem aliquid de eo videtur *Luc. de Lind. Deſcr. Hiſpan. p. 260.* dum Nobiliores Arragonenſes *Riccos* dictos fuiſſe ſcribit, veniſſeque eo nomine Duces & Marchiones. Sed immaturus ille Scriptoris ipſius fœtus eſt, eoque tanto minus mirari ſubit, quod toties res vel plane falſas vel mutilas ſaltim referat.

VIII. In Imperio Romano veteri complexus Dignitatum harum exprimebatur adjectivis titulis *Illuſtrium, Spectabilium, Clariſſimorum, Perfectiſſimorum, Egregiorum.* ILLUSTRES ſeu veluti Charactere Compendioſo ſcribebantur, V. I. & V. INL. vocabantur (1) Præfecti Prætorio, *L. IV. C. de modo mulct.* quos & aliis magnificentiſſimis titulis ornabant, ut *Glorioſiſſimi τῦ ἐνδοξοτάτυ,* Vid. paſſim *Novellas* & in Abſtracto, *τὴν σὴν ἐνδοξότητα, Tuam Gloriam Nov. XCIII.* 1. Magnifici *L. III. Cod. de Off. PP. Africæ*; Celſitudinis quoque titulo honorabantur *L. ult. C. de Numerariis*, & Sublimitatis *L. VII. C. eod.* & *L. ult. C. de Fabricenſibus.* Amplitudinis *L. III. C. de diverſis Officiis.* (2) Præfectus urbis Conſtantinopolis. (3) Magiſtri militum. (4) Præpoſiti Sacri Cubiculi, h qui cuſtodiebant cubiculum Principis vel Auguſtæ. vid. *C. de Præpoſ. ſacr. cubic.* (5) Magiſter Officiorum, h. ad quem cura totius Palatii ſpectabat, & apud quem aulici forum ſortiebantur. *C. de Quæſtoribus* &c. (6) Quæſtor Palatii, per quem primo Principes minores dignitates largiebantur, & in ſenatu Orationes, Epiſtolæ ac libelli Principis recitabantur, poſtmodo vero ad preces reſpondit, leges dictitavit, unde a Symmacho dictus fuit Precum arbiter, ſecutis temporibus Μέγας Λογοθέτης, noviſſime Cancellarius. (7) Comes largitionum h. Præfectus Theſaurorum Principis (8) Comes rerum privatarum, h. Procurator rei privatæ ſeu Patrimonii, de quibus vid. *C. de Offic. Com. Sacr. larg. & de Off. Com. rer. priv.* (9) Comes domeſticorum Equitum (10) Comes domeſticorum peditum. Et denique (11) Omnes, qui Conſiſtoriana Comitiva dignitate fruebantur, ſeu membra Senatus Auguſti erant, ea enim fieri non poterant, niſi aliquo iſtorum munerum prius functi eſſent. Vid. *L. III. C. de Conſt. & non Sparg. ab his pecun.* Horumque privilegia erant I. Ut per ſe ipſos lites civiles, aut criminalem injuriarum actionem exercere non poſſent, ſed per Procuratores id agerent, indignum enim videbatur, ſpecioſas perſonas cum inferioribus cau-

cauſam dicendo ante Judices ſtare. II. Habebant & hoc præcipuum,
ut rei criminum facti, a nullo quam a Principe vel eo, cui Princeps
cauſam delegaſſet, poſſent judicari. Quo tempore etſi præſentes
eſſent, cum Judicibus tamen in inferiori auditorii parte ſedebant, ne
litigantium more ſtare cogerentur. Vid. *L. III. C. Ubi ſenatores.* Cu-
jusmodi mos etiam inter Pares Angliæ & Franciæ adhuc viget.
III. Turpibus Lucris ipſos abſtinere oportebat, nec ultra trientem
uſurarum capere. *L. Eos XXVI. §. 1. C. de Uſuris.* IV. Aliquando et-
iam nec vilem uxorem ipſis ducere permiſſum erat. *L. 1. C. de natu-
ralibus liberis. Conf. C. de Privil. Illuſtrium.* Qualiter Titulus hic recen-
tioribus Principibus tribui ſolitus ſit. vid. *præc. Diſſ. I. c. IV. §. VII.*

IX. SPECTABILES, compendioſe ſcripti V. S. hi erant
(1) Primicerius cubiculi, qui poſt Præpoſitum Sacri Cubiculi, Cubi-
culariis præerat, qui Principis Perſonâ curabant, eam veſtiebant &c.
Ac *Decani* vocabantur, eorumque primus *Decanus* iſte Primicerius,
unde *Spectabilitatis* nomen in hodiernos *Decanos* Academicos forte
fluxit. (2) Caſtrenſis Palatii h. qui miniſtris Principis extra cubicu-
lum in Palatio præerat, (3) Primicerius Notariorum ſeu Proto-No-
tarius. (4) Magiſtri Scriniorum quatuor. (5) Ex Magiſtratibus Ci-
vilibus Provinciarum Proconſules, quales Proconſules Aſiæ & Acha-
jæ, liberrimo Jure omnia adminiſtrantes. (6) Comes Orientis in ſpe-
cie ſic dictæ, h. Palæſtinæ, Syriæ, Arabiæ, &c. (7) Præfectus Auguſta-
lis. (8) Vicarii quinq; Aſianæ, Ponticæ, Thraciæ, Macedoniæ, Da-
ciæ. (9) Comites rei militaris. (10) Duces.

X. CLARISSIMORUM notæ erant V. C. illique alio nomine
Speciosi audiebant, & pertinebant iſthuc viri Conſulares, qui medias
Provincias regebant, quales Conſulares Syriæ, Ciliciæ, Cypri &c.
Item Correctores, quales Rectores Paphlagoniæ, Auguſtanicæ &c.
tum Præſides, h. minorum Provinciarum adminiſtratores, quales
erant Præſides Palæſtinæ Salutaris, Paleſtinæ Secundæ, Meſopota-
miæ &c. PERFECTISSIMI poſt ſenatorium ordinem proximi Equi-
tibus adhuc Digniores habebantur, unde Valentinianus Impera-
tor ſanxit *L. 1. C. de Equeſtri dignitate. Equites Romanos Secundum
gradum poſt Clariſſimatus dignitatem obtinere jubemus.* Scribebantur
V. P. Vid. *L. XIIX. & XIX. C. de Pœnis.* In Abſtracto *Gravitas Tua.*
Vocabantur ita Præfecti minimarum Provinciarum, quales Præ-
ſes Arabiæ & Dalmatiæ, deinde Rationales, h. qui Comiti rerum

privatarum ſubordinati prædia Principum adminiſtrabant, tum Scriniorum Officiarii & Magiſter cenſus, & Privilegium habebant, ne vel ipſi vel eorum liberi usq; ad Pronepotes criminis cauſâ torqueri poſſent, nec plebejorum pœnis ſubjici. *vid. Lib. XI. C. de Quæſtionibus.* EGREGII ſalutabantur potiſſimum Scriniarii Principis, h. qui Scrinia iisque contenta mandata, epiſtolas &c. in Archivis tractabant, quibus interpretes Juris etiam annumerant Sacerdotes, Advocatos Fiſci, vel Reipublicæ, Auditores Sacri Palatii, Romæ Doctores & Equites auratos; Et Academici Oxonienſes in Anglia, Magiſtros Procuratores Academiæ ita hodienum vocant. Vid. plur. *Panciroll. Notic. Utr. Imp. P. I. c. II. III. & IV. Felden. in Element. Jur.* Cujus tamen inter alia hæc ſunt *ἁμαρτήματα*, quod Equites ante *Perfectiſſimos* collocet, & *Egregios* plane prætereat.

XI. Primam Originem omnium & ſingularum Dignitatum harum ſi quæramus, ab arbitrio ſupremi Magiſtratus ſeu Majeſtatis tanquam fonte univerſali derivanda erit, quippe *qua jubente Dignitates ſuſtinentur. L. V. C. de Dignit.* Quanquam deinde ſæpius factum fuerit, ut ipſis iis Majeſtatis Jura acceſſerint, quod in ſqq. ſatis patebit. An multiplicatio earum Reip. aut Majeſtati expediat, expoſuimus, *med. Polit. Diſſ. XVI. §. V.* Hic reſpondendum ducimus; Dignitatum Collationem in beneficii loco pro opera poſita habendam eſſe, ac proinde nemini, ſi merita ejus id requirant, aditum ad eas præcludi poſſe; Sed ſi idem Statu dignitati congruo poſtmodo vivere poſſit: Qui ſi abſit, aut Fortuna virtuti, ac Dignitati non reſpondeat, contemtus notam vix effugere poterit: Quod & vulgari proverbio jamdudum innotuit: *Principem ſine Principatu eſſe, velut Canonicum ſine Præbenda.* Principi vero tunc maxime conducet, ſi alios jam tum in ditione ſua taliter ornatos inveniat, quamdiu enim pauci ſunt, majori autoritate pollent, quæ ſenſim intercidit, ſi vulgus alios etiam eadem inſtrui ſentit. Quo principio Jacobus Rex Angliæ feliciter uſus fuit, veteresque Proceres ſuos ita ſenſim fregit, ac obedientiores reddidit. Vel etiā ut tanto plures ſibi addictos habeat: Quam rationem de Glor. Imp. Ferdinando II. allegant, cur novos Principes in Imperio creaverit. V. *Burgold. P. I. Diſc. XX. n. XXXIX.* Ut tranſeamus, inde augmentum gloriæ Majeſtatis ſumi: *Quanto enim quilibet præeſt melioribus, tanto major ipſe & honeſtior eſt. Novell. XV. princ.* Unde & de Electoribus enunciat Imp. Carolus IV.

A. B.

Digitized by Google

A. B. Tit. V. Horum præſidio Dextra Imperialis Potentiæ roboratur. Contra ſi ingenia ſubditorum turbulentiora ſint, metuanturque invaleſcere Dignitatum harum participes, ſatius cenſent Politici, ſi parcius diſtribuantur, cum illi fere intractabiles fiant, & ipſos autores ſuos iniquius proſequantur. Ideo Hiſpaniæ Rex Philippus II. dicere ſolitus fuit: Satius eſſe ſervitia fideliter præſtita quocunque æquivalente compenſare, quam nimia dignitatis collatione. Vid. *Pierre Matthieu Hiſtor. Henr. IV. L. IV. Narrat. III. n. VIII.* Et Auguſtus Imp. edoctus, Cæſarum multitudinem pernicioſam eſſe, Cæſarionem, qui ſe a Cæſare & Cleopatra conceptum eſſe jactitabat, interfici curabat. *Sueton. Auguſt. c. XVII.* V. plur. *Muller. Archolog. c. XI.* Similis quæſtio eſt, an ſi rerum aliquid Dignitatibus hiſce adhæreat, è re ſit eas perpetuo & hereditario jure concedi? Et in ſpecie, an Ottones reliquique Impp. Germanico-Romani bene egerint, quod viris de Imperio bene Meritis Ducatus & Comitatus hereditatio jure contulerint? Reſp. A. I. Quia æquum erat, ut de locis ipſorum ſanguine partis certa loca quoque eis perpetuò concederentur. II. Munificentia hâc ipſos multò promtiores reddebant, dum partis bonis etiam filios olim gaviſuros videbant. III. Eo ipſo ſecuritati Imperii cautum fuit, dum Provincias ſuas tanquam proprias ab Exteris defenderunt Proceres, quibus vel ſequius alias proſpexiſſent, vel ingraveſcente periculo curam eorum planè abjeciſſent. Quæ & ſeu fuſius diducit *Müller. cit. Archolog. c. XI. N. V. & ſeqq.* Conf. *med. Polit. Diſſ. XVI. §. 4.*

CAPUT II.

Ducatus: Ducum Synonyma & varia ſignificata: Dux Genuenſium: Ducum Deſcriptio: Initia Progreſſus: Tituli: Inſignia: Eoſdem creandi & inveſtiendi modus.

I.

SEd ad Duces nunc veniendum eſt, & DUCES hic nobis erunt Perſonæ Illuſtres a Regia dignitate proximæ, reliquisque Magnatibus ſuperiores. Vox a ducendo eſt, quia primi DUCES militiæ ducendæ præerant. Et Græci mediorum ſeculorum, quod commodius nomen non haberent, itidem Δοὺξ, Δοῦκα & c. dixerunt, τῶν λεγομένων Δουκῶν, *Zoſ. L. II. Hiſtor. V. Meurs. Gloſſar.* & alios paſſim. Germani Hertzog / unde Belgarum Hartogh & Suedorum

rum Hertzog/Etymologia priori plane ſimili ab exercitu atque expeditione militari, cui præfectus inde appellationem accepit. Conf. *Loccen. Ant. Sv. L. II. c. III. Linn. J. P. L. IV. toto c. III. De origine & ſignificatu vocis DUX, ſive Hertzog.* Unde & Boſniæ ſeu Boſenæ Superiori, quod a DUCE teneretur, corruptum nomen *Herzegh, Orzegæ & Herzegovinæ* à Scriptoribus Græcis & Latinis mediorum ſeculorum tributum. Vid. *Leuncl. Pandect. Turc. c. XCV.* Cætera nominis DUCIS ſignificata ſunt: ut denotet I. *Autorem quemcunque rei: Iis præſtigiis Dux fuit uxor. Plaut. in Caſ. Dux fœmina facti. Virgil. 1. Æneid.* Quo Symbolo & Angli in numis ſuis memorialibus de victa ſub Elizabetha claſſe Invincibili triumpharunt. II. Militiæ Præfectum, & illum quidem vel ſupremum: ut, *ap. Liv. l. IX. Jam primum ut ordiar ab DUCIBUS comparandis; haut equidem abnuo, egregium DUCEM fuiſſe Alexandrum.* Vel inferiorem, cui pars Imperii ab altero ſuperiori mandata eſt, quemadmodum a Cæſare ſæpe Duces appellantur, qui Legati ipſius erant; ſic *Labienus* inquit ap. *Cæſar. l. VI. de bello Gall.* Præſtate eandem nobis DUCIBUS virtutem, quam ſæpenumero Imperatori præſtitiſtis. Quo trahunt verba in *L. Conventionum V. ff. de pactis*: Publica conventio eſt, quæ fit per Pacem, quoties inter ſe DUCES belli quædam paciſcuntur. Veneruntque hoc ſenſu accipiendi veteres DUCES Germaniæ, quos deſcribit *Tacit. de moribus Germ.* Reges ex Nobilitate, DUCES ex virtute ſumunt, nec Regibus infinita aut libera poteſtas, & DUCES exemplo potius quam Imperio, ſi prompti, ſi conſpicui, ſi ante aciem agant, admiratione præſunt. III. Eos qui Prætores agebant in Re militari. Quemadmodum de temporibus Conſtantini M. ſcribit *Zoſimus. Hiſt. L. II.* Præfuiſſe ubique locorum militum rebus non modo centuriones & Tribunos, verum etiam DUCES τῶν λεγομένων Δυκῶν, οἱ ϛρατηγῶν ἐν ἑκάϛῳ τόπῳ τάξιν ἐπεῖχον: *Sic appellabantur, qui quolibet in loco Prætorum vicem obtinebant*; Et *Spartianus in Peſcennio* Commodi Epiſtolam his verbis recitat: *Peſcennium fortem virum novi, ei etiam tribunatus duos dedi, DUCATUM mox dabo.* IV to & noſtro ſignificatui affini ſenſu DUCES erant, quibus Rex aut Populus Regionis alicujus adminiſtrandæ poteſtatem dederat: Sic Limitum præfecti DUCES dicti ſunt, ut ap. *Vopiſc. in Aurelian. Aſſidentibus Æmilio Saturnino Scythici Limitis Duce, Murentio ad Ægyptum deſtinato, Julio Triphone Orientalis Limitis Duce, Ulpio Crinito Illyri-*

ciani

ciani Limitis & Tracii & Fulvio Bojo Duce Rhetici Limitis; Ac mox aliarum quoque Provinciarum Adminiſtratores: Quo ſenſu accipimus verba Taciti *L. IIX. Petuntur ad Supplicium Aſiaticus, Flavius & Ruffinus DUCES Galliarum, quod pro vindice bellaſſent.* Et in legibus Bajoaricis *Tit. XIII. c. II. Si quis contra DUCEM ſuum, quem Rex ordinavit in Provincia illa, aut Populus elegit DUCEM, de morte ejus Conſiliatus fuerit.* Vid. plur. *Calv. V. Duces.*

II. Apud Genuenſes DUCIS Titulus nomen Officii eſt, denotatque ſummum caput ſeu Præſidem Senatus, qui & titulum gerit, ac honores non alienos a dignitate tali, publicas ædes quoque *Palatium* dictas inhabitat, ſtipatus inſuper quingentis Germanis Satellitibus; Sed primis duobus ab initio Magiſtratu diebus tantum Ducalibus utitur veſtibus & ornamentis, toto vero reliquo tempore deinceps privati in modum veſtitur: Imperium deinde duos annos ſolum tenet, poſtmodo Reip. Procurator perpetuus futurus, & interjecto tempore, quæ ad Senatum ſeu Conſilium referenda, & ad deliberandum proponenda ſunt, ipſe refert & proponit, quod nemini reliquorum Senatorum licet. V. plur. *Philip. Honor. Pr. Prud. Polit. part. I. pag. 616.* Adde *Limn. L. IV. c. III. n. XX.*

III. Abſtractum eſt DUCATUS, iisdem ſignificatis, quibus Ducis Nomen obnoxium. Sic imperium Militare denotat ap. *Sueton. in Neron. Privignum Ruffum Criſpinum Poppæa natum impuberem adhuc, quia ferebatur Ducatus & Imperia ludere mergendum mari, dum piſcaretur, ſervis ipſius demandavit.* Sic Capitolinus in Maximino. *Quid inquid, tantum lobores, cum ejus loci jam ſis, ut DUCATUM poſſis accipere.* Deinde Præfecturæ limitaneæ ita vocantur. *L. De Ducian. Judic. XXXIIX. C. de Appellationibus.* Denique in genere Regionem, cui Dux dominatur. *Clav. V. Ducatus.* DUCIANUM Judicium vocatur ipſius DUCIS ſententia. *L. ante c.*

IV. Ad Definitionem DUCALIS Dignitatis monendum eſt, eam æque ac ſequentes vix alio, quam Graduum diſcrimine exprimi poſſe: Qua obſervatione inprimis opus eſſe remur, neglectus ejus enim tot inutilibus hanc rem implicuit conceptibus. A DUCATU DUCES denominandi eſſent juxta *C. Unic. Quis dic. Dux Qui a Principe de Ducatu aliquo inveſtitus eſt, DUX ſolito more vocatur.* Sed quid DUCATUS ſit, tunc æque ignorabitur; Et *Ducatum* cum *Reinking. c. LI. c. IV. c. XII.* & aliis dicere Provinciam ex tot Civitatibus,

bus, Præfecturis, Villis conſtantem, quæ *Ducatum* faciant &c. erit obſcurum per æque obſcurum reddere. Fuit quidem etiam mediis ſeculis, cum Duces dicerentur, quibus duodecim Comites ſuberant, ut ap. *Aimoin. L. IV. de Geſt. Franc. c. LXI. Taſſilonem in Ducatum reſtituit: Grifonem more DUCUM duodecim Comitatibus donavit.* Alioque iterum tempore DUCES dicebantur, qui quatuor Comitatus ſub ſe habebant, veluti etiam Comites, qui quatuor Baroniis, Barones, qui quatuor feudis inſtructi erant. Sed hoc ſignificatum jam pridem expiravit, & proinde ad rem parum faciet. Non nihil itaque erit, ſi eos a Regia dignitate proximos, cæteris Magnatibus præſtantiores dixerimus cum *Joh. Parlador. Rer. quotid. l. 11. c. XIII. n. 1.* Et ex eo *Reinking de R. S. & E. l. I. & IV. c. XII.* Sic enim ipſis Fratres Regii in Anglia, Gallia &c. DUCES appellantur, ut DUCES Aurelianenſes Andegavenſes &c. DUCES Eboracenſes, Glocestrienſes &c. Quia enim Dignitatum iſti quaſi varii gradus ſunt, comparationem hanc Deſcriptionis loco facile admittent. Ac licet in Imperio Germanico-Romano Ser[mi] Electores noſtri, & extra Imperium Primogeniti Regum, ut Princeps Walliæ, Aſturiarum, Delphinus, DUCIBUS majores ſint, utroſque tamen qualitate Regia hos futura, illos præſenti, ſed nomen oblevante inſtructos eſſe cogitandum eſt, DUCESQUE ipſos ſequi non alia de cauſa, quam quia Dignitatem Regiæ æqualem gerunt, & tantum non ipſi Reges ſunt.

V. Originem hujus Dignitatis a milititiæ ductu arceſſendam concatenati ſignificatus vocis docere potuerunt, *§. præc. 1.* adeo ut qui primum militiæ præerant, poſtmodo manentibus iisdem vocabulis Præfecturas & Provincias tum militari tum Pacis tempore administrandas acciperent, & illas quidem primo ad dies vitæ, tum tanquam hereditarias; Demum vero Officia hæc ſua in Dignitates transmutarent, & idem nomen Ducis nihilo deterius retinerent, atq; ad alias Nationes extra Imperium emitterent. Nec ambigui hic quicquam, niſi quod de te tempore moveri poteſt, quo primum Ducatus hi hereditarii eſſe cœperint? Reſp. Etiam hic graduum quædam augmenta indies viſa fuiſſe; Et cum primum Officia Ambulatoria eſſent, poſt perpetua, perſonalia tamen, reddita, & tandem in hereditarias Dignitates abiiſſe. Sic Loca, quorum DUces erant, cum primo publicarentur ac diſtraherentur *L. Si Captiv. ff. de Capt. & poſtlim. reverſ.* ceſſiſſe Ducibus & Limitaneis Militibus, ut alerentur inde, aſſi-

aſſignata fuere, quod de Alexandro tradit *Lamprid. in Vit. ejus*: *Quæ de hoſtibus capta ſunt limitaneis Ducibus & militibus donavit, ita ut eorum eſſent, ſi heredes eorum militaſſent, ne unquam ad privatos pertinerent, dicens, attentius eos militaturos, ſi etiam ſua rura defenderent. Addidit his & animalia & Servos, ut poſſent colere, quod acceperant, ne per inopiam hominum vel Senectatem poſſidentium deſererentur.* Idemque poſtmodum ſecuti Theodoſ. & Valentin. Impp. ſanxere, ne Agri tales a privatis teneri, neve præſcribi poſſent, vel ullo tributo onerari. *Agros limitaneos univerſos cum paludibus omnique Jure, quos ex priſca Diſpoſitione limitanei milites ab omni munere vacuos ipſi curare, pro ſuo compendio atque arare conſueverant, & ſi in præſenti colantur, ab his firmiter ac ſine alio concuſſionis gravamine detineri, & ſi ab aliis poſſidentur, cujuslibet ſpatii temporis præſcriptione ceſſante, ab univerſis detentatoribus vindicandos, iisdem militibus ſine ullo prorſus, ſicut antiquitus ſtatutum eſt, collationis onere volumus aſſignari &c. L. III. C. de Fund. Limitroph.* Qui fundi & ideo *Limitrophi* appellati ſunt, quod alendis militibus deſtinati eſſent. Similiter præda in Germania Trans-Rhenana, veteranis in præmia aſſignata docet *Paulus JCtus L. Lucius. XI. ff. de Eviction.* Perpetuitatem deinde officiis ejusmodi adjecere, quod de temporibus Juſtiniani perhibet *Procop. L. III. de Ædif. Juſtin. Locum, inquit, nomine Artales muro munitiſſimo cingens, Præſidiumque inexpugnabile ibi ordinavit, militaresque conſtituit cohortes, quibus Principes perpetuo futurum definivit, quem Romani DUCEM Latina voce appellant.* Atque ſic tandem in Dignitates hereditarias abiere, quarum præludia jam ſub Carolo M. in Comitatibus facta ſunt, quos Comites Waldecciæ & Gleichenſes hereditario jure acceperunt. V. *ſeq. Diſſ. IX. de Comitibus.* Complementum vero additum fuit a Conrado, & Ottonibus, e quibus Conradus Henricum Aucupem, A. DCCCCXIII. Ducatu Saxoniæ hereditario & Feudali Jure habendo donavit, quem & primum talium DUCUM eſſe volunt Scriptorum aliqui; Otto I. deinde majori Numero eosdem creavit, ut Geronem Comitem ſeu Præſidem Luſiskorum DUCEM Luſatiæ, Conradum Francum DUCEM Lotharingiæ &c. V. prolixius hac de re agentem *Muller. Archolog. c. IIX. & IX.*

§. VI. Talia itaque fuerunt DUCUM initia & progreſſus in Imperio noſtro: Unde ad alias nationes iidem poſtea emanarunt, quanquam non apud omnes eodem loco habiti, aut privilegiis ac Poteſta-

te

te eadem inſtructi. Quod ſq. Capite plenius videre licebit. In Scotiam eos intuliſſe dicitur Robertus III. circa An. M CCCC. Angliæ Duces Saxonico Seculo plurimi erant, itidem *Heretoga* dicti, ſed qui ſimpliciter & ſine loci alicujus adjectione in Chartis antiquis concipiuntur, ut proinde & illi tunc Officiarii tantum fuiſſe videantur. Normannico vero tempore, cum ipſi Normannici Reges Normanniæ DUCES eſſent, longo tempore neminem eo honore ornarunt, donec Edwardus III. Edwardum filium ſuum Cornwaliæ DUCEM crearet. Ex quo tempore frequentius creati ſunt, hodieque retinentur. *Camden. Britann. Tit. de Ordinibus Angliæ p.m.* 101. De Origine ac progreſſu Ducum Galliæ loquitur *Du Haillan de l' Eſtat des Affair. de France L.* 1. *p.* 109. *Quelques uns des plus fins d' entr' eux* (Gubernatores Regni intelligit) *voyans, que Hues de Maire du Palais s' eſtoit fait Roy, firent de meſme en leurs Gouvernemens, s' en faiſans Seigneurs; DUCS & Comtes preprietaires au lieu que paravant ils n' eſtoyent, que Gouverneurs; aſſavoir les DUCS Gouverneurs des Provinces, & les Comtes Gouverneurs des Villes; Eſtant lors le nom de Duc & Comte Dignite a temps, non hereditaire, & rendirent leurs Eſtats hereditaires a leur poſterite, a l' imitation de Hues.* Confer *L. III. p.* 385. Et qualiter in Titulares poſtmodo abierint Cap. ſeq. trademus.

VII. Titulis vero nunquam non fulſere ſplendidiſſimis; & antiqui quidem Duces communiter *Spectabiles* vocabantur. *V. L. de Ducian. Judic. XXXIIX. C. de Appellat. L. Viros IIX. C. de diverſis offic. L. II. §. Ea vero C. de Off. P. P. Africæ.* Quanquam & *Clariſſimos* vocatos fuiſſe *L. ead.* videre ſit. In abſtracto a Principibus ſalutabantur, *Experientia tua*, aut *Laudabilitas.* Sic Arcadius & Honorius Ariſtheum Arabiæ Ducem appellant in *L. XXVI. C. Th. de curſ. publ.* vel *Gravitas veſtra L. IV. C. Th. de cohortalib.* Innocentius III. Duci Carinthiæ ſcribens ait, *Nobilitas tua c. Venerabilem de elect. V. Panciroll. l. ante cit.* Hos deinde ſuccedenti tempore cum *Illuſtris & Illuſtriſſimi* nomine commutarunt, ac noſtro demum tempore ii, qui Imperio ſimul abſolutiori fulgent, *Sereniſſimi* dici voluerunt, quanquam & DUCI Monmuthenſi Filio Naturali Regis Angliæ eam aliquoties tributum fuiſſe meminimus. Et Veneti etiam DUCEM ſuum titulo *Sereniſſimi ac Celſiſſimi* dignantur. Vid. *Initia Reſponſorum Marci Antonii Peregrini & Joach. Schayni pro Decretis Reip. Ve-*

net.æ & alios paſſim. Confer, quæ de communi indole hujus Tituli diximus *Diſſ. I. c. IV. §. VI.* In Anglia alias Idiomate vernaculo inſcribuntur: *The right noble*, h. vere Nobiles. Singularis reverentiæ Ducum noſtrorum apud exteros Principes ſpecimen eſt, quod in literis Regis Perſiæ ad Sereniſſimum DUCEM Holſatiæ de A. M DC XXXIX. occurrit: Dem Großmächtigen und durch GOttes Gnade ſehr reichem / ſanfftmütigem / gnädigem / und Aller-Chriſtlichen Fürſten fürnehmſtem / gütigem / und derſelben Lande höchſtem / der dem König Tſchimſchid (deſſen Haupt wie die Sonne glänzet) gleich iſt / in Holſtein regierendem Herrn. V. *Theatr. Europ. ad A. M DC XXXIX.* & ex eo *Burgold. P. I, Diſc. X. n. XIIX.*

VIII. Inſignia & Ornamenta veterum DUCUM quadantenus Vopiſcus in Aureliano deſcribit: *Cape*, ait, *tunicas Ducales rufas quatuor, item balteum argenteum, aut inauratum, annulum bigemmem, brachialem torquem, caſſidem inauratam, ſcutum auro illitum, fibulam auream, latum clavum, tunicam purpuream.* Vid. plur. *Panciroll. l. ſæpius c.* Quibus noſtro tempore fere ſucceſſerunt Ducales pilei ſeu mitræ, Quarum crebra mentio fit in inveſtiturarum Hiſtoriis, Quales V. ap. *Goldaſt. Pol. Imp. P. VI.* Ac Venetorum Ducis *Galerus Ducalis Pyropo fulgentiſſimo conſpicuus, & longiuscule acuminatus, & in tempora modice flexilis* deſcribitur a *Thulden. ad Anno M DC LVI. pag. 245.* Confer *ſeq. c. III. §. VI.* Litui item & Baculi Ducatus Inſignia habentur. Vid. *eund. Thuld. ad A. M DC. LIV.* de Sepultura Bogislai Ultimi Ducis Pomeraniæ *p. 196.* In Armis Gentilitiis ipſorum potiſſima nota Inſignis in Corona aliqua Armorum apparatui impoſita nunc conſpicua eſt, quam rotundam, non erectam, nec aſcendentem, tanquam Zonam circumdantem pileum deſcribit *Chaſſan. de Glor. mund. part. 1. Concl. IX. Limn. l. IV. c. III. n. XXXIII.* Et Johanni Auſtriaco defuncto, tanquam DUCI Burgundiæ ideo additam capiti Coronam ſcribit *Strad. Decad. 1. L. X. ad An. M D LXXIIX. Uti veteres Principes Burgundicæ domus tumulari conſueverant.* Quanquam alii, quod oblatum Hiberniæ Regnum a plerisque Nobilium, aſſentiente Romano Pontifice, ipſe inconſulto Philippo Rege admittere diſtuliſſet, idcirco illa Regni ſpecie donatam ejus modeſtiam opinati ſunt. *Id. Ib.* In Gallia Coronas Ducales foliis quercus cum ſubtus poſitis Adamantum ornatibus inſigniunt. *Spreng. F. J. P. c. XXVI.* In Anglia Coronas crucibus & floribus

 diſtin-

diſtinguunt. Qui tamen lilia eſſe prohibentur, cujus rationem reddemus *Diſſ. ſeq. §. de Inſignibus Principum Sanguinis.*

IIX. His jungimus affinem Inaugurationum & Inveſtiturarum Ducalium materiem, qualis eſt apud DUCES Venetos, ut poſt electionem in Palatium DUCIS portentur; tunc pridie Inaugurationis in ampliſſimam Concilii Magni aulam ducti ab univerſa Nobilitate Veneta conſalutentur, honoribusque & congratulationibus primum excipiantur, deinde ab exterorum Legatis Regum atque Principum adeantur: Inaugurali die in D. Marci Eccleſiam deportentur, ubi celebrata Miſſa, cantatoque gratiarum carmine ſtantes oratione Populorum alloquantur, poſtmodo ex Eccleſia per Campum D. Marci deferantur, ſparſis Nummis aureis argenteisque in vulgus obvium. Denique per gradus in ſaxi ejus mediocrem eminentiam, quod *Scalas Gigantum* nominant, aſcendant, Galerum Ducalem ibi induant, & ſic in Palatium revertantur, ſequente Euphonia clariſſima. Vid. *Thulden. ante c. lib. VI. ad A. MDCLVI.* & Inaugurationem *Bertuccii Valerii* Venetorum Ducis. Angliæ DUCES creabantur *per cincturam Gladii, Cappæque & Circuli Aurei (A Coronet) in Capite impoſitionem*, quemadmodum ex ipſa Creationis Formula loquitur *Camden. ante cit. Britan. p. 102.* De erectione Borſi Marchionis Ferrarienſis in DUCEM facta Ferrariæ a Friderico III. Imp. An. MCCCCLII. agit *Modius ap. Goldaſt. P. VI. Polit. Imp.* Borſum indutum tunica ex auro textili, gemmisque ornato pileo Imperatorem adiiſſe, prælatisque ſtricto enſe & vexillis tribus ante eum in genua procubuiſſe, Imperatorem deinde erectum juxta ſe conſidere juſſiſſe, indeque mandaſſe, ut tunica indueretur rubra ſegmentata, muſtelis alpinis duplicata; Ita veſtito Imperatorem exſertum gladium in manus dediſſe, eoque ſymbolo DUCEM declaraſſe. Adde Deſcriptionem Ceremoniarum, quibus Carolus V. Imp. Regalia & Feuda DUCIBUS Pomeraniæ contulerit *ib. N. III.* Solennitates, quibus Sereniſſimus Elector noſter Supremus Boruſſiæ DUX ac Dominus declaratus fuit, habes in *Diarii Europ. Contin. IX. ad An. MDCLXIII. IIX. Octobr.* Als Se. Chur-Fürſtl. Durchl. und die Herren Abgeſandten / jede abſonderlich / den Gottesdienſt verrichtet / fanden ſie ſich gegen 12. Uhr auf der darzu bereiteten Bühne ein / woſelbſt höchſtgedachte Se. Chur-Fürſtl. Durchl. ſich auf den dahin geſtellten Thron niederlieſſe / neben welchem zur Seiten ſtunden vor hochermeldte Herren

Biſchoff

Biſchoff und Unter-Cantzler/ ſamt den 4. Regierungs-Räthen/ bey ſich habend die Regalien/ als Chur-Hut/ Schwerdt/ Zepter und Staab; Der Polniſche Unter-Cantzler hielt Anfangs eine lange Oration in Teutſcher Sprach/ und dieſe ward von unten auf durch einen aus der Ritterſchafft beantwortet/ und darnach der Eyd Sr. Chur-Fürſtl. Durchl. und für dero Männliche Leibes-Erben geleiſtet: Hierauf that der Herr Biſchoff eine lange Lateiniſche Oration/ die zum andernmal von unten auf beantwortet wurde/ auf welche der zweyte Eyd/ den ein Geiſtlicher Prälat vorlaß/ erfolgte/ daß nehmlich nach Abſterben der Chur-Fürſtl. männiglichen Leibs-Erben/ die Königl. Maj. und Cron Polen die nechſten Folger alsdenn wieder ſeyn ſolten. Wie dieſes alles verrichtet/ wurden alle Glocken bey zwo Stunden lang geläutet/ die Stücke gelöſet/ und zwar über die 1000. Schüſſe daraus/ und von dem Schloß lieff aus einen ſchön gemahlten Adler auf einer Säule rother und weiſſer Wein bey 4. Stunden an einander/ und über das ward auch an unterſchiedlichen Orten der Stadt kleine und groſſe Müntze ausgeworffen/ mit dieſer Uberſchrifft: *Supremo Pruſſiæ Domino FRIDERICO WILHELMO, Principi, Elect. Brandeb. Homag. præſt. die XVIII. Octobr. Anno 1663.* Auf der andern Seite/ ſtund eine Hand aus der Wolcken/ welche eine Crone hielt/ mit dieſen Worten: *ADEO data*, in der Mitten war ein Schwerdt und Zepter Creutz-weiſe durch einen Lorbeer-Krantz/ mit nachgehender Unterſchrifft: *Pro DEO & Populo.*

CAPUT. III.

Archiduces, Symbolum Friderici III. Imp. A. E. I. O. V. Magni Duces, Controverſia Imp. Maximiliani & Pii V. Pontificis M. de Magno Ducatu Hetruriæ: Dux Pruſſiæ abſolutus: Duces ſubordinati in Imperio Germanico-Romano, & Italia. Alii ejuſdem generis Duces: Titulares in Anglia, Gallia, Hiſpania: Duces Venetorum: Regna, quæ Ducibus carent: Abdicatio Ducum.

I.

SEquuntur genera DUCUM ſeorſim conſideranda, quæ inter primum locum obtinet ARCHIDUCALIS dignitas, Sereniſſimæ Familiæ Auſtriacæ hodie propria. Vox ARCHIDUX Hybrida eſt, ex Græco ἄρχων & Latino formata, quales Admiralius ſeu Amiralius voce ex Arabico Amir, Princeps, & Græco ἅλς mare facta, q. d. Principe Maris: Archi-Cubernus ſeu *Archi-Gubernus & Archi-*

Gubernius, *l. Sejus XLVI. ff. ad SCtum Trebellian.* i. Claſſis Præfectus & omnium Gubernatorum primus. Conf. *B. Par. noſtrum de Or. LL. Voc. Guberno*: Ac ſimiles voces ſunt Archangeli, Archi Epiſcopi, Archiatri, Archimandritæ, Architecti & ſimil. ut proinde ratione originis ſuæ dicatur, quaſi DUCUM Princeps. Quod & Germanicum Nomen Ertz-Hertzog indigitat, voce Ertz/ æque ac Græca ἀρχῶν, eminentiam deſignante. Originem ejus aliqui ab Alberto Rudolphi I. filio petunt, quod tamen controverſia non carere ex Cuſpiniano notat *Beſold. in Theſ. Pr. V.* Ertz-Hertzog: Alii Friderico III. ita tranſſcribunt, ut Natalis Comes *hiſt. l. IX. p. 199.* qui tamen ſe DUCEM Auſtriæ nominat in der Reformation zu Franckfurt A. 1442. aufgericht in pr. Sed Maximilianus I. demum ARCHIDUCIS titulo utitur in Ordnung des Cammer-Gerichts zu Worms An. MCCCCXCV. *Limn. c. l. n. XXVI.* Quanquam ne a Friderico quidem iſtud alienum fuiſſe teſtetur Symbolum ejus quinque Vocalium: A. E. I. O. V. h. Germanica quidem interpretatione: Aller Ehren Iſt Oeſterreich Voll. Quo ipſum eminentiam aliquam in cæteros Principes agitaſſe non obſcure conſtat. Sed Latine tamen id alii reddidere: *Auſtria Erit In Orbe Ultima.* Alii *Auſtria Extendetur In Orbem Univerſum*: Matheſius autor eſt, Fridericum hac Interpretatione delectatum fuiſſe: *Aquila Electa Iuſte Omnia Vincit*, ap. Borbon *in Cæſaribus Teſſeradec. XIV.* Et manu ipſius Friderici Imp. in Bibliotheca Cæſarea extare dicitur: *Auſtriæ Eſt Imperatore Orbi Univerſo* Quibus addimus idem Symbolum quinque Vocalium: A. E. I. O. V. etiam Johannis Friderici II. Saxoniæ Ducis fuiſſe, ſed cum explicatione Allein Evangelium Iſt Ohne Verluſt. De quo agit *Joach. Müller in Conc. Fun. Joh. Frid. Lit. H. 2.* ARCHIDUCES Auſtriæ vero iſtam ob cauſam Regibus ſe æquiparant, unde fit, ut nec Regum aliquem, Cæſare excepto, Majeſtatis titulo afficiant, quemadmodum cum Maximilianus Auſtriæ ARCHIDUX A. MDLXXXIX. in Polonia captivus eſſet, & a Sigiſmundo Poloniæ Rege inviſeretur ac ſalutaretur, *vicaſſim Maximilianus pro officioſa humanitate gratias egit, ſed Majeſtatis Titulo erga ipſum abſtinuit, cum Auſtriacis Jus eſſe diceret, ut Regum neminem, Cæſare excepto, his titulis decorarent. Itaque utrinque Serenitatis titulis contenti, ſermones diu conſeruere. Thuan. ad d. A. L. XCVI.* Et in dignitatem Regiam aliquando a Friderico II. DUCES Auſtriæ efferendos fuiſſe, teſtatur ex Epiſtolis *Petri de Vineis Johan. Cuſtinian.*

Auſtr.

Auſtr. pag. 35. Laudato ſimul privilegii exemplari. Præterea & Archiducalem Mitram Regio diademate ornant: Der Ertz-Hertzog zu Oeſterreich hat die Würdigkeit vom Reich / daß Er der Königl. Cron Diadem / und das Creutz des Käyſerlichen Diadem / auf ſeinem Ertz-Hertzog-Hütlein öffentlich tragen mag. *Privileg. Carol. V. Archiduc. Auſtr. dat. §. VII.* Interim & Electores Palatinos a nonnullis Impp. Archi Duces olim dictos memorat *Gewoldus d. S. Rom. Imp. Septemviratu c. VII. pag. 125. Et Bruno Ottonis M. Imp. frater titulum Archi-Ducis Lotharingiæ uſurpavit, poſtquam ipſe Archiepiſcopus Moguntienſis A. DCCCCLIII. dejecto propter Religionem Conrado Lotharingiæ DUCE, Ducatum Lotharingiæ a fratre Imp. accepiſſet, indignum quippe exiſtimans, ſi, cum Archi-Epiſcopus eſſet, non etiam ARCHIDUX appellaretur.* Bitſch. in annot. ad *Natal. Com. p. 200. Limn. c. n. XXVI.* Inſignia gerunt Mitram Archiducalem Ein Ertz-Hertzog-Hütlein umpfangen mit einem gezinnten oder geſpitzten Krantz: *Privileg Car. ante cit. §. VI. Conf. §. VII.* paulo ante recenſitum. Privileg. ipſorum vid. *in c. l. Cuſpin.* & ex eo *Limn. L. V. c. II. n. XXIX. & ſeqq.* E quibus excerpta proſtant ap. *Reinking. l. ante cit. c. IX. Burgold. Diſc. XX. Membr. II. n. XXI. Monzamb. c. II. n. IV. Pacif. a Lapide Diſſ. IIX. n. IV.* Qualia ferè ſunt I. Quod Auſtriæ ARCHIDUX ab omnibus Impp. oneribus immunis ſit, Imperiumque ipſi tutelam præſtet. II. Non teneatur inveſtituram petere extra ſuas ditiones. III. Ad Comitia compareat, ſi velit, ſi nolit, non teneatur. IV. Quæ geſſerit in ſua ditione, Imperatori corrigere non liceat. V. A ſententia ipſius nulla Provocatio concedatur. VI. Ditiones ejus deficientibus maſculis ad fœminas devolvuntur; aut ſi ne fœminæ quidem ſuperſint liceat eas ultimo poſſeſſori transferre & alienare, quocunque placuerit &c. Allegari tamen ſolent limitationes nonnullorum, quas Vid. ap. *Limn. c. L. V. n. XXXVI.*

II. Archiducibus paulo minores ſunt MAGNI DUCES, quales hodiè potiſſimi ſunt MAGNI DUCES Hetruriæ, & in abſtracto MAGNUS DUCATUS Hetruriæ, Italis GRAN DUCATO di Toſcana, quæ dignitas a Pio V. P. M. Coſmo Medices A. MDLXIX. collata fuit. Cum enim Alphonſus Ferrarienſis DUX & Coſmus de controverſa inter ſe dignitatis prærogativa diu magna contentione certaſſent, cauſam inde Cæſare, hinc Pontifice ad ſe trahente, Pontifex Coſmi, cui in occulto ultra modum favebat, inſtigatu cauſam inſigni hoc præjudicio &c. jugulavit, & emiſſo diplomate VI. Cal. VII. br.

Digitized by Google

Coſmum MAGNUM Hetruriæ DUCEM creavit, allegans poteſtatem abſolutam divinitus ſibi conceſſam & Paſtorale munus univerſale, tum exempla Alexandri III, Innocentii III. & Honorii III, qui Portugalliæ, Bulgarorum, Blachorum & Hiberniæ Reges olim crearint, & ut Bohemiæ DUX nunc Rex appellari poſſit, conceſſerint; additum, licuiſſe Coſmo ſine Cæſaris conceſſione Ducis nomine ſe inſignire, eoq; MAGNI DUCIS dignitatem Pontificis beneficio accipere eidem licere. Hinc etiam eum Regali Corona donavit, ejusque exquiſitam & novam formam curavit depingendam. Sed interceſſit tamen Cæſar per Oratores ſuos, cum Coſmus ſolenni ritu inaugurandus eſſet IV. Non. Martii, proteſtatione facta, quam & ſcripto comprehendit, additis minis ſi Pontifex ulterius in Imperii Jura invaderet: cumque proteſtationem ſe non admittere Pontificii Fiſci Patronus reſpondiſſet, peractæ ſunt Inaugurationis ceremoniæ; ſed exacerbatis Imperii Principibus, poſtremo res eo devenit, ut Pontifex, quamvis Natura ſua moroſe pertinax, ægre ſententiam mutaret, ejus vero rationem ut ulli redderet, nunquam adduci poſſet; de ea re tamen ſibi cum Cæſare agendum exiſtimaverit. V. *Thuan. ad A. MDLIX. L. XLVI.* In Germania nullos nunc dari notorium eſt. Antiquitus tamen & MAGNUM DUCEM Burgungiæ, it. MAGNUM DUCEM Sileſiæ extitiſſe diſcimus ex recenſione Quaternionum Imperii apud *Gold. Tom. 1. Conſt. Imp Præf. p. 12.* niſi & hoc inter dubia Materiam iſtam concernentia repoſueris. Fit & MAGNI Ducis Saxoniæ mentio nonnullibi in *Conſt. Imp. ejusd.* Extra Imperium præterea notus eſt MAGNUS DUCATUS Lithuaniæ, Poloniæ Regno nunc annexus, eoque peculiarem Dominium non habens. Et apud Græcos ſimiliter fuit Μέγας Δοὺξ nota ſeu Officii ſeu Dignitatis conſpicuus. Vid. *Codin. Off. Conſtant. Meurſ. in Gloſſar.* Apud Perſas MAGNI DUCIS nomen habet *Dux Shiraſſiæ ſeu Shiraz*, quem ideo & *Emangoly Gawn* appellant, ejusque integer Titulus, licet aliquanto faſtuoſior tempore Schach Abbæ circa A. MDCXXVII. fuit: Opper Hertogh van *Shyraz*, *Sultan* van *Carr* and. *Jaarown*; Heer van *Ormuz*, *Maqueroen*, *Kermoen*, *Chuſiſtan*, *Sigeſtan*, & *Farſiſtan*; *Prins* van de Perſianiſche Golf of Zeeboeſem/ en de Eylanden darinn gelegen/ den grooten *Beglerbeg*, Gebieder over *XII. Sultans*, en 50000. Ruyters/ Slaven van Shaw Abbas/ Beſchermer van de *Muſulmans*, Bloem van Geleeſthent/ de tweede in Herligkeydt/ *Nootmuſcaet* van verſterckinge/ en Rooſe van

ver-

vermacef : Vid. *Herbert. Itiner. p. 57.* Et in Gallia creduntur Majores domus DUCES DUCUM olim appellati fuiſſe; quod forſan huc quadrabit. *Sur tous les Ducs y en avoit un leur commandant en general, qui eſtoit le Duc de France*, & *Duc de Ducs. Et pource qui il avoit ſuperintendance ſur eux; il eſtoit appellé Maire du Palais; du mot bes Allemand, Mejer, ſignificant Superintendant: depuis par corruption de langage, il fut appellé Maiſtre du Palais.* Du Haillan *c. l. L. IV. p. 480.*

III. DUCES in ſpecie ſic dicti vel ſunt abſoluti, qui juxta Dignitatem abſolutum Imperium in loca ſibi ſubdita exercent, vel Subordinati, h. Domini quidem Ditionum ſuarum, ſed Beneficiarii ſeu Vaſalli, vel Titulares, qui Dignitatem ditionibus inanem gerunt. Abſoluti DUCIS nomine veneramur Sereniſſimum Electorem noſtrum Brandenburgicum ratione Boruſſiæ, quam abſoluto & Supremo Imperio regendam a Polonis ſuſcepit Anno M DC LXIII. M. Octobr. idq; vi Articulorum Welavienſi de A. M DC LVII. d. XIX. Septembr. quorum tenor eſt *Art. V.* DUCATUM Pruſſiæ *iis finibus circumſcriptum, quibus Sereniſſimus Elector illum olim* Jure Feudi *ante hoc bellum exortum poſſidebat, ipſe deinceps* & *deſcendentes ejusdem Maſculi ex toro ejus legitime procreati, indeque dependentes omnes, donec quisquam ſupererit ex deſcendentibus maſculis* Suæ Serenitatis, jure Supremi Dominii *cum ſumma atque abſoluta poteſtate ſibi habebunt, poſſidebunt, regentque absque omnibus antehac præſtitis oneribus. V. Thulden. p. IV. Append. p. 278.*

IV. DUCES in Germania noſtra ſunt Bavariæ, Saxoniæ, Brunſvicenſes, Würtembergici, Mechlenburgici, Pomerani, Saxonico-Lauenburgici & Holſatiæ; Tum Juliaci, Cliviæ, Montium: Quibus acceſſere Archiepiſcopatus Bremenſis & Epiſcopatus Verdenſis nunc ſeculariſati & in DUCALEM Dignitatem evectivi, *J. P. Art. X.* Extra Germaniam ſed ad Imperium pertinentes ſunt in Italia Sabaudiæ DUX, Princeps & perpetuus per Italiam Vicarius Imperii, qui & reliquos Italiæ Duces præcedit: Der Hertzog von Savoya ſitzet vor allen Fürſten in Italien / auch vor dem Hertzog zu Florentz ſelbſten: Dann Pius V. in ſeiner Bull/ durch welche er Coſmo Dignitatem Magni Ducis conferiret/ hat dieſe prærogativam Familiæ Sabaudiæ vorbehalten. cit. ex. Bericht auf die Baieriſche Anhaltiſche Cantzley *p. 4. Limn. d. l. V. c. XXV. n. VII.* Præterea DUCES Mediolanenſes, qui nunc ſunt Reges Hiſpaniæ, Mantuani, Mutinenſes. DUX Parmen-

Digitized by Google

menſis eſt Beneficiarius Pontificis M. qui & Feudum ſuum quotanni penſione XM. Ducatorum ad Scalas Petri redimit. DUCES Lotharingiæ & Burgundiæ inter Gallos nunc fere quærendi ſunt. Regno Bohemiæ ſubordinantur DUCES Sileſiæ. In Portugalliæ ſimilis Dux erat Bragantinus, *de Braganca & de Barcellos*, Dominus trium Marchionatuum, ſeptem Comitatuum &c. Sed DUCES hi ab An. M DC XLI. Regiam Portugalliæ Dignitatem electo Philippo IV. Rege Hiſpaniæ obtinuerunt. Et in Anglia, quæ alias non niſi Titulares agnoſcit DUCES, talis DUX eſt DUX Cornubiæ ſeu Cornwalliæ, qua Dignitate vero hactenus nemini frui licuit, quam Primogenito Regis ac Regni Heredi ſeu Principi Walliæ. Quos Reges DUCUM Titulos admittant recenſuimus *prec. Diſſ. III.* tota.

V. DUCES Titulares Anglia, Gallia, Hiſpania magno numero admittit; Sic DUCATUM Galliæ nunc *vacuum autoritate Titulum* ipſe *Gramond* agnoſcit *Hiſt. l. 1.* Et occaſionem iterum pandit ſæpius cit. *du Haillan*: Hugonem Capetum Proceribus Galliæ primum permiſiſſe Ditiones, quas tanquam Præfecti antea adminiſtraverant, ut Feudorum loco eas in poſterum a ſe acciperent ac retinerent, eoque illos ſibi addictiores reddidiſſe, mox de reducendis iſtis Ditionibus ab ipſo & ſucceſſoribus ejus cogitatum, ſenſimque per Pacta, Accuſationes & ſ. Coronæ eas adjectas fuiſſe; Ac in locum ipſarum poſtmodo novam iſtam Dignitatum Titularium Segetem ſuccreviſſe, ne viderentur Reges antiqua Regni placita plane abolituri eſſe: *Non Rois ne les pouvans ſupporter, peu à peu commencerent à y remedier, leur impoſans par fineſſes des crimes de felonnie; deſquels eſtans convaincus, leurs terres eſtoient empietées. Voila comme ſont venus à la couronne le Duchés de Normandie & Aquitaine, les Comités d' Anjou, Touraine, Poitou, de Maine & autres, Comme nous dirons; Aucunes ſont venues per Allianc; comme Tholouſe, Champagne, Brie & Bretagne. Autres Seigneurs ont perdu leurs ont Eſtats cependant qu' ils s' amuſoient aux voyages des terres ſainctes, d' ou nos Rois ont pris occaſion de proffiter, comme nous dirons auſſi. Ainſi les Duchés & Comtés reunis à la Couronne, une autre forme des Duchés & Comtés nasquit en France: Car de petites Bourgades & Seigneuries ont eſté faites Comtés & Duchés; Cela faiſans nos Rois, afin q' ayans incorporé ſous leur puiſſance la pluspart des anciens Duchés, il n' apparuſt qu' ils euſſent efface les anciennes dignités qui ſemblent embellir ce Royaume en-*

tre

Digitized by Google

tre les autres L. III. p. 386. Quod & reliquis Regnis facile applicabitur. Hæcque Sors non illos tantum, qui extra Sanguinem Regium poſiti ſunt, ſed ipſos etiam Fratres Regios involvit, quanquam aliquanto lautior eorum fortuna hac in re ſit, quam reliquorum: Quemadmodum Gaſtoni fratri Ludovici XIII. *Patrimonium pro dignitate Natalium aſſignabatur illuſtre & amplum, Aurelianenſium & Carnotenſium Ducatus, Comitatus item Bleſenſis cum omni jure poſſeſſorio, exceptis ſupremo Dominio,* quod in Principatu conſiſtit, *in primæ juſtitiæ munia, & in Epiſcopatus nominatione, quorum apud Regem arbitrium manſit, adjecta feudis centena librarum millia pro annua penſione, & (quo facilior exactio) cautum, ut ex tributo ad Aurelianenſes Regio penderentur.* Gramond Hiſt. L. XVI. p. 699. Cumque *præc. c. 1.* Pares ac DUCES Galliæ plerumque eosdem eſſe dixerimus, hic addendum eſt, extitiſſe tamen, quos Reges meros DUCES, & non Pares eſſe voluerint. Sic Carolus Pulcher creavit DUCEM Borbonium, non Parem; Similiter Philippus Valeſius erexit DUCATUM *Barle-Duc;* Johannes. *Tourraine* & *Berry;* Carolus VI. *Valois;* Ludovicus XII. *Longue Ville;* Franciſcus I. *Chartes, Eſtouteville, Eſtampes;* Henricus II. *Chevreuſe & Albret.* Henricus IV. *Croüy &c.* Anglorum ſimilis ratio eſt, & licet a Provinciis denominentur, reditusque aliquos nonnunquam inde percipiant, Provinciarum Domini tamen non ſunt: Quales e Principibus Sanguinis nunc ſunt, Dux Eboracenſis & Albaniæ *(of Torck & Albany)* Frater Regis, & Illuſtriſſ. Rupertus Palatinus, *DUX Cumberlandiæ;* E cæteris ſunt Duces *Buckinghamiæ, Richmondiæ, Norfolciæ, Suffolciæ, Monmuthiæ &c.* Factumque ſubinde, ut a locis minutioribus ac plane peregrinis & vix dum cognitis appellati fuerint, veluti nunc Illuſtriſſ. Georg. Monckius eſt Dux Albemarliæ *(Albemarle)* ab obſcuro Normanniæ in Gallia loco dictus, cujus meminit *Roger. Hoveden. in Scrr. Angll. p. 765.* Et *Camden.* Comitem Albæ marlæ & Holderneſſiæ allegat, *Britann. p. 285.* Reliquorum ſeriem vid. *in Tr. Englands Glory* paulo poſt inſtauratam Monarchiam Angliæ edito. Ducum Hiſpaniæ & Portugalliæ numerum ac nomina recenſet *Luc. de Linda Deſcript. Orb. p. 260. & ſeqq.*

VI. Mediæ quaſi Naturæ inter hosce eſt Sereniſſimus DUX Venetorum, quem tituli & perpetuitas ſua non ſolum officiotenus, ſed dignitate etiam DUCEM efficere videntur, quod & Jurium ali-

Ee quo-

quorum ipſi relictorum exercitia confirmant: Ita enim nomine ipſius omnia decreta & publicæ literæ prodeunt, leges conduntur, numi cuduntur & ſ. Quæ tamen nonniſi conceſſa autoritate fiunt, & integra rerum gerendarum poteſtas penes Senatores manet, adeo ut ſolus nihil efficere valeat. Vid. tamen, quæ hac de re diſputat *Limn. L. IV. c. III. num. XVI. & ſeqq.* De electione, inauguratione & cultu ejus egimus *præced. c. II.* De Inſignibus & Cultu ejus ita *P. Juſtinianus L. V. Venerabilis in eo eſt cultus, purpura ſiquidem & holoſerico omni tempore Dux veſtitur, aureoque interdum pallio, ac ſtola candida uſus, in publicum prodit, caputque tenui vitta obtectum habet, & coccinea infula, quam limbus aureus præcingit; fronte decore aptatur, ac retro in tereti forma cornu attollitur; quod priſcis tamen temporibus ad Phrygiæ mitræ ſpeciem in conum ibat, albæque armellinorum pelles circum ſcapulas ad medium usque demiſſæ, majeſtate plenum conſpectum reddunt: geſtat & picturata Dux ſandalia; fibulasque aureas, & baltheum gemmatum. Ducalibusque his ornamentis nihil auguſtius, ac regale ſupergreditur tantus cultus faſtigium; Frequens autem Ducem in apertum prodeuntem (quod raro evenit) Senatus, togatorumque ſummus ille ordo Majeſtatis, & ſilentii plenus ſubſequitur; Præceduntque verſicoloria alte geſtata octo vexilla, ſella curulis quoque, & umbella aurea, circumſonantibus tubis ex argento oblongis, ſub ea medius inter Regum Oratores Princeps Senatu (ut diximus) concomitante procedit, pompaque admirabilis eſt, Ducis, Seniorumque graviſſimo conſpectu. Adde Donat. Janot. Dialog. de Rep. Venet.*

VII. In Cæteris Regnis ac Rebuspp. Europæ DUCES non adeo videre eſt, & Dania & Hungaria nullos habent; Similiter nulli in Suedia nunc apparent, niſi qui Principes Sanguinis ſint, qualis initio hujus ſeculi erat Carolus Dux Sudermanniæ, Sigiſmundi patruus ac poſtea Rex factus; Et nunc Illuſtriſſimus Dn. Adolphus Johannes, Glor. Dn. Caroli Guſtavi Frater. In Polonia Palatini veteribus Ducibus ſucceſſiſſe creduntur. Abdicationis a DUCATU exemplum noſtro Seculo vidimus in Wilhelmo DUCE Bavariæ, hodierni Sereniſſimi Electoris Bavariæ Avo, qui Maximiliano Filio tradidit Regimen ingreſſusq; vitam monaſticam obiit A. M DC XXIV. in monaſterio Carthuſiano prope Ratisbonam. *Spener. Syll. p. 99.* Extinctos in Carolo Audace DUCES Burgundiæ queritur ac deſcribit *Cominæus.* Novumque Sepulturæ & extincti Ducatus ſpecimen occur-

Digitized by Google

occurrit in Bogislao Ultimo Duce Pomerariæ, cujus ſumma extat ap. *Thulden. ante d. L.III. p. 196.* Lituus & Sigillum (*DUCATUS Inſignia ſunt*) *ab Aurifabro conciduntur; Mitra Epiſcopalis cum longurione, e quo lugubre vexillum pependerat, confringebatur, ſingulaque in ſepulchrum illata cum DUCE ſuo tumulabantur; Annulos duos aureos, geminas item Galeas aureas, & bina ex auro Scuta tripartita diviſione Suedus & Octovir accipiunt &c.*

DISSERTATIO IIX.

DE

PRINCIPIBUS.

CAPUT I.

Principis varia ſignificata, Princeps Senatus, Princeps Officii: Initium, quo Principis nomen Imperiis aptatum fuit: Græcorum Πρίγκιψ, Αὐθέντης, Ἄρχων: *Ethnarchæ, Toparchæ: Tetrarchæ veterum, Heptarchæ Anglo Saxonum: Perſarchæ, Heteriarchæ, Aſiarchæ Sacri Codicis.*

I.

PRINCIPUM varia ſignificata enumerant *Reinking. lib. 1. Cl. IV. c. IIX. Calvin. Voc Princeps: Limn. lib. IV. c. II. Burgold. Diſc. XX. memb. II. num. XXVII.* Nosque ut ea breviter tractemus, notamus, PRINCIPEM antiquis temporibus I. in genere *Primum* denotaſſe; Sic Columel. lib. XI. c. II. Januarium vocat *Principem* menſem *Tacit. I. Annal. Idem dies accepti quondam Imperii PRINCEEPS & vitæ Supremus.* II. *Præcipuum*, h. cujus potiſſimæ in re aliqua partes eſſent. Sic *Princeps delicti* dicitur, i. Autor & Inventor *L. X. ff. de ſerv. corr.* Princeps Senatus, *qui in lectione ſenatus quæ per Cenſores peracto cenſu fiebat primo loco recitabatur. Qui honor fere nemini, niſi Conſulari & Cenſoriis tribuebatur, & qui ſemel Principatum hunc acceperat, is dum vivebat, locum illum etiam apud alios Cenſores retinebat, nec niſi eo mortuo alius* Princeps Senatus *declarabatur. Roſin. Ant. L. VII. c. V.* III. *Officium* & (1) quidem Sagatum, quemadmodum in militia Romana Polybii ævo Legiones dividebantur in Haſtatos, *Principes* & Triarios, & pubeſcens ætas in Haſtatis, Robuſtior ac virilis in *Principibus*, provectior & virtutis uſu

diſtinguunt. Qui tamen lilia eſſe prohibentur, cujus rationem reddemus *Diſſ. ſeq. §. de Inſignibus Principum Sanguinis.*

IIX. His jungimus affinem Inaugurationum & Inveſtiturarum Ducalium materiem, qualis eſt apud DUCES Venetos, ut poſt electionem in Palatium DUCIS portentur; tunc pridie Inaugurationis in ampliſſimam Concilii Magni aulam ducti ab univerſa Nobilitate Veneta conſalutentur, honoribusque & congratulationibus primum excipiantur, deinde ab exterorum Legatis Regum atque Principum adeantur: Inaugurali die in D. Marci Eccleſiam deportentur, ubi celebrata Miſſa, cantatoque gratiarum carmine ſtantes oratione Populorum alloquantur, poſtmodo ex Eccleſia per Campum D. Marci deferantur, ſparſis Nummis aureis argenteisque in vulgus obvium. Denique per gradus in ſaxi ejus mediocrem eminentiam, quod *Scalas Gigantum* nominant, aſcendant, Galerum Ducalem ibi induant, & ſic in Palatium revertantur, ſequente Euphonia clariſſima. Vid. *Thulden. ante c lib. VI. ad A. MDCLVI.* & Inaugurationem *Bertuccii Valerii* Venetorum Ducis. Angliæ DUCES creabantur *per cincturam Gladii, Cappæque & Circuli Aurei* (A Coronet) *in Capite impoſitionem*, quemadmodum ex ipſa Creationis Formula loquitur *Camden. ante cit. Britan. p. 102.* De erectione Borſi Marchionis Ferrarienſis in DUCEM facta Ferrariæ a Friderico III. Imp. An. MCCCCLII. agit *Modius ap. Goldaſt. P. VI. Polit. Imp.* Borſum indutum tunica ex auro textili, gemmisque ornato pileo Imperatorem adiiſſe, prælatisque ſtricto enſe & vexillis tribus ante eum in genua procubuiſſe, Imperatorem deinde erectum juxta ſe conſidere juſſiſſe, indeque mandaſſe, ut tunica indueretur rubra ſegmentata, muſtelis alpinis duplicata: Ita veſtito Imperatorem exſertum gladium in manus dediſſe, eoque ſymbolo DUCEM declaraſſe. Adde Deſcriptionem Ceremoniarum, quibus Carolus V. Imp. Regalia & Feuda DUCIBUS Pomeraniæ contulerit *ib. N. III.* Solennitates, quibus Sereniſſimus Elector noſter Supremus Boruſſiæ DUX ac Dominus declaratus fuit, habes in *Diarii Europ. Contin. IX. ad An. MDCLXIII. IIX. Octobr.* Als Se. Chur-Fürſtl. Durchl. und die Herren Abgeſandten / jede abſonderlich / den Gottesdienſt verrichtet / funden ſie ſich gegen 12. Uhr auf der darzu bereiteten Bühne ein / woſelbſt höchſtgedachte Se. Chur-Fürſtl. Durchl. ſich auf den dahin geſtellten Thron niederlieſſe / neben welchem zur Seiten ſtunden vor hochermeldte Herren Biſchoff

Biſchoff und Unter-Cantzler/ ſamt den 4. Regierungs-Räthen/ bey ſich habend die Regalien / als Chur-Hut / Schwerdt / Zepter und Staab; Der Polniſche Unter-Cantzler hielt Anfangs eine lange Oration in Teutſcher Sprach/ und dieſe ward von unten auf durch einen aus der Ritterſchafft beantwortet / und darnach der Eyd Sr. Chur-Fürſtl. Durchl. und für dero Männliche Leibes-Erben geleiſtet: Hierauf that der Herr Biſchoff eine lange Lateiniſche Oration/ die zum andernmal von unten auf beantwortet wurde/ auf welche der zweyte Eyd / den ein Geiſtlicher Prälat vorlaß/ erfolgte/ daß nehmlich nach Abſterben der Chur-Fürſtl. männiglichen Leibs-Erben / die Königl. Maj. und Cron Polen die nechſten Folger/alsdenn wieder ſeyn ſolten. Wie dieſes alles verrichtet/ wurden alle Glocken bey zwo Stunden lang geläutet/ die Stücke gelöſet/ und zwar über die 1000. Schüſſe daraus/und von dem Schloß lieff aus einen ſchön gemahlten Adler auf einer Säule rother und weiſſer Wein bey 4. Stunden an einander / und über das ward auch an unterſchiedlichen Orten der Stadt kleine und groſſe Müntze ausgeworffen/ mit dieſer Uberſchrifft: *Supremo Pruſſiæ Domino FRIDERICO WILHELMO, Princip. Elect. Brandeb. Homag. præſt. die XVIII. Octobr. Anno 1663.* Auf der andern Seite / ſtund eine Hand aus der Wolcken / welche eine Crone hielt / mit dieſen Worten: *ADEO data*, in der Mitten war ein Schwerdt und Zepter Creutz-weiſe durch einen Lorbeer-Krantz/ mit nachgehender Unterſchrifft: *Pro DEO & Populo.*

CAPUT. III.

Archiduces, Symbolum Friderici III. Imp. A. E. I. O. V. Magni Duces, Controverſia Imp. Maximiliani & Pii V. Pontificis M. de Magno Ducatu Hetruriæ: Dux Pruſſiæ abſolutus: Duces ſubordinati in Imperio Germanico-Romano, & Italia. Alii ejusdem generis Duces: Titulares in Anglia, Gallia, Hiſpania: Duces Venetorum: Regna, quæ Ducibus carent: Abdicatio Ducum.

I.

SEquuntur genera DUCUM ſeorſim conſideranda, quæ inter primum locum obtinet ARCHIDUCALIS dignitas, Sereniſſimæ Familiæ Auſtriacæ hodie propria. Vox ARCHIDUX Hybrida eſt, ex Græco ἀρχων & Latino formata, quales Admiralius ſeu Amiralius voce ex Arabico Amir, Princeps, & Græco ἁλς mare facta, q. d. Principe Maris: Archi-Cubernus ſeu *Archi-Gubernus* & *Archi-*

Gubernius, l. Sejus XLVI. ff. ad SCtum Trebellian. i. Claſſis Præfectus & omnium Gubernatorum primus. Conf. *B. Par. noſtrum de Or. LL. Voc. Guberno:* Ac ſimiles voces ſunt Archangeli, Archi Epiſcopi, Archiatri, Archimandritæ, Architecti & ſimil. ut proinde ratione originis ſuæ dicatur, quaſi DUCUM Princeps. Quod & Germanicum Nomen Ertz-Hertzog indigitat, voce Ertz/ æque ac Græca *ἀρχῶν*, eminentiam deſignante. Originem ejus aliqui ab Alberto Rudolphi I. filio petunt, quod tamen controverſia non carere ex Cuſpiniano notat *Beſold. in Theſ. Pr. V.* Ertz-Hertzog: Alii Friderico III. ita transſcribunt, ut Natalis Comes *hiſt. l. IX. p. 199.* qui tamen ſe DUCEM Auſtriæ nominat in der Reformation zu Franckfurt A. 1442. aufgericht in pr. Sed Maximilianus I. demum ARCHIDUCIS titulo utitur in Ordnung des Cammer-Gerichts zu Worms An. MCCCCXCV. *Limn. c. l. n. XXVI.* Quanquam ne a Friderico quidem iſtud alienum fuiſſe teſtetur Symbolum ejus quinque Vocalium: A. E. I. O. V. h. Germanica quidem interpretatione: Aller Ehren Iſt Oeſterreich Voll. Quo ipſum eminentiam aliquam in cæteros Principes agitaſſe non obſcure conſtat. Sed Latinè tamen id alii reddidere: *Auſtria Erit In Orbe Ultima.* Alii *Auſtria Extendetur In Orbem Univerſum:* Matheſius autor eſt, Fridericum hac Interpretatione delectatum fuiſſe: *Aquila Electa Iuſte Omnia Vincit*, ap. Borbon *in Cæſaribus Teſſeradec. XIV.* Et manu ipſius Friderici Imp. in Bibliotheca Cæſarea extare dicitur: *Auſtriæ Eſt Imperatore Orbi Univerſo* Quibus addimus idem Symbolum quinque Vocalium: A. E. I. O. V. etiam Johannis Friderici II. Saxoniæ Ducis fuiſſe, ſed cum explicatione Allein Evangelium Iſt Ohne Verluſt. De quo agit *Ioach. Müller in Conc. Fun. Joh. Frid. Lit. H. 2.* ARCHIDUCES Auſtriæ verò iſtam ob cauſam Regibus ſe æquiparant, unde fit, ut nec Regum aliquem, Cæſare excepto, Majeſtatis titulo afficiant, quemadmodum cum Maximilianus Auſtriæ ARCHIDUX A. MDLXXXIX. in Polonia captivus eſſet, & a Sigiſmundo Poloniæ Rege viſeretur ac ſalutaretur, *viciſſim Maximilianus pro officioſa humanitate gratias egit, ſed Majeſtatis Titulo erga ipſum abſtinuit, cum Auſtriacis Jus eſſe diceret, ut Regum neminem, Cæſare excepto, his titulis decorarent. Itaque utrinque Serenitatis titulis contenti, ſermones diu conſeruere. Thuan. ad d. A. L. XCVI.* Et in dignitatem Regiam aliquando à Friderico II. DUCES Auſtriæ efferendos fuiſſe, teſtatur ex Epiſtolis *Petri de Vineis Joban. Cuſtinian.*

Auſtr.

Auſtr. pag. 35. Laudato ſimul privilegii exemplari. Præterea & Archiducalem Mitram Regio diademate ornant: Der Ertz-Hertzog zu Oeſterreich hat die Würdigkeit vom Reich / daß Er der Königl. Cron Diadem / und das Creutz des Käyſerlichen Diadem / auf ſeinem Ertz-Hertzog-Hütlein öffentlich tragen mag. *Privileg. Carol. V. Archiduc. Auſtr. dat. §. VII.* Interim & Electores Palatinos a nonnullis Impp. Archi Duces olim dictos memorat *Gewoldus d. S. Rom. Imp. Septemviratu c. VII. pag. 125. Et Bruno Ottonis M. Imp. frater titulum Archi-Ducis Lotharingiæ uſurpavit, poſtquam ipſe Archiepiſcopus Moguntienſis A. DCCCCLIII. dejecto propter Religionem Conrado Lotharingiæ DUCE, Ducatum Lotharingiæ a fratre Imp. accepiſſet, indignum quippe exiſtimans, ſi, cum Archi-Epiſcopus eſſet, non etiam ARCHIDUX appellaretur.* Bitſch. in annot. ad *Natal. Com. p. 200. Limn. c. n. XXVI.* Inſignia gerunt Mitram Archiducalem Ein Ertz-Hertzog-Hütlein umpfangen mit einem gezinnten oder geſpitzten Krantz: *Privileg. Car. ante cit. § VI. Conf. §. VII.* paulo ante recenſitum. Privileg. ipſorum vid. *in c. l. Cuſpin.* & ex eo *Limn. L. V. c. II. n. XXIX. & ſeqq.* E quibus excerpta proſtant ap. *Reinking. l. ante cit. c. IX. Burgold. Diſc. XX. Membr. II. n. XXI. Monzamb. c. II. n. IV. Pacif. a Lapide Diſſ. IIX. n. IV.* Qualia ferè ſunt I. Quod Auſtriæ ARCHIDUX ab omnibus Impp. oneribus immunis ſit, Imperiumque ipſi tutelam præſtet. II. Non teneatur inveſtituram petere extra ſuas ditiones. III. Ad Comitia compareat, ſi velit, ſi nolit, non teneatur. IV. Quæ geſſerit in ſua ditione, Imperatori corrigere non liceat. V. A ſententia ipſius nulla Provocatio concedatur. VI. Ditiones ejus deficientibus maſculis ad fœminas devolvuntur; aut ſi ne fœminæ quidem ſuperſint liceat eas ultimo poſſeſſori transferre & alienare, quocunque placuerit &c. Allegari tamen ſolent limitationes nonnullorum, quas Vid. ap. *Limn. c. L. V. n. XXXVI.*

II. Archiducibus paulo minores ſunt MAGNI DUCES, quales hodiè potiſſimi ſunt MAGNI DUCES Hetruriæ, & in abſtracto MAGNUS DUCATUS Hetruriæ, Italis GRAN DUCATO di Toſcana, quæ dignitas a Pio V. P. M. Coſmo Medices A. M D LXIX. collata fuit. Cum enim Alphonſus Ferrarienſis DUX & Coſmus de controverſia inter ſe dignitatis prærogativa diu magna contentione certaſſent, cauſam inde Cæſare, hinc Pontifice ad ſe trahente, Pontifex Coſmi, cui in occulto ultra modum favebat, inſtigatu cauſam inſigni hoc præjudicio &c. jugulavit, & emiſſo diplomate VI. Cal. VII. br.

Coſmum MAGNUM Hetruriæ DUCEM creavit, allegans poteſtatem abſolutam divinitus ſibi conceſſam & Paſtorale munus univerſale, tum exempla Alexandri III, Innocentii III. & Honorii III, qui Portugalliæ, Bulgarorum, Blachorum & Hiberniæ Reges olim crearint, & ut Bohemiæ DUX nunc Rex appellari poſſit, conceſſerint; additum, licuiſſe Coſmo ſine Cæſaris conceſſione Ducis nomine ſe inſignire, eoq; MAGNI DUCIS dignitatem Pontificis beneficio accipere eidem licere. Hinc etiam eum Regali Corona donavit, ejusque exquiſitam & novam formam curavit depingendam. Sed interceſſit tamen Cæſar per Oratores ſuos, cum Coſmus ſolenni ritu inaugurandus eſſet IV. Non. Martii, proteſtatione facta, quam & ſcripto comprehendit, additis minis, ſi Pontifex ulterius in Imperii Jura invaderet: cumque proteſtationem ſe non admittere Pontificii Fiſci Patronus reſpondiſſet, peractæ ſunt Inaugurationis ceremoniæ; ſed exacerbatis Imperii Principibus, poſtremo res eo devenit, ut Pontifex, quamvis Natura ſua moroſe pertinax, ægre ſententiam mutaret, ejus vero rationem ut ulli redderet, nunquam adduci poſſet, de ea re tamen ſibi cum Cæſare agendum exiſtimaverit. V. *Thuan. ad A. MDLIX. L. XLVI.* In Germania nullos nunc dari notorium eſt. Antiquitus tamen & MAGNUM DUCEM Burgungiæ, it. MAGNUM DUCEM Sileſiæ extitiſſe diſcimus ex recenſione Quaternionum Imperii apud *Gold. Tom. 1. Conſt. Imp. Præf. p. 12.* niſi & hoc inter dubia Materiam iſtam concernentia repoſueris. Fit & MAGNI Ducis Saxoniæ mentio nonnullibi in *Conſt. Imp. ejusd.* Extra Imperium præterea notus eſt MAGNUS DUCATUS Lithuaniæ, Poloniæ Regno nunc annexus, eoque peculiarem Dominium non habens. Et apud Græcos ſimiliter fuit Μέγας Δȣξ nota ſeu Officii ſeu Dignitatis conſpicuus. Vid. *Codin. Off. Conſtant. Meurſ. in Gloſſar.* Apud Perſas MAGNI DUCIS nomen habet *Dux Shiraſſiæ ſeu Shiraz*, quem ideo & *Emangoly Gawn* appellant, ejusque integer Titulus, licet aliquanto faſtuoſior tempore Schach Abbæ circa A. MDCXXVII. fuit: Opper Hertogh van *Shyraz*, *Sultan* van *Carr* and. *Jaarown*; Heer van *Ormuz*, *Maqueroen*, *Kermoen*, *Chuſiſtan*, *Sigeſtan*, & *Farſiſtan*; *Prins* van de Perſianiſche Golf of Zeeboeſem/ en de Eylanden darinn gelegen/ den grooten *Beglerbeg*, Gebieder over *XII. Sultans*, en 50000. Ruyters/ Slaven van Shaw Abbas/ Beſchermer van de *Muſulmans*, Bloem van Geleeſtheyt/ de tweede in Heyligkeydt/ *Nootmuſcaet* van verſterckinge/ en Roose van

vermaceſ : Vid. *Herbert. Itiner. p. 57.* Et in Gallia creduntur Majores domus DUCES DUCUM olim appellati fuiſſe; quod forſan huc quadrabit. *Sur tous les Ducs y en avoit un leur commandant en general; qui eſtoit le Duc de France, & Duc de Ducs. Et pource qui il avoit ſuperintendance ſur eux; il eſtoit appellé Maire du Palais; du mot bes Allemand, Mejer, ſignificant Superintend nt : depuis par corruption de langage, il fut appellé Maiſtre du Palais.* Du Haillan c. l. L. IV. p. 480.

III. DUCES in ſpecie ſic dicti vel ſunt abſoluti, qui juxta Dignitatem abſolutum Imperium in loca ſibi ſubdita exercent, vel Subordinati, hi Domini quidem Ditionum ſuarum, ſed Beneficiarii ſeu Vaſalli, vel Titulares, qui Dignitatem ditionibus inanem gerunt. Abſoluti DUCIS nomine veneramur Sereniſſimum Electorem noſtrum Brandenburgicum ratione Boruſſiæ, quam abſoluto & Supremo Imperio regendam a Polonis ſuſcepit Anno M DC LXIII. M. Octobr. idq; vi Articulorum Welavienſi de A. M DC LVII. d. XIX. Septembr. quorum tenor eſt *Art. V.* DUCATUM Pruſſiæ *iis finibus circumſcriptum, quibus Sereniſſimus Elector illum olim* Jure Feudi *ante hoc bellum exortum poſſidebat, ipſe deinceps & deſcendentes ejusdem Maſculi ex toro ejus legitime procreati, indeque dependentes omnes, donec quisquam ſupererit ex deſcendentibus maſculis* Suæ Serenitatis, jure Supremi Dominii *cum ſumma atque abſoluta poteſtate ſibi habebunt, poſſidebunt, regentque absque omnibus antehac præſtitis oneribus. V. Thulden. p. IV. Append. p. 278.*

IV. DUCES in Germania noſtra ſunt Bavariæ, Saxoniæ, Brunſvicenſes, Würtembergici, Mechlenburgici, Pomerani, Saxonico-Lauenburgici & Holſatiæ; Tum Juliaci, Cliviæ, Montium: Quibus acceſſere Archiepiſcopatus Bremenſis & Epiſcopatus Verdenſis nunc ſeculariſati & in DUCALEM Dignitatem evectivi, *J. P. Art. X.* Extra Germaniam ſed ad Imperium pertinentes ſunt in Italia Sabaudiæ DUX, Princeps & perpetuus per Italiam Vicarius Imperii, qui & reliquos Italiæ Duces præcedit: Der Hertzog von Savona ſitzet vor allen Fürſten in Italien / auch vor dem Hertzog zu Florentz ſelbſten: Dann Pius V. in ſeiner Bull / durch welche er Coſmo Dignitatem Magni Ducis conferiret / hat dieſe prærogativam Familiæ Sabaudiæ vorbehalten. cit. ex. Bericht auf die Baieriſche Anhaltiſche Cantzley *p. 4. Limn. d. l. V. c. XXV. n. VII.* Præterea DUCES Mediolanenſes, qui nunc ſunt Reges Hiſpaniæ, Mantuani, Mutinenſes. DUX Parmen-

menſis eſt Beneficiarius Pontificis M. qui & Feudum ſuum quotanni penſione XM. Ducatorum ad Scalas Petri redimit. DUCES Lotharingiæ & Burgundiæ inter Gallos nunc fere quærendi ſunt. Regno Bohemiæ ſubordinantur DUCES Sileſiæ. In Portugalliæ ſimilis Dux erat Bragantinus, *de Braganca & de Barcellos*, Dominus trium Marchionatuum, ſeptem Comitatuum &c. Sed DUCES hi ab An. M DC XLI. Regiam Portugalliæ Dignitatem electo Philippo IV. Rege Hiſpaniæ obtinuerunt. Et in Anglia, quæ alias non niſi Titulares agnoſcit DUCES, talis DUX eſt DUX Cornubiæ ſeu Cornwalliæ, qua Dignitate vero hactenus nemini frui licuit, quam Primogenito Regis ac Regni Heredi ſeu Principi Walliæ. Quos Reges DUCUM Titulos admittant recenſuimus *prec. Diſſ. III.* tota.

V. DUCES Titulares Anglia, Gallia, Hiſpania magno numero admitrit; Sic DUCATUM Galliæ nunc *vacuum autoritate Titulum* ipſe *Gramond* agnoſcit *Hiſt. l. 1.* Et occaſionem iterum pandit ſæpius cit. *du Haillan*: Hugonem Capetum Proceribus Galliæ primum permiſiſſe Ditiones, quas tanquam Præfecti antea adminiſtraverant, ut Feudorum loco eas in poſterum a ſe acciperent ac retinerent, eoque illos ſibi addictiores reddidiſſe, mox de reducendis iſtis Ditionibus ab ipſo & ſucceſſoribus ejus cogitatum, ſenſimque per Pacta, Accuſationes & ſ. Coronæ eas adjectas fuiſſe; Ac in locum ipſarum poſtmodo novam iſtam Dignitatum Titularium Segetem ſuccreviſſe, ne viderentur Reges antiqua Regni placita plane abolituri eſſe. *Non Rois ne les pouvans ſupporter, peu à peu commencerent à y remedier, leur impoſans par fineſſes des crimes de felonnie; deſquels eſtans convaincus, leurs terres eſtoient empietées. Voila comme ſont venus à la couronne le Duchés de Normandie & Aquitaine, les Comités d' Anjou, Touraine, Poitou, de Maine & autres, Comme nous dirons; Aucunes ſont venues per Allianc; comme Tholouſe, Champagne, Brie & Bretagne. Autres Seigneurs ont perdu leurs ont Eſtats cependant qu' ils s' amuſoient aux voyages des terres ſainctes, d' ou nos Rois ont pris occaſion de proffiter, comme nous dirons auſſi. Ainſi les Duchés & Comtés reunis à la Couronne, une autre forme des Duchés & Comtés naſquit en France: Car de petites Bourgades & Seigneuries ont eſté faites Comtés & Duchés: Cela faiſans nos Rois, âfin q' ayans incorporé ſous leur puiſſance la pluspart des anciens Duchés, il n' apparuſt qu' ils euſſent effacé les anciennes dignités qui ſemblent embellir ce Royaume en-*

tre

tre les autres L. III. p. 386. Quod & reliquis Regnis facile applicabitur. Hæcque Sors non illos tantum, qui extra Sanguinem Regium poſiti ſunt, ſed ipſos etiam Fratres Regios involvit, quanquam aliquanto lautior eorum fortuna hac in re ſit, quam reliquorum: Quemadmodum Gaſtoni fratri Ludovici XIII. *Patrimonium pro dignitate Natalium aſſignabatur illuſtre & amplum, Aurelianenſium & Carnotenſium Ducatus, Comitatus item Bleſenſis cum omni jure poſſeſſorio, exceptis ſupremo Dominio,* quod in Principatu conſiſtit, *in primæ juſtitiæ munia, & in Epiſcopatus nominatione, quorum apud Regem arbitrium manſit, adjecta feudis centena librarum millia pro annua penſione, & (quo facilior exactio) cautum, ut ex tributo ad Aurelianenſes Regio penderentur.* Gramond Hiſt. L. XVI. p. 699. Cumque *præc. c. 1.* Pares ac DUCES Galliæ plerumque eosdem eſſe dixerimus, hic addendum eſt, extitiſſe tamen, quos Reges meros DUCES, & non Pares eſſe voluerint. Sic Carolus Pulcher creavit DUCEM Borbonium, non Parem; Similiter Philippus Valeſius erexit DUCATUM *Barle-Duc*; Johannes. *Tourraine* & *Berry*; Carolus VI. *Valois*; Ludovicus XII. *Longue Ville*; Franciſcus I. *Chartes, Eſtouteville, Eſtampes*; Henricus II. *Chevreuſe & Albret.* Henricus IV. *Croüy &c.* Anglorum ſimilis ratio eſt, & licet a Provinciis denominentur, reditusque aliquos nonnunquam inde percipiant, Provinciarum Domini tamen non ſunt: Quales e Principibus Sanguinis nunc ſunt, Dux Eboracenſis & Albaniæ *(of Torck & Albany)* Frater Regis, & Illuſtriſſ. Rupertus Palatinus, *DUX Cumberlandiæ*; E cæteris ſunt Duces *Buckinghamiæ, Richmondiæ, Norfolciæ, Suffolciæ, Monmuthiæ &c.* Factumque ſubinde, ut a locis minutioribus ac plane peregrinis & vix dum cognitis appellati fuerint, veluti nunc Illuſtriſſ. Georg. Monckius eſt Dux Albemarliæ *(Albemarle)* ab obſcuro Normanniæ in Gallia loco dictus, cujus meminit *Roger. Hoveden. in Scrr. Angll. p. 765.* Et *Camden.* Comitem Albæ marlæ & Holderneſſiæ allegat, *Britann. p. 285.* Reliquorum ſeriem vid. *in Tr. Englands Glory* paulo poſt inſtauratam Monarchiam Angliæ edito. Ducum Hiſpaniæ & Portugalliæ numerum ac nomina recenſet *Luc. de Linda Deſcript. Orb. p. 260. & ſeqq.*

VI. Mediæ quaſi Naturæ inter hosce eſt Sereniſſimus DUX Venetorum, quem tituli & perpetuitas ſua non ſolum officiotenus, ſed dignitate etiam DUCEM efficere videntur, quod & Jurium ali-

Ee quo-

occurrit in Bogislao Ultimo Duce Pomerariæ, cujus ſumma extat ap. *Thulden. ante d. L. III. p. 196.* Lituus & Sigillum (*DUCATUS Inſignia ſunt) ab Aurifabro conciduntur; Mitra Epiſcopalis cum longurione, e quo lugubre vexillum pependerat, confringebatur, ſingulaque in ſepulchrum illata cum DUCE ſuo tumulabantur; Annulos duos aureos, geminas item Galeas aureas, & bina ex auro Scuta tripartita diviſione Suedus & Octovir accipiunt &c.*

DISSERTATIO IIX.
DE
PRINCIPIBUS.
CAPUT I.

Principis varia ſignificata, Princeps Senatus, Princeps Officii: Initium, quo Principis nomen Imperiis aptatum fuit: Græcorum Πρίγκιψ, Αὐθέντης, Ἄρχων*: Ethnarchæ, Toparchæ: Tetrarchæ veterum, Heptarchæ Anglo Saxonum: Perſarchæ, Heteriarchæ, Aſiarchæ Sacri Codicis.*

I.

PRINCIPUM varia ſignificata enumerant *Reinking. lib. 1. Cl. IV. c. IIX. Calvin. Voc Princeps: Limn. lib. IV. c. II. Burgold. Diſc. XX. memb. II. num. XXVII.* Nosque ut ea breviter tractemus, notamus, PRINCIPEM antiquis temporibus I. in genere *Primum* denotaſſe; Sic Columel. lib. XI. c. II. Januarium vocat *Principem* menſem *Tacit. I. Annal. Idem dies accepti quondam Imperii PRINCEEPS & vitæ Supremus.* II. *Præcipuum*, h. cujus potiſſimæ in re aliqua partes eſſent. Sic *Princeps delicti* dicitur, i. Autor & Inventor *L. X. ff. de ſerv. corr.* Princeps Senatus, *qui in lectione ſenatus quæ per Cenſores peracto cenſu fiebat primo loco recitabatur. Qui honor fere nemini, niſi Conſulari & Cenſoriis tribuebatur, & qui ſemel Principatum hunc acceperat, is dum vivebat, locum illum etiam apud alios Cenſores retinebat, nec niſi eo mortuo alius* Princeps Senatus *declarabatur. Roſin. Ant. L. VII. c. V.* III. *Officium &* (1) quidem Sagatum, quemadmodum in militia Romana Polybii ævo Legiones dividebantur in Haſtatos, *Principes* & Triarios, & pubeſcens ætas in Haſtatis, Robuſtior ac virilis in *Principibus*, provectior & virtutis uſu

probata in Triariis, qui veterani milites erant, ſpectabatur. *Salmaſ. de Re milit. Rom. c. II.* (11) Togatum, quod gerebat, qui *Princeps Officii* vocabatur, h. capud eorum, qui ſub Præfectis Prætorio, Comitibus Orientis & ſ. Judiciis expediendis & exequendis admovebantur, quibus omnibus imperabat, & quid agendum eſſet diſponebat: Jubebat hic litigantes ad Præfectum citari, omniaque judiciorum acta exequebatur, *V. L. II. C. de Princip. agent. in reb.* nullus etiam in carcerem detrudi vel advocatus introduci ipſo inſciò poterat. *L. 1. C. eod.* Sic *Symmachus L. 1. Epiſt. XX. jam ad ejus ædes*, inquit, *Princeps Officii cum meaſſet, & obſtinatam nominis contumaciam non poſſet inflectere, inanem ſyngrapham reportavit.* Et paulo poſt, *hoc ubi* Princeps officii *comperit, paucis comitatus excurrit, retinet Felicem celebri urbis loco, nec tamen eripit :-- Deinde a Principibus utriusque Officii perducitur.* Alio nomine vocabatur *Primus Scrinius Officii*, cum enim quisque primus cohortalinm proprium ſcrinium haberet, hujus primum dicebatur Scrinium. Vid. *L. III. C. de diverſ. Offic. Talisque* erat Ruffinus, quem *Marcellinus lib. XV.* Apparitionis Præfecturæ Prætorianæ Principem appellat; Apparitio enim & Officium coincidunt. *Vid. Panciroll. Notic. Imp. Orient. c. IX. IV.* Princeps denotat *Dignitatem Illuſtrem* (I) Omnium in univerſum, qui Imperio ſolitario alios regunt: Cujus ſpecimen elucet in Inſcriptionibus, quas Magnates, tum Latina tum Germanica Lingua ad ſe invicem dare ſolent: Dem Großmächtigſtem / Durchläuchtigſtem / Fürſten ꝛc. N. Et tum demum Regis, Electoris, Ducis Titulos ſubjiciunt: Fürſten haben den Namen vom Deutſchen Wort Fürſtehen ꝛc. Und iſt ein gemein Wort und Titel geweſen / deſſen ſich auch Käyſer und Könige gebraucht haben / denn ſie ſind alle Vorſteher der Landſchafften. *Rauw. Coſmogr. p. 694.* (II) Imperatoris tantum v. *ff. de. Conſtit. Princ. per tot.* (III) In Gallia Supremi inter Principes Sanguinis. *Le nom & la qualitè* de Prince *ne appartient qu' aux* Princes du ſang *& abſolument* celuy de Prince, au premier. *Nom rare, heroique & divin, d' excellente odeur, le miroir des olus graads, & le luſtre de leur homeur.* Bulman. *Harangv. V. p. 66.* (IV) In Imperio noſtro Statuum Imperii, qui Electoribus, Comitibus, Baronibus, Civitatibus contradiſtingvuntur. (V) Specialius illam, quæ à Ducem Marchionum &ſ. diſtincta eſt, quo ſenſu nos eam nunc fere accipimus, ſub PRINCIPUM nomine viſuri Sereniſſimos Electores, tanquam AR-

Digitized by Google

ARCHI-PRINCIPES Imperii noſtri, PRINCIPES Sanguinis, tum cæterorum conditionem ſpeciale hoc Nomen in Imperio noſtro & extra illud gerentium; Veniam vero a B. L. nobis petimus, ſi quid in Dignitatum harum collocatione a nobis præter ordinem admiſſum ſit, cum in tot Illuſtribus Procerum differentiis aliter aut commodius agi vix poſſit.

II. Primus qui PRINCIPIS Nomen Imperio adaptavit, Auguſtus fuit, qui *cuncta diſcordiis Civilibus feſſa* nomine PRINCIPIS *ſub Imperium accepit. Tac. 1. Aunal.* Quem ſecutus Tiberius πρόκριτος τῆς γερουσίας κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἤθελεν ὀνομάζεσθαι. *PRINCEPS Senatus, ut erat vetus conſuetudo, nominari voluit. Xiphilin. in Tiber.* Et Pertinax ἔλαβε τὰς ἄλλας ἐπικλήσεις τὰς προσηκούσας καὶ ἑτέραν ἐπὶ τῷ δημοτικὸς εἶναι βούλεσθαι, πρόκριτος γὰρ τῆς γερουσίας κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἐπωνομάσθη. *Sumſit cætera honeſta cognomina, ac præterea dum vellet popularis eſſe, PRINCEPS Senatus vetere conſuetudine nominatus eſt. Id. ibid.* Occaſione haut dubie ab eo, quem PRINCIPEM Senatus dixerunt, petita. Quam Cæſarum prudentiam, ut ſub veteri nomine ſibi novum Imperium aſſererent, Politicis illuſtrandam relinquimus. Vid. *Nott. Polit. in V. Cromwell. Lentul. de Arcar. Regnor. c. 1. Forſtner. L. III. Annal. Tac.* haut procul initio.

III. Germanicum noſtrum Fürſt/ Belg. *Vorſt*, Sued. Förſt/ juxta *Limnæum* & alios vel à führen derivabitur, quod Principes alios ducant, vel à fürſtehen/ quod præſint aliis, vel ex förderſt/ h. qui anteriori eoq; primo in ordine collocentur. Nobis unde origo ſit, primum æque ac Latinorum PRINCEPS olim denotaſſe, indeque ſimiliter ad perſonas illuſtres translata fuiſſe videtur, quod in Anglicani Idiomatis, tanquam propaginis Dialecti noſtræ Saxonicæ, voce *Firſt* apparet, qua hodienum *primus* ſignificatur. Alterum Prinz aliquando ſimile ſignificatum habet, communius tamen prolem Regiam, Ducalem & c. denotat, quod attingemus c. IV. § 1. Anglorum & Gallorum PRINCE eodem ſenſu venit.

IV. In Imperio Orientali Græci mediorum ſeculorum tanquam Latinorum & Imperii Occidentalis perpetui æmuli aliquando Πρίγγιψ, Πρίγκιψ & Πρίγκιπος: ut Latini Princeps dixere. Qui Titulus tanquam Hereditarius a Conſtantino M. datus fuit Peloponneſi Regulo. *T. Gregora L. VIII.* Ὁ δὲ Πελοποννησιακὸς ἀξίωμα

τοῦ Πρίγκιπος κεκλήρωται. *Et Phranzes Chron. L. I. c. IV.* Τὸν τῆς Σικιλίας ῥῆγα μαφρὲ καὶ τὸν τῆς πελοποννήσου καὶ Ἀχαΐας Πρίγγιπα: Rhioxianus in Paraphraſ. Vaticin. ἐὰν σοὶ τὸ ἔθνος τῆς Λομπαρδίας, ὅτι οἱ Πριγγιπίσου ἀποθανοῦνται. Eodem tamen & Ducem militiæ denotarunt. Πρίγκιψ ὁ ἔξαρχος τῆς τάξεως, *Suidas. Conſtant. Porphyr. Them. Orient. 1.* ἀπὸ δὲ τῶν ῥωμαίων Βασιλείαν γενόμενοι εἰς ἐπαρχίας διηρέθησαν, καὶ δουκάτα καὶ τοὺς καλουμένους Κονσιλαρίους τουτέστι βουλευτάς, ἦσαν δὲ καὶ τινες αὐτῶν Πρίγγιπες. Nicet. in Joh. Comnen. Τοῦτο αἰτησαμένου τοῦ τῆς Ἀντιοχείας Πρίγγιπος. *Et Baſilic. Eclog. VI.* Titulus eſt περὶ Πρίγκιπος καὶ Μαγιστριανοῦ, καὶ ἑτέρων τινῶν στρατευομένων. Vid. plur. *Meurſ. Gloſſar.* V. Πρίγγιψ. Nonnunquam etiam Αὐθέντης dixere, veluti Principem Ruſſiæ Αὐθέντην Ῥωσίας vocat Hiſtoria Conſtantinop. ap. *Cruſ. Turcogr. L. 1. p. 18.* Communius tamen τοῦ Ἄρχοντος nomine contenti fuere: Quod ſicuti ſatis notum eſt, ita ei inhærere operæ precium non erit.

V. Sed peperit idem nomen ſuos *Ethnarchas*, *Toparchas*, *Tetrarchas*, *Aſiarchas &c.* Dignitates reipſa cum illo eaſdem, ſed amplitudine tamen aliiſque circumſtantiis nonnihil variantes, quibus aliquid moræ nunc dandum erit. Et *Toparchæ* quidem, ſeu *Ethnarchæ*, paulo amplius Imperium gerebant, *Tetrarchæ* ſtrictius. Sic in diviſione Regni Judaici in tres Herodis filios inſtituta, Archelaus, cui dimidium ab Auguſto attribuebatur, Ethnarchæ ac Toparchæ nomen tulit: Reliquorum duorum verò Philippi & Herodis Antipæ ditiones Tetrarchias vocarunt, quod alterum ſemiſſem bifariam obtinerent, eoque totius Regni non niſi ſingulos quadrantes acciperent. *Joſeph.* Ἁλώσ. *II. IV.* Τὸ μὲν ἥμισυ μέρος τῆς βασιλείας Ἀρχελάῳ δίδωσιν, ΕΘΝΑΡΧΗΝ προσειπών, ὑποσχόμενός τε καὶ βασιλέα ποιήσειν, ἐὰν ἄξιον ἑαυτὸν παράσχῃ. Τὸ δὲ λοιπὸν ἥμισυ διελὼν εἰς δύο, ΤΕΤΡΑΡΧΙΑΣ τοῖς ἑτέροις παισὶν Ἡρώδου δίδωσι. *Mediam Regni partem ſub ETHNARCHIÆ nomine dedit Archelao etiam Regem, ſi ſe dignum præbuiſſet, facturum eſſe pollicitus. Reliquam verò dimidiam in duas TETRARCHIAS diviſit, duobusque aliis Herodis filiis attribuit.* Et Ant. XVII. XIII. ὀλίγων δὲ ἡμερῶν ὕστερον Ἀρχέλαον μὲν βασιλέα οὐκ ἀποφαίνεται. Τοῦ δὲ ἡμίσεος τῆς χώρας, ἥπερ Ἡρώδῃ ὑπετέλει ΕΘΝΑΡΧΗΝ καθίσταται. *Archelaum non Regem declarat, ſed dimidia parte ditionis*

tionis, quæ Herodis fuerat, ei conceſſa, ETHNARCHAM eum conſtituit. Quorum ETHNARCHÆ ac Tetrarcharum etiam mentio fit ἀλῶς II. IIX. Præterea & tertius Tetrarcha commemoratur Lyſanias Tetrarcha Abilenæ & Trachonitidis *Luc. III. 1.* non quidem ex familia Herodis, ſed ex Arabia aut aliunde ortus. Eique pariter ac Herodi in Tetrarchiis ipſorum Agrippas a Claudio ſucceſſor datus. Joſeph. Ant. XX. V. Τῆς δὲ ἀρχῆς δωδέκατον ἔτος ἤδη πεπληρωκὼς δωρεῖται τὸν Ἀγρίππαν τῇ Φιλίππου Τετραρχίᾳ καὶ Βαταναίᾳ, προσθεὶς αὐτῷ τὴν Τραχωνῖτιν, σὺν Ἀβίλλα Λυσανίου ἡ αὐτὴ ἐγεγόνει τετραρχία. *Anno Imperii ſui duodecimo Agrippam donavit Philippi Tetrarchia & Batanæa, adjuncta his Trachonitide cum Abila, quæ Tetrarchia Lyſaniæ fuerat.* Similiter Theſſaliæ in quatuor Tetrades diviſæ Θεσσαλιῶτιν, Πελασγιῶτιν, Φθιῶτιν, Ἑστιαιῶτιν, ſingulæ dictæ ſunt Tetrarchiæ, quatuorque earum Tetrarchæ à Philippo Macedone conſtituti. Harpocration. V. Tetrarchia. Ut proinde Ethnarches non Rex, ſed Rege inferior Princeps, Tetrarchæ vero etiam quidem Principes, ſed Anguſtioribus limitibus concluſi eſſent. Nomen interea Tetrarchæ manebat, etiamſi plures ejusmodi Tetrarchiæ ſub unius Imperium venirent. Sic Dejotarus pene totius Galatiæ Tetrarcha a Pompejo conſtitutus fuit, cum tamen in Galatia nullus alius tunc eſſet, ſed antea fuerint Tetrarchæ, de quibus Appianus in Mithridatico. *Hirtius* de bello Alexandrino: *Dejotarus Tetrarches Gallogræciæ tunc quidem pene totius, quod ei neque legibus, neque moribus conceſſum eſſe cæteri Tetrarchæ contendebant &c.* Vid plur. *Scalig. Animadverſ. in Chron. Euſeb. pag. 177. 178. Caſaub. Exercit. III. num. IV.* Ubi Lyſaniæ Tetrarchiam cumprimis proſequitur.

VI. Angli mediis ſeculis & Anglo Saxonum tempore non diſſimilis naturæ *Heptarchiam* loco Monarchiæ formarunt, h. loco Imperii ſingularis Imperium ſeptiſariam diviſum, adeo ut ſeptem Reguli exiſterent ac ſinguli territorium ſuum tenerent, inter quos tamen, qui plurimum poterat, *Rex Gentis Anglorum* dicebatur. Cujus Heptarchiæ apud Angl. Scriptores creberrima fit mentio. Vid. inter Veteres *Bedam*, inter recentes *Seldenum, Camden. &c.* Fueruntque nomina Heptarchiæ hujus, ſeu ſeptem Regnorum (I) Cantii Regnum, (II) Suſſexiæ ſive Auſtralium Saxonum (III) Eaſtangliæ, ſive Orientalium Anglorum, (IV) Weſtſexiæ ſive Occiduorum Saxo-

Saxonum (V) Northumbriæ (VI) Eſtſexiæ ſive Orientalium Saxonum (VII) Merciæ Regnum. V. *Camden. Britann. p. 95. 96. Spelmann. Præf. T. I. Concil. in Re Eccleſ. Orb. Britann.*

VII. Alia hinc orta Nomina Sacra & Civilia hic attigiſſe ſatis erit. *Logothetes* meminit Sultani amici Imperatoris Alexii, qui poſt obitum fratris ſui, a quo in exilium miſſus erat, a ſuis agnitus PERSARCHA ſalutatus fuerit, *Τοῖς αὐτοῦ κατιοῦσιν γνώμῃ* ΠΕΡΣΑΡΧΗΣ *καπνομάζεται. p. 9.* Camutzes Magnus Heteriarcha factus ab eodem inducitur, *p. 22. πλὴν δὲ πάλιν ἐτιμήθη παρὰ τοῦ βασιλέως μέγας ἑταιρειάρχης ὁ Καμύτζης.* De Patriarchis, Eccleſiarchis agemus Diſſert. de Hierarch. Eccleſ. De ASIARCHIS dubium eſt, utrum Civilis aliqua, an Eccleſiaſtica ſeu functio ſeu dignitas fuerit? Fos commemorat S Codex *Actor. XIX. XXXI. Sed & quidam ex Aſiarchis cum eſſent ei amici, nunciis ad eum miſſis rogarunt, ne ſe daret in theatrum.* Vulg. & Eraſmus reddidere, *ex Aſiæ primoribus*, quod tamen nimis ambigue redditum arbitramur. Nos cum CL. V. B. Schook. Sereniſſ. Archi-Principis noſtri antehac Hiſtoriographo, eos non Præfectos Aſiæ fuiſſe, ſed Sacerdotes certos, quorum munus erat, ludos Theatrales in honorem Deorum edere, autumamus; Ideo enim Aſiarcham *Euſebii*, Munerarium reddidit *Ruffinus* : *Καὶ ἠρώτων τὸν Ἀσιάρχην Φίλιππον, ἵνα ἐπαφῇ τῷ Πολυκάρπῳ λέοντα* : *Et rogarunt Philippum Munerarium, ut Leonem, qui Polycarpum diſcerperet, emitteret. H. Eccl. IV. XIV.* Et clare id indigitatur *L. VI. §. XIV. ff. de Excuſat. Provinciæ Sacerdotium, ut* Aſiarchia, *Bithyniarchia, Cappadocarchia, præbet a tutelis immunitatem, dum ei muneri quis præeſt.* Idemque ſimilia Nomina teſtantur, ut l. 1. C. de Natur. Lib. *Senatores ſeu Præfectos, quos in Civitatibus Duumvirilitas,* vel Sacerdotii, i. Phœniciarchiæ, vel Syriarchiæ, *Ornamenta condecorent.* Nec obſtat, Chriſtianos ejusmodi nomina geſſiſſe, notum quippe eſt Chriſtianos usque ad tempora Juſtiniani Imp. & nomen Sacerdotum Gentilium tuliſſe, & ſpectaculis Gentilium Diis Deabusq; conſecrari ſolitis præfuiſſe. Confer *Bez. Nott. in c. l. Act. Cujac. Obſerv. L. II. c. XIII.* Contrarium, & Munus ac Dignitatem civilem fuiſſe ſuſtinet *Jac. Godofred. Tr. de interdicta Chriſtianorum cum Gentilibus communione.* Eodemque modo & Imp. *Conſtant. Porphyrog.* videtur accepiſſe *Them. LI. c. III. Quod vero nunc Traceſiorum thema vocatur, olim quidem & initio Aſia Minor dicebatur, & qui tunc præerat Procoſ. vocabatur*

bâtur Ἀσιάρχης. Sed hunc refellit, quod Lucas Aſiarcharum numero plurali meminerit. V. plur. cit. *B. Schook. Exerc. XIV.* quam de *Aſiarchis* inſcripſit.

Caput II.

Electorum cognomina: Dignitas ac Prærogativa, Controverſia vetus cum Duce Burgundiæ: Tituli, controverſia cum magno Duce Hetruriæ: Origo, Occaſio, Cur Eccleſiaſticæ Perſonæ aſſumptæ: Progreſſus, Præſens ſtatus, Cognata ex Imperio Conſtantinopolitano: Habitus Electoralis, Autores de hac materia.

I.

POſt Nomen expenſum Sereniſſimos ELECTORES, tanquam ARCHI-PRINCIPES, primo conſiderare audebimus, ſed breviſſime: Omnia enim non dicam vulgata, ſed erudite ab aliis præſcripta ſunt, e quibus conditio atque dignitas ipſorum cognoſci poſſit. ARCHI-PRINCIPES inſcribuntur in *Notic. Ordd. Imp. ap. Goldaſt. Proœm. in T. 1, Conſt. Imp.* Qui & Imperatorem Matthiam tanquam Regem Bohemiæ hoc titulo afficit *Præfat. ejusd. Tom.* Idem extat in *Edict. Sigismundi Imperatoris de Incompetent. Concil. in judicandis cauſis Principum Imperii §. II. Ad noſtrum & Illuſtrium ARCHIPRINCIPUM noſtrorum S. R. I. Electorum pertinere notionem.* Et Reſcript. de anno MCCCCXXXIV. ad Concilium Baſileenſe, *habita diligenti Epiſcoporum, Abbatum, ARCHI-PRINCIPUM, Principum &c. examinatione.* Et mox in abſtracto: quod cum ARCHI-PRINCIPATUS, Archimareſchallatus & jus eligendi Romanum Principem a nobis & S. R. I. immediate deſcendant. Idem ſe vocat ARCHIPRINCIPEM Brandeburgenſem Decret. Poſon. de Anno MCCCCXXXV. *Vid. Goldaſt. Tom. III Conſt. Imp. p. 538. & ſeqq.* Principes Electores vocantur Mandato Carol. IV. de Jur. & Succeſſ. Elect. Palat. A. MCCCLIV. & MCCCLVI. Aur. Bul. Præf. C. IV. VII. & alibi paſſim. De cæteris nominibus Vid. *Limn. L. III. C. II. n. 1.*

II. Dignitatem & Poteſtatem ipſorum nos Subditi Imperii non poſſumus ignorare. Quod Regibus æquiparentur, jam recepta Publiciſtarum eſt ſententia. Ihre Hoheit und Authorität iſt mit eines Römiſchen Käyſers Gewalt und Hoheit/ daher ſie auch fleuſt/ dermaſſen verbunden/ daß eine ohne die andere nicht verſchmälert werden/ auch ohne die ander nicht beſtehen kan: Ja daß die höchſte Würde der Chur-Fürſten/ damit ſie vor andern Königen und Potentaten gezieret/ eben

dieſe iſt/ daß ſie einen Römiſchen Käyſer / deſſen Hoheit / Autorität und Gewalt alle andere übertrifft / von der auch alle andere herflieſſen/ zu wählen haben. Quæ referunt ex Decret. Cæſar. de An. MDXC. XXVII. Jul. *Limn. c. l. num. II. Piſetzk. c. IV. p. 143.* *Et c. IV. A. B. decernitur, ut in celebratione Imperialis Curiæ Princc. Electoribus, vel eorum alicui, in quibuscunque Actibus ad Curiam ipſam ſpectantibus eundo, ſedendo, vel ſtando, nullus Princeps alius cujuscunque ſtatus, dignitatis, præeminentiæ vel conditionis exiſtens ullatenus præferatur; Eo ſignanter expreſſo, quod nominatim Rex Bohemiæ in celebratione curiarum hujusmodi in omnibus & ſingulis actibus antedictis, quemcunque Regem alium, quacunque etiam ſingulari Dignitatis prærogativa fulgentem, quem quovis caſu ſeu cauſa venire vel adeſſe forte contingeret, immutabiliter antecedat.* Quæ quem ſenſum habeant, Vid. apud *Limn. ad h. l.* Indeque factum, quod Coronationi Germanicæ Caroli V. Imperatoris neque Nuncius Apoſtolicus, neque Legatus Regis Angliæ adfuerint, ne ordinarentur poſt Principes Electores. *Hartmann. Maur. de Coronat. Carol. V. in Polit. Imp. Goldaſt. III. III.* In Concilio Baſilienſi tamen cum Duce Burgundiæ de Prærogativæ contentione lis oborta, decretumque pro Duce Burgundiæ, *ut tam* in ſeſſionibus, congregationibus & proceſſionibus generalibus, quam aliis privatis & publicis actibus & locis Sacri Concilii ſederent & incederent immediate poſt Regum legatos. Quod Decretum forte reſpexit Sigiſmundus Imp. in Reſcr. ad Patres Concilii *de Seſſion. Elect. A. MCCCCXXXIV. Audito quidem, quod Paternitates Veſtræ ſuper controverſia Seſſionis inter Illuſtres Archiprincipes S. R. I. Electores & Ducem Burgundiæ quandam proviſionem fecerint, quæ per Ambaſiatores utriusque partis Ambaſiatorio nomine gratificata ſit, de Veſtrr. Patern. ſolertia & ipſorum Ambaſiatorum induſtria confiſi ſpemque firmam aſſumentes, quod hujusmodi proviſio noſtro & ipſius S. R. I. ac ipſorum Archi-Principum honori expediat, ſumus admodum gaviſi.* Sed Ceremon. Eccl. L. I. ſ. XIII. c. III. manifeſte cautum eſt: *Principes Electores R. I. digniores habentur aliis Principibus, præter Reges, ſicut Cardinales aliis Prælatis.* Ipſiusque hujus Ducis Legatis, Legati Electorum Ratisbonæ tempore Frid. III. Imperatoris An. MCCCCLXXI. noluerunt cedere. Confer *Freher. ad Petr. de Andlo L. II. c. II.* Et noſtro tempore id fere obtinet, ut proxime poſt Reges collocentur, reliquosque Principes Communes ac rerumpubl. Legatos antecedant. Quod poſt Capitula-

tulationem Ferd. III. Art. IV. Ferd. IV. Art. IV. Capit. Leopold. Art. V. confirmatum fuit. *Poſtquam etiam ab aliquo tempore contigit, quod exterorum potentium Principum ac Rerumpublicarum Legati, & quidem ſub hoc prætextu, ac ſi dictæ Respublicæ pro coronatis capitibus & ſic Regibus æquales cenſeri debeant, apud Cæſarem ad Regias aulas atque capellas præcedentiam ante Legatos Electorum prætendant, boc inpoſterum nullatenus permittemus: Si verò accidat, quod legitime titulatorum & coronatorum regentium externorum Regum ac Regiarum viduarum ſeu pupillorum (quibus Regimen, quamprimum convenientem adepti fuerint ætatem, competit, ac interea tutelæ vel curatelæ ſubſunt) legati ſimul adeſſent; ex tunc Electoralibus Legatis præcedent, illos autem Electorales legati, ante omnium aliarum Rerumpublicarum legatos, necnon ante Principes perſonaliter præſentes, ſine diſcrimine, immediate ſubſequentur, quidquid etiam antebac per decreta & ſignanter Anno MDCXXXVI. vel alias actum aut ordinatum fuit, inpoſterum abrogatum & invalidum eſto:* Et mox; *Etiam in reliquo providebimus, ut Electoribus ab antiquo continuata & alias competens Dignitas ac prærogativa conſervetur, nec econtra per quoscunque exterorum Regum ac Rerumpublicarum legatos apud noſtram Cæſaream ac Regiam aulam, vel ubicunque alias contingere poſſet nil præjudiciale aut novi quid attentetur aut permittatur.*

III. Dignitatem hanc ipſi inter ſe ac ſubditi erga illos variis ac ſplendidiſſimis exprimunt Titulis. Antiquitus *Illuſtres* vocatos fuiſſe diſcimus ex A. B. & variis Reſcriptis Imperatoriis, quem tamen & Reges tunc tulere, quemadmodum Frid. I. Imperator Regem Angliæ vocat *Illuſtrem amicum noſtrum* Henricum glorioſum Anglorum Regem. Decret. *Comit. Herbipol. de An. MCLXVI.* Conf. *Diſſert. I. c. IV. §. VII.* Noſtro tempore familiare eſt Adjectivum Sereniſſimi, quo tamen M. Hetruriæ Dux fine præcedi ſeculi abſtinuit, cum duobus Electoribus Eccleſiaſticis tantum *Illuſtriſſimi* & alii magno Principi tantum Excellentiæ titulum, quo Itali domi ſuæ minores Duces & Comites afficiunt, tribueret; Ubi etiam Legatus Coloredus hoc contumeliæ facinus novo faſtus exemplo amplificabat, cum Electoris Trevirenſis ad Hetruſcum pro reſponſo datas literas, *Illuſtriſſimi* tantum inſcriptione inſignitas ad Principem ſuum deferre recuſaret, quaſi illa tituli mediocritas magnitudini M. Ducis non conveniret; & ſic Electorem nimis facilem ad tituli atque literarum mutationem

inducerет, quantumvis ille conceptiſſimis aſſeveraret verbis, nullum Italiæ Principem trecentis abhinc annis alio titulo a deceſſoribus ſuis honoratum eſſe. *Lanſ. Or. Contr. Ital. p. 543.* Sed ea de re vix aliquid controverſiæ nunc ſupereſt, & præterea Hetruriæ Ducem Sereniſſimis Germaniæ noſtræ Principibus & Dignitatis & familiæ antiquitate cedere Germanus aliquis patriota facile cogitaverit. Pontifici M. aliquamdiu in more poſitum fuit, ut Electores, Duces ac Principes Nobilis titulo afficeret. Sic Leo X. ad Palatinum: *Nobili viro Ludovico, Comiti Palatino S. R. Imperii Principi Electori. Marqv. Freber. in Epiſt. reſponſ. de Electoratu S. R. I. Comitivæ Palatini Rheni antiquitus annexo, p. 20.* Similiterque Pius IV. P. M. An. M D LXI. in Conventu Naumburgenſi Auguſtum Electorem Saxon. reliquosque Principes inſcripſit: *Dilecto filio, Nobili Viro N. Electori, Duci &c.* Sed literæ hæ non reſignatæ, ſed in Hoſpitium Legatorum remiſſæ fuerunt. Eccleſiaſtici Electores peculiariter Eminentiſſimi Hoch-Würdigſte ſalutantur, quod nomen vero cum Cardinalibus commune habent. Imperator, Electores Eccleſiaſticos peculiari vocabulo Neven & ſeculares Oheim appellare ſolet, quod diſcrimen tamen itidem non ſemper obſervatur.

IV. Circa originem non prolixe diſputabimus, quæ de Ottone III. & Gregorio V Pontifice M. aliisque aliquam multi produnt. In A. B. c. 1. §. 1. Electores ad electionem juxta antiquam laudabilem conſuetudinem proficiſci clare ſcribuntur, quod tamen ad incertitudinem initii neceſſario importet, alii viderint. Conſuetudo enim tacitum utentium conſenſum & ſcriptæ legis defectum, non defectum aut ignorantiam certi temporis exigit; Argumento hoc tamen tanquam uno e palmariis contra initia ab Ottone petita utuntur *Limn. Burgold.* & alii. Interea cum iisdem arbitramur, turbulentum Interregni ſtatum poſt Frideric. II. veluti aliis Statibus liberis Imperii, vel certa muneris ſui initia, vel ſolidiora ſaltem incrementa dediſſe, eaq; poſtmodo per A. B. confirmata fuiſſe. Nam ante iſta tempora jus eligendi Imperatorem penes univerſos aut ſaltem ſeptenario numero plures Principes fuiſſe docemur. *Edict. Princip. Imperii de obitu Henrici V. Imperat. & nova electione facienda Anno M C XXVI.* qui ibi recenſentur Adalbertus Moguntinus, Fridericus Colonienſis, Hudalricus Conſtantienſis, Buggo Wormatienſis, Arnolphus Spirenſis Archiepiſcopi, Oudalricus Fuldenſis Abbas, Henricus quo-

quoque Dux Bavariæ, Fridericus Dux Sueviæ, Godofredus Palatinus Comes, Beringerus Comes de Sultzbach, & cæteri utriusq; profeſſionis Principes, qui exequiis Imperatoris intererant. *Gold. T. I. p. 259. Et in Receſſ. Comit. Herbipol. Frider. I. de A. M C CXVI. §. III.* ſcribitur in Imperio Succeſſor, *quem Principes univerſi elegerint Gold. T. III. p. 142.* Denique & paulo ante interregnum Decretum *Concil. Lugdun.* prodiit de An. M CCC LII. quo Electionis Imperatoris præſcribuntur *Magnates Alemanniæ, non tamen Electores Imperatorum* Rex Bohemiæ, Dux Lotharingiæ, Dux Bruneſvikiæ, Dux Sueviæ, Landegravius Duringiæ, Dux Lemburgiæ, Dux Carenteniæ, Comes Sabodiæ, Comes de Gelria. *Electores Imperatorum* Laici, Dux Auſtriæ, Dux Bavariæ, Dux Saxonum, Dux Brabantiæ, qui & Lovaniæ. Prælati Principales, Archi-Epiſcopus Colonienſis, Archi-Epiſcopus Moguntinus, Archi-Epiſcopus Salisburgenſis. Atque jubentur duci in Inſulam quandam Rheni, & dimitti ſoli in ea, ibique tractare de Electione Imperatoris. *Goldaſt. eod. Tom. p. 397.* Quam rem licet Imperator & Principes Imperii non ratihabuerint, id tamen evincit, iſtis temporibus nec dum certum eligentium numerum, vel ab Imperio receptum, vel a Pontificibus præfinitum fuiſſe.

V. Occaſionem, qua initia ſumſerint, prætervehimur: Neque multum referet, utrum ad imitationem ſeptem conſiliariorum ſeu Principum Perſiæ, an in exemplum ſeptem Lucernarum Moſis Exod. XXV. XXVII. illuminando Imperio inſtituti ſint: Nobis ſatis eſt, inſtitutum hoc Reipubl. noſtræ conveniens viſum, eoque introductum ac retentum fuiſſe: Neque aliter etiam diſſidiis laboranti ac in viſcera ſua ſævienti Germaniæ conſuli poterat, quam ut poteſtas eligendi arctius cohiberetur & ad paucos perveniret. Nec alia cauſa erat lacerati Veteris Regni Germanici, quam quia multitudine eligentium diſtinebatur, cum plures facilius diſſideant, quam pauci. Cur Eccleſiaſticæ Perſonæ in partes venerint, ratio erat, quia poteſtas Sacri Ordinis per Germaniam latiſſime creverat & Politicorum juribus ſeu Majeſtati jam æquabatur. Non poterant igitur non aſſumi, niſi novas turbas & contemptus aut præteritionis vindices tumultus experiri voluiſſet Germania. Moguntinum vero Trevirenſem atque Colonienſem oportebat ſeligi, quia hi graviſſima in Imperio Archi-Cancellariatus munera gerebant, eaque ab aliis adminiſtrari vix poterant, quod iſtis temporibus inter Politicos nimis ra-

ra eſſet eruditio omniſque Cultus ejus adytis Sacri ordinis cuſtodiretur.

VI. In progreſſu nihil varietatis interceſſit, niſi quod Maximilianus I. Imp. Collegio Electorali Archiduces Auſtriæ adjunctos voluerit, ut ipſis quoque ſuffragium tempore Electionis Regis eſſet. *Sed Principes ne antiquiſſima inſtituta majorum commutarentur, precibus Maximiliani votoque abnuerunt.* *Hartm. Maur. de Cor. Germ. Car. V. p. 274.* Præſens ſtatus in eo a veteri diſſidet, quod loco ſeptenarii nunc Octonarium Electorum numerum aſſumſerint, re omnibus notiſſima, cujus decretum Vid. *Inſtr. Pa. Art. IV. §. Quod ad Domum.* In Imperio Conſtantinopolitano etiam Electores aut Electoribus ſimiles, aliquando deprehenſos fuiſſe diſcimus ex Balduini Imp. Conſtantinop. & Comitis Flandriæ *Edict. de Reſtaur. Imp. Orient. de Anno MCCIV. §. X Ordinatis igitur diligenter quæ diſponendarum rerum poſcebat eventus ad Electionem Imperatoris unanimiter & devote procedimus, & omni ambitione ſecluſa cum Sex Baronibus Venetorum Venerabiles Viros Epiſcopos noſtros Sueſſionenſem, Halberſtadenſem, Dominum quoque Bethlemitanum, qui a partibus transmarinis autoritate Apoſtolica nobis fuerat delegatus, Acconenſem electum, Abbatemque Lucedii,* Imperatoris noſtri ſub Domino conſtituimus Electores. *Qui oratione præmiſſa, ut decuit, Dominica Miſericordias Domini Perſonam noſtram, quod a noſtris meritis erat procul, unanimiter ac ſolenniter elegerunt.* Goldaſt. Tom III. Conſt. p. 399.

VII. Inſignibus ſuis Seculares Clinodium iſtud inſerunt, cui ratione officii ſui portando deſtinati ſunt, Bavariæ Elector Globum, Saxo Enſem, Brandenburgicus Sceptrum, Palatinus Coronam. Mitram Electoralem v. omnes æque impoſitam gerunt: De cujus ac reliqui veſtitus, tanquam partes Inſignium aut cultus Electoralis Conditione, ex *Mamerani Hiſt. Inveſtit. Mauricii Saxonis* hæc excerpimus: *Habitus Electorum veſtis longa eſt, larga & fluxa, in pedes usque demiſſa, undique clauſa, ut non poſſit niſi de injectu ſuperno a capite indui, cum largis item manicis ab ipſa ſeparatis, quæ poſtea faſciola ſub veſte poſt tergum protracta, in ipſam cooptantur, & eſt tota una cum ipſis manicis ex pretioſis illis albis pellibus Hermelinorum, quos vocant, ſeu murium Ponticorum ſubdita cum limbo & ipſius veſtis & manicarum ad palmi amplius latitudinem largo, ex iisdem pellibus foras verſis redacto.*

Huic

Huic veſti collare in orbem ex perpetua ſutura & contextu continuum ex iiſdem pellibus, ſed pilis per totum foras verſis cum plurimis earum pellium caudis circum dependulis, de capite itidem, ſicut ipſa veſtis, injicitur, utque in pectus in cervicem & ſuper humeros, ac ſupernam Brachiorum partem dependulum, ex quo faſcia larga ex ejusdem veſtis genere, & eodem modo pellibus ſubdita cum brevi & ſtricto retortæ earundem pellium fimbriæ reflexamento in tergum usque dependet. Isque habitus ſecundum Electorum ſtatum & differentiam in materiæ ſeu ſubſtantiæ contextu variat: in colore & forma atque factura non variat: Nam ſpiritualibus ſeu Eccleſiaſticis ex precioſo illo ac nobili coccineo & rubro panno eſt, quem vulgo Scharlachum vocamus. Secularibus autem boloſericus eſt ex byſſo rubro, h. e. villoſa purpura. Pileus, qui illis largus eſt, fluxusque ex iiſdem albis pellibus ſubditus eſt, cum largo quoque in ambientem limbum reflexamento, pilos itidem earum pellium foras verſos habente. Apexque illi ſuperne in ipſo vertice ex particula earum pellium caudatus eſt. Eodemque modo, quo ipſa veſtis in materiæ contextu differt, in colore & forma non differt. Sed tamen thoraces, caligas & calceos ex rubro vel purpura ſoli ſeculares habent: Eccleſiaſtici non habent, ſed ex nigro panno, & ſerico. De Inveſtituræ Secularis Solennibus V. eundem, de Inveſtitura Eccleſiaſticorum *Sprenger. Luc. Imp. c. II. p. 96.* Cætera requirentur in *Simon. Schardii Tr.* De Principum, quibus Electio Imp. in Germania commendata eſt, Origine *in Syntagm. ejus de Jurisd. Imp. p. 432.* Michaelis Schriſteri *Tr. de jurisd. & poteſt. modern. Elector. In Imp. German.* Chriſtoph. Gewold. *de ſeptemviris Imperii*, Petr. de Andlo *de Imp. Rom. Regis & Auguſti creatione, Officio & poteſtate Electorum L. II. cum nott.* Marq. Freher. Limn. *J. P. L. III. Burgold. p. 1. Diſc. XIX.*

CAPUT III.

Principes Anhaltini: Sueviæ, Vandalorum, Rugiæ, Tranſilvaniæ, e Lithuania &c. Halberſtadii, Mindæ, Camini, Suerini, Ratzenburgi: Principatus Epiſcoporum: Comites ad Principatum evecti, Principes Novi: Magnus Princeps Finlandiæ, Princeps Orangius, cæteri Principes Galliæ: Principes Italiæ, Carpi, Sinus Perſici, Indiæ.

I.

SEquuntur PRINCIPES, quos cum J. P. ſcriptoribus *Communes* vocamus. Vid. *Limn. ad c. VI. A. B. &c.* h. qui ſpeciali nomine

PRIN-

PRINCIPIS gaudent, & in Imperio noſtro, qui de Principatu, Einem Fürſtenthum / ab Imperatore una cum Dignitate PRINCIPIS, eines Fürſten / inveſtiti & decorati ſunt. *Limn. L. IV. c. II. n. VI.* E quibus, præteritis Veteribus Germaniæ Principibus, quos nota *Tac. de M. G. c. XII. XIII. XIV.* initio commemoramus Sereniſſimos PRINCIPES Anhaltinos, tanquam primos & ab antiquiſſimis temporibus hujusmodi Dignitatis participes: Quippe quam a temporibus Friderici Barbaroſſæ, eoque totis fere quingentis annis habuere, & ab Henrico (Nam lapſus calami eſt apud Cl. Sprengerum in *Luc. Imp. c. II. p. 183.* qui Fridericum appellat, neque Sigiſmundus aliquis, quem ibidem allegat, fuit, qui Marchionatum Soltquellenſem primo acceperit, ſed Otto cognomine Dives) ab Henrico, inquam, Bernhardi, Ducis Saxoniæ, & Comitis Aſcaniæ ac Ballenſtädii filio, Alberti Urſi Marchionis Brandenb. atque itidem Comitis Aſcaniæ Nepote accepere, quem Fridericus ex Comite Aſcaniæ ac Ballenſtadii, quod vetus ipſorum nomen erat, ab Arce Anhalt PRINCIPEM Herciniæ Anhaltinum creavit: Und befürſtete Henricum auf den Hartz / und auf das Edle Schloß zu Anhalt / und ſoll nun hinfürter ein Fürſt des Hartzes auf Anhalt ſeyn / und daſſelbige Fahnlehn vom Römiſchen Reich zu Lehn tragen und empfahen ꝛc. Es gab Ihm auch der Käyſer und dem Fürſtenthum des Hartzes zu Anhalt ein neu Wapen / das iſt ein Zeichen ihres Heerſchilds / nemlich er nahm einen halben Merckiſchen rothen Adler / ſatzte den vor ein halb Wapen des Schilds / und nahm darnach ein halb Wapen der fünff ſchwartzen Balcken / mit dem Rauten-Krantz / ſatzte es in das ander Theil des Schildes / mit dieſer Bedeutung / dieweil das neue Fürſtenthum wäre Anhalt genannt / und Brandenburg und Sachſen bedeuteten durchs neue Wapen ein Anhaltiſch Fürſtenthum / ſo ſolten ſich das Marggrafthum zu Brandenburg / das Hertzogthum zu Sachſen / und Fürſtenthum zu Anhalt / aneinander halten / und ſich untereinander ſchützen / denn ſie wären eines Fürſtlichen Geblüts und Geſchlechts / ꝛc. Die Zier auf der Fürſten zu Anhalt Wapen und Helmen ſeynd eine güldene Cron und zween überſchrenckte aufgerichte Arm / die haben in ieglicher Hand von Pfauen-Federn einen ſchönen Fliegenwedel / die Seiden-Fechel goldgelb / ſchwartz / grün / roth und weiß / an Farben. *Annal. Anhalt. Brotuff. L. IV. c. I. & VI. c. I. Spener. Syllog. c. VI. p. 255.* Confer conſultiſſ. Autorem Vindiciar. Celſiſſ. Princip. Anhalt. &c.

II. Cæ-

II. Cæteri PRINCIPES, ſed qui præter nomen hoc alios Ducum, Marchionum & ſ. Titulos gerunt, ſunt Auſtriæ Archiduces, ratione Sueviæ, velut in Titulo ipſorum eſt: *Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ &c. Würtembergæ, Superioris ac Inferioris Sileſiæ*, PRINCEPS Sueviæ. *Marchio S. R. Imperii &c.* In Conſt. Crimin. Caroli V. tamen poſtponitur ipſis Comitivis Nominibus & proxime anteit Titulum Dominiorum. Mechlenburgici Duces, tanquam *PRINCIPES Vandalorum*, ſeu quemadmodum nonnullibi vocantur, *Principes Wendiæ*, quod antiquum ipſorum nomen erat a veteribus Venedis ſeu Vandalis dictum, quorum ſedem occupaverant. Unde & in antiquioribus monumentis aliquando paulo prolixius & explicatius vocantur Fürſten der Lande zu Ratzenburg und Würtemberg. *V. Brotuff. Annal. ante cit. L. IV. c. 1.* Confer quæ ad Titulos Regum Daniæ ac Suediæ de Vandalis commentati fuimus *Diſſ. III. cap. II. §. II.* Sed hoc auſpiciis Caroli IV. Imp. An. MCCCXLIX. Dignitate Ducali auxerunt *Cuſpin. V. Carol. IV. p. 479.* Pomeraniæ Duces reſpectu Rugiæ, qui & in Regum Suediæ Titulis hodienum eſt: *Dux Scaniæ, Eſthoniæ &c. Caſſubiæ & Vandaliæ*, Princeps Rugiæ, *Dominus Ingriæ &c.* Sed hi nomine Principatuum ſuorum nullo peculiari voto in Comitiis noſtris gaudent: Qua conditione etiam ſunt PRINCEPS Tranſilvaniæ, Ill. Dn. Radzivilius e Lithuania, & alii, itidem PRINCIPES Imperii dicti, quanquam nec Status Imperii ſint, nec quicquam ab Imperio habeant.

III. E contrario Sereniſſimus ac Potentiſſimus Heros noſter, Elector Brandenburgicus Titulo gaudet *Principis Halberſtadii, Mindæ & Camini*, eoque non inani, ut iſti erant, ſed plenario Principum Imperii Jure ſuffragandi inſtructo. *V. J. P. Art. XI. §. XI. Ut Dominus Elector cum tota Domo Brandenburgica, & in ea omnes & ſinguli Marchiones Brandenburgici, Duces Magdeburgenſes &* Principes Halberſtadienſes & Mindenſes *appellentur & ſcribantur.* Et ratione Camini ad præſentia Concilia tanquam *Princeps Camini* vocatus fuit, ejusque nomine nunc primo votum fert (nam Superioribus Comitiis d. A. MDCLIV. ſeſſione & voto certas ob cauſas abſtinuit) certa Seſſione tamen, licet multoties & inſtantiſſime urgentibus Legatis Electoralibus, nondum donatus, quam juxta Mindenſem Epiſcopum ſubinde etiam ante eum olim fuiſſe patet ex Subſcriptione *Receſſ. Imp. de Anno MDXLII.* Similiter Sereniſſimi Duces Mech-

 len-

lenburgici nomina Principum Sverinenſis & Ratzenburgenſis induerunt: *Dux Mechlenburgi*, PRINCEPS Vandalorum, Sverinenſium ac Ratzenburgenſium, *idq; vi J. P. Art. XII. Pro eo vero quod Duci Megapolitano Sverinenſi Domino Adolpho Friderico in alienatione Civitatis, portusque Wismarienſis decedit, competant ipſi, ejusque heredibus maſculis* Epiſcopatus Sverinenſis & Ratzenburgenſis, *jure perpetui & immediati feudi &c. Cum omnibus juribus, documentis literariis &c. eoque nomine habeat ſeſſionem in conventibus Imperii & Circuli Saxoniæ inferioris* cum duplici Principis titulo & voto.

IV. Præterea Epiſcopi Germaniæ noſtræ titulo PRINCIPIS gaudent, eoque a ſubditis crebrius appellantur, quam nomine Epiſcopi. Sic *Spirituales PRINCIPES* aliquoties vocantur *Declarat. Carol. V. de Ordine egreſſ. & ingreſſ. Princ. in Comit Imp. de A. MDXXX. Goldaſt. Tom. III. C. f. 510.* & alibi paſſim. Eminentque ſingulari hoc charactere præ cæteris aliorum Regnorum Epiſcopis; Veluti Galliæ Epiſcopi ſunt Conſiliarii Regii nati, Angli bona ſua tanquam Barones poſſident; Sed nullibi alicui datur Dignitatem PRINCIPIS gerere, niſi ſex Pares Eccleſiaſticos Franciæ excipere velis, de quibus egimus *Diſſert. VII. c. I.* Aut Filios naturales Regum, quos itidem PRINCIPALIS Dignitas aliquando comitatur. Eodem reducendi Abbates, quos Principificatos ſeu ad Principatum evectos vocant, die Gefürſtete Abte, quorum originem a Caroli IV. Imperio petunt; ſuntque Fulda, Kempten, Elwangen, Murbach & Luders, Berchtesgaden, Weiſſenburg, Brinn, Stablo & Corvey, veluti & Eminentiſſimus Elector Colonienſis ſe in ſpecie Principem Stabloyienſem, Fürſten zu Stablo inſcribit Limn. l. c. De quibus rebus plenius agendum erit jam ſæpius commemorata *Diſſert. XII. de Hierarch. Eccleſ.*

V. Novos PRINCIPES vocant, qui e Comitiva vel alia etiam minus grandi Dignitate ad Principatum recens evecti ſunt: Hos PRINCIPES Comites antehac dixere, die Gefürſtete Grafen, fuereque tales Comites Hennebergici, quos Duces Saxonici & Mompelgardenſes, quos Duces Würtembergici repræſentant, eorumque reſpectu Votum in Comitiis ferunt. Similiter ſe habent, ſed Voto deſtituti, Comites Habſpurgenſes, Tirolenſes, Kiburgi ac Goritiæ, ab Archi-Ducibus Auſtriæ nunc repræſentati. Recentes ſunt, Arnbergicus, Hohenzollerenſis, Eggenberg, Lobkowitz,

Digitized by Google

Salm, Diettrichſtein, Picolomini, Naſſau Hadamar & Naſſau Dillenberg, Auerſperg: Qui omnes Comitiis Ratisbon. de An. M DC LIV. ad Seſſionem & Votum venerunt & ab Imperatore unanimi Statuum Imperii Conſenſu admiſſi fuerunt. Vid. *Receſſ. Imper. de Anno M DC LIV. in fin.* Eadem Dignitas collata Illuſtriſſimo Comiti Friſiæ Orientalis, ſed eam in Comitiis nondum occupari viſum fuit. Præſentibus Comitiis inſuper acceſſit Princeps Porcia, ſed qui jam tum expiravit. Vid. *Sprenger. Luc. Imp. C. III. Burgold. Diſc. XX. num. XXIIX.*

VI. Extra Imperium Rex Suediæ gaudet Titulo Magni PRINCIPIS Finlandiæ: *Suedorum &c. Rex* Magnus Princeps Finlandiæ, *Dux Scaniæ &c.* In Gallia ſui juris Principatus eſt Arauſionenſis, *d' Orange*, nunc Illuſtr. Comitum de Naſſou proprius, cujus conditionem, & qua ratione ad Naſſovios pervenerit, exponit *Thuanus L. XXXI. ad Anno M D LXII.* Urbem Arauſienſem olim Imperio Germano-Francico ſubjectam fuiſſe, poſtea Imperii per Galliam infracta potentia peculiares Principes Provinciam tenuiſſe, & cum ea Arauſienſem Principatum, qui tandem ad Bauſcorum Regulorum familiam, ſeu ſucceſſione, ſeu alio titulo, devolutus fuerit, eadem prærogativa ac immunitate, quibus hodie Imperii Principes fruantur: Quodque partem hujus principatus Equites Hieroſolymitani tenerent, Carolum Regem eam ſibi comparaſſe ac mox Bertrando Bauſco attribuiſſe Lege adjecta, ut ipſe poſterique ejus de Principatu univerſo, tanquam Beneficiarii Provinciæ, Comitibus fidem deinceps præſtare tenerentur. A Bauſcis poſt Annos CLXX. ad Cabilonos perveniſſe & Ludovicum XI. Regem Galliæ cum Wilhelmo Cabilono tranſegiſſe his conditionibus, ut Wilhelmus, acceptis a Rege XLM. aureorum, fidem inpoſterum Regi & Delphino Viennenſi tanquam beneficiarius obligaret, & ejus Subditis ad Gratianopolitanum Senatum appellare jus eſſet, cæteroquin ipſe Titulos Supremi Principis, ſeque Gratia DEI Arauſienſem Principem indigitare, monetam percutere, gratiam Delictorum impertiri, aliaque ejusmodi, quæ ſummi Imperii ſunt, facere poſſet. Ludovicum XII. deinde Johanni Cabilono onus illud appellandi remiſiſſe, ſed a Franciſco revocatum fuiſſe, & interea Philibertum, quod improles eſſet, Renatum Naſſovium Claudiæ Sororis Filium heredem inſtituiſſe atque in Cabiloni nomen adoptaſſe; Dn. per pacta Madritiana rurſus Summum

 Impe-

Imperium Principatui reſtitutum, reſtitutionemque An. M D LIX. de novo confirmatam fuiſſe. Quoad præſentem ſtatum ejus notorium eſt, urbem illam An. M DC LX. M. Martio Regi Galliæ ceſſiſſe, & propugnacula ejus proximo Auguſto Solo æquata fuiſſe, Regemque interea ſe omnia Wilhelmo Henrico Principi, ſi in ætatem is veniſſet, redditurum recipiſſe: Quæ inpoſterum videbuntur: De iſtis vid. *Thulden. ad Annum M DC LX. pag. 432.* Articulos Tranſactionis habes in *Diar. Europ. Cont. III. p. 280.* Sunt & præterea PRINCIPES Galliæ a locis, quos poſſident, quibusve Titulus PRINCIPATUS adhæret, ita dicti: Quales ſunt *PRINCIPATUS des Martigues & d' Anet*, quos Dux Venedosmius nunc habet: PRINCIPATUS *de Guimené* à PRINCIPE ejus nominis, Filio Ducis de Montbaſon poſſeſſus: *De Marſillac*, Ducis de Rochefoucaut: *D' Enrichemont*, Ducis de Suilly: *De Poix*, Ducis de Crequy. Quanquam omnes hi non alia quam Pariatuum, Ducatuum aut Officiorum ſuorum ratione prærogativam obtineant, non habito Principatus ſui reſpectu *L' Eſtat de la France II. II. III. p. 486.* Similiter Dux de Longueville audit PRINCEPS Novi Caſtri, *Prince & Comte de Neufchaſtel, de quo v. ſeq. c. IV. §. V.*

VII. In Italia Ducibus Ferrariæ Titulum PRINCIPIS Carpi tributum diſcimus ex *Limn. L. IV. c. II. num. VII.* Eumque Principatum ſpecialiter & ſimpliciter ita appellatum, tanti nonnullis factum, ut ejusmodi Principes de Conſuetudine talibus locis & præcipue Neapoli præceſſerint non ſolum Comites, ſed Duces etiam ac Marchiones, idem ex aliis Autoribus docet. Adde *Relat. de Ducat. Ferr. in Ph. Honor. Theſ. Polit. P. I. p. 194. & ſeqq.* Eodem pertinet PRINCEPS Monaci, *Le PRINCE de Monaco*, ſeu *Mourgues*, e Grimaldorum Familia. Sed qui reditus ſuos hactenus a Rege Galliæ habuit, quod in urbem ſuam *de Mourges* præſidium Gallicum receperit, ſimul donatus Dignitate Ducis ac Paris Franciæ cum Titulo Ducis Valentinenſis, *de Valentinois L. Eſtat. de la Franc. c. I.* Cæterorum PRINCIPUM Italiæ, qui in ſpecie hoc nomen habent, ſeries fere in Nepotiſmo Pontificum M. latet. In Græcia fuiſſe PRINCIPES Peloponeſi patet ex iis, quæ c. I. §. IV. allegavimus. Wallachiæ & Moldaviæ PRINCIPES adhuc ſcimus, ſed minus validos & Imperio Turcico ſubjectos. Quos PRINCIPIS & PRINCIPIS PRINCIPUM Titulos affectet Imperator Turcicus, attigimus *Diſſ. III. c. III. §. II.*

Ma-

Magnum Ducem Schiraſſiæ ſe PRINCIPEM Sinus Perſici inſcribere prodidimus *Diſſert. VII. c. III. §. II.* De PRINCIPIBUS ſub Magno Mogore Vid. *Mandelslo Itin. p. 94.*

CAPUT. IV.

Principes Hereditarii ad Principes Sanguinis relati, Numi memoriales in Nativitatem hodierni Regis Angliæ, Inauguratio Principum Walliæ & Aſturiarum: Principes Sanguinis ſecundo geniti, Heruli, Anglorum Clytones, Adelingi: Gallorum Valeſii, Filii Franciæ: Hiſpanorum Infantes, veterum Principes Juventutis, Deſpotæ: Prærogativa Principum Sanguinis Galliæ, Angliæ, Hiſpaniæ: Inſignia eorundem: Principes Sanguinis in Gallia: In Anglia & Scotia: Filiorum Naturalium conditio, Baſtardi Burgundiæ: Filii Naturales Regum Angliæ, Daniæ, Portugalliæ, Hiſpaniæ, Galliæ.

I.

PRINCIPUM Sanguinis nomine comprehendimus (I) Liberos Regum, Electorum, Ducum, Principum in univerſum omnes, quod ſignificatum obſervare eſt in communi Germaniæ noſtræ phraſi, dum univerſam prolem maſculam nomine Principum, Printzen & Junge Printzen / ſalutamus. (II) Heredes eorundem ac primogenitos. Sic intuitu ſucceſſuræ Dignitatis Ipſorum apud nos Chur-Printzen / Erb-Printzen / vocantur &c. Et in Anglia natum Sereniſſimum Regem Carolum II. antequam Princeps Walliæ diceretur, Magnæ Britanniæ &c. PRINCIPEM appellari placuit: Fratrem vero Illuſtriſſ. Dn. Jacobum tantum Ducem Eboracenſem, quod Numis memorialibus tunc exprimi curarunt, quos his adjici B. lectori non ingratum fore confidimus.

Numus Aureus in memoriam nati Sereniſſimi Regis Angliæ Caroli II. erat:

HONOR. PRIN. MAG.
BRIT. FR. ET. HIB. NAT.
29 Maj ANN. 1630.

Averſa: Trifolium quadripertitum Inſignia quatuor Regnorum gerens cum Impreſſa: HACTENUS ANGLORUM NULLI.

In Memoriam Ejuſdem Baptiſati:

MEM. CAROLI PRIN. MAGN.
BRIT. FRANC. HIBERN.
NATI 29. MAJ. BAPTIZ. 27. JUN. 1630.

Aver-

Averſa eadem, quæ prioris Numi. In Memoriam Ducis Eboracenſis nati: Pars altera caput Leoninum ſuſtinens cum verbis:

DUX EBUR. NATUS OCT. XIV.

1 6 3 3.

Ab altero latere inſignia cum verbis: NON SIC MILLE COHORTES.

Eodemque nituntur Tituli Principum, quos primogeniti Regnum Regnorumque heredes paſſim ferunt, ut in Hiſpania Princeps Aſturiarum, in Anglia Princeps Walliæ, in Suedia Princeps Hereditarius, de quibus egimus præc. *Diſſ. III. c. IV. §. II. & IV.* Atque ex abundanti hic addimus in Anglia peculiarem inveſtituram requiri, qua filii Regum, Principes Walliæ fiant, hujus ſpecimen manifeſto diplomate exhibet *Selden. Titles. Of. Honour. P. II. c. V. & ex eo Linda Deſcr. Orb. p. 404. Edovardum Principem Walliæ fecimus & creavimus & dictum Principatum ipſi dedimus & conceſſimus & per cartam noſtram confirmavimus, ac ipſum de dicto Principatu, ut ibidem præficiendo præſideat & præſidendo dictas partes dirigat & defendat, per Sertum in capite & annulum in digito aureum, ac virgam argenteam, inveſtimus juxta morem habendum & tenendum de nobis ſibi & heredibus ſuis Regibus Angliæ in perpetuum cum omnibus dominiis & terris noſtris Northwalliæ, Weſtwalliæ, Southwalliæ, ac Dominio, Caſtro, Villa & Comitatu de Caernervan.* Sic Jacobus Rex cum primogenitum filium Henricum crearet Principem Walliæ & Comitem Ceſtriæ dicit, ſe conferre ipſi *nomen, ſtilum, titulum, Statum, Dignitatem & honorem Principatus & Comitatus eorundem.* Inaugurationem deinde præſtabat, *ut ibidem præficiendo præſideat & præſidendo dictas partes dirigat & defendat per cincturam gladii, traditionem & poſitionem ſerti in capite & annuli aurei in digito, nec non virgæ Aureæ in manu, ut eſt moris, habendum ſibi & heredibus ſuis Regibus Angliæ in perpetuum. Quare volumus & firmiter præcipimus pro nobis & heredibus noſtris, quod prædictus Henricus filius noſter habeat Nomen, Stilum, titulum, ſtatum, dignitatem, & honorem Principatus Walliæ & Comitatus Ceſtriæ prædictum ſibi & heredibus ſuis Regibus Angliæ, ut prædictum eſt &c.* Pat. IIX. Jacobi Reg. Part. IX. N. XVII. *ap. eund. Seld.* Similiter Principem Aſturiarum peculiari Inauguratione confirmari oportet, quæ præſtatur induto pallio, impoſito pileo, & manui indito baculo aureo a Rege, ſicque Princeps Aſturiarum pronunciatur. *Seld. ead. P. II. c. IV.*

II. PRIN-

II. PRINCIPES Non Regnantes vero, ſeu ſecundogenitos ſeorſim ita dici communi Regnorum conſuetudine nunc receptum eſt. Laudavimusque hanc in rem præced. c. 1. verba *Rulmanni Harangv pag. 66. Le Nom & la qualité* de Prince *ne appartenoit qu' aux* Princes *du ſang' & abſolument celuy de Prince, au Premier.* Sic Petrus Alphonſi nunc Ex-Regis Portugalliæ frater, durante fratris Regimine PRINCIPIS nomen tulit, idemque, dum locum Fratris ſumſit, huc usque retinuit. Similiter Illuſtriſſ. Georgius, Sereniſſimi Regis Daniæ ſecundogenitus nunc PRINCIPIS nomine paſſim ſalutatur. In Hiſpania item Ferdinandus Imp. Caroli V. frater titulo Infantis & PRINCIPIS ſæpiſſime uſus fuit; Et Albertus ac Iſabella Archi-Duces in Belgio Regio id cognominis paſſim tulerunt. Vid. *Johann. Bochii Hiſtor. Narrat. Profectionis &c.* Ac licet ſeorſim Duces, Comites & ſimiliter vocentur, conjunctim tamen hoc unicum Nomen ipſos manet. quod & in Anglia uſu venit, ubi *The Princes of the Blood* ſalutantur. Mediis ſeculis vocati ſunt Heruli, Domnicelli, qu. minores Domini, Vid. *Lex. Cal. V. Infans.* Germanice Junckern / junge Herren / de qua Voce quia Nobilium nunc fere propria eſt, pluribus agemus Diſſert. XI. de Nobilibus: Anglis temporibus Saxonum *Clytones & Clytunculi*, a κλυτός, Illuſtris vel Klyn i. Klein / h. Junior, minor. Vid *Roger. ab Hoveden. p. 1. p. 436. Ed. Francofurt. Henr. Huntington. Ed. Fr. p. 1363.* Sic in confirmatione ordinis Benedictinorum ab Edgaro facta An. D CCC LXVI. poſt Regis & Archiepiſcopi Cantuarienſis nomen leguntur: Ego *Edmond.* Clito *legitimus præfati Regis filius crucis ſignaculum Infantili florens ætate manu propria indidi.* Et: *Ego Eadweard eodem Rege* Clito *procreatus præfatam patris munificentiam crucis ſigno conſolidavi.* Etiam Athelingos & Adelingos vocatos eſſe ubivis obvium eſt. V. *Lit. Athelſtani R. f. 71. & Canut. C. 55. Et Orderic. Vital. Eccleſ. Hiſtor. L. XII. f. 863. B. Gullelmus* Adelingus, *quem Anglici Regni legitimum heredem arbitrati ſunt.* Ubi loquitur de filio Henrici I. Regis. V. *Selden. Nott. ad Eadmer. p. 159. Et Tit. of Hon. P. II. c. V.*

III. In Regno Galliæ PRINCIPES Sanguinis a pleriſque Hiſtoricis Valeſii *(Valois)* dici ſolent, ſed rem hanc improbat *du Hallan L. III. p. 338. Nos Rois, ni leur Enfans n' ont point leur ſurnom de Valois, quoi qu' en dient nos François ignorants l' Hiſtorie, auquels il n' eſt poſſible faire croire le rebours, tant & ſi avant eſt credit Surnom entré*

trè en leur opinion. Voire que ceux, qui ſurnomment François I, Henri II, Francois II, & Charles IX. Valois leur font injure. Car jamais nos Rois n'on, teu Sur nom de Valois, ains eſt ceſte erreur venue de la mocquierie, des Anglois, les quels ſur la querelle de ce Royaume pretendu par Edward II. leur Roy ſur Philippes Comte de Valois, de puis Roy appellent le dit Roy Philippes, ſinon Philippes de Valois, pour ne præjudicier a leur droict pretendu. Et de puis, je ne ſçai par quelle fantaſie on a recommencé d'appeller les Rois, que deſſus, de Valois: car on n'a jamais donné le ſurnom à tous les autres Rois, quil ont eſté *entre ledit Philippes de Valois & le dit François le Grand, comme a Jean, Charles V. VI. VII. Loys XI. Charles VIII. & Louys XII.* Contra vero ſe Filios Franciæ aliquando appellarunt. *Jadis quelques fils de Rois ont porté le Surnom de France; Mais cela a peu duré & ne ſignent plus que par leur nom, Du Haillan 338.* Sed noſtro tempore id in ſuum revocavit Gaſtonus, qui ſe inſcripſit *Fils de France*, Oncle du Roy &c. Et fratres Regii ibidem Titulum *Monſieur* ferunt ſine adjecta qualitate alia, quod noſtro tempore in Sereniſſimo fratre Regio Philippo obſervare licet. Sexus Fœmininus item in proximo gradu Lineæ rectæ aut Collateralis titulum *Madamoiſelle* aut *Madame* gerit, quo ante prolem iſti Sexus præſente Sereniſſimo Rege Ludovico XIV. natam afficiebatur Illuſtriſſima Dux Aurelianenſis Gaſtoni fratris Ludovici XIII. filia: *La premiere & la plus grande Princeſſe, qu'il y ait en France, eſt* Modomoiſelle, *qui eſt ainſi appellé, ſans y adjouſter autre qualité, parce qu'elle eſt la premiere* Madamoiſelle *de France* L'Eſtat de la France L. II. P. II. p. 455.

IV. De Hiſpaniæ ac Portugalliæ Regum Liberis ead. Diſſ. III. monuimus, eos *Infantes* dici ſolere, Titulo Utrique ſexui familiari, quemque toto vitæ ſuæ tempore retinere amant. Sic de antiquis temporibus jam tum *Mariana L. X. c. IV. Carrionis Reguli Dieghus & Ferdinandus* (Infantes *vulgo dicimus*) *viri ea etate in Hiſpania genere & copiis nobiliſſimi.* Et Sanct. L. III. c. XXVII. *Rodericus ad curiam Alphonſi Regis apud Toletum acceſſit Juſtitiam petiturus contra* Infantes *Carrionis.* Unde *Infantaſicon*, loca poſtgenitæ Proli Regiæ Apanagii viſe conceſſa. *Mariana L. IX. c. VII. Urace Zamora, Evira Taurus ceſſerunt: Quæ urbes* Infantaſicum *dictæ ſunt, voce eo tempore uſitata ad eam hereditatis portionem, quæ minoribus Regum filiis vitæ cuſtodiendæ obveniebat, ſignificandum.* Apud Veteres Imperatores

res idem denotabat Titulus *PRINCIPUM Juventutis:* Quod agnomen primo datum Duci ordinis Equeſtris. Vid *L ipſ. Elect. L. II. c. 1. Caſaub. in Spartian. Ael. Ver. Bullinger. de Imper. Rom. L. V. c. VII.* Inde habuerunt Lucius & Cajus nepotes Auguſti. V. *Gruter. Inſcr. 231. Caſaub. in Sueton. Aug. Tacit. L. 1. Ann. & ib. Lipſ. num. XIIX. Numiſm. Occon. in Octavian. &c.* Ac Tiberius eundem Titulum geſſit: *Senatus Populusque Rom. Cæſari Auguſti F. Pontifici Conſuli deſignato PRINCIPI Juventutis.* Quæ inſcriptio eſt in Mumis Tiberii ap. *Occonem.* Et de Nerone *Tac. XII. Annal. Cæſar. Adultioribus Senatus libens ceſſit, ut viceſimo ætatis anno Conſulatum Nero iniret atque interim deſignatus Proconſulare Imperium extra Urbem haberet ac* PRINCEPS Juventutis *appellaretur.* In Imperio Græco hunc honorem efferebant *Deſpotæ* Nomine. Οἱ τȣ̃ βασιλέως υἱοὶ Δεσπόται πρoΐςανται τῶν ἀδελφῶν καὶ τῶν γαμβρῶν τȣ̃ Βασιλέως Δεσποτων καὶ αὐτῶν ὄντων. *Filii Imperatoris,* Deſpotæ, *precedunt Fratres & Generos Imperatorios, qui itidem* Deſpotæ *ſunt.* Codin. de Offic. Conſt. qui & modum eos creandi ibidem docet. Et Johann. Cantacuzenus de ſeipſo: *Miſſa triremi in Theſſaliam filium Manuelem acceſſit, eumque Conſtantinopoli cum Nicephoro Duca genero ſuo* Deſpotam declarat &c. Sed hæc poſtremis Imperii iſtius temporibus ita fiebant. Primum enim *Deſpotæ* ſoli illi erant, qui proximum ab Imperatore locum habebant. Unde *Niceph. Gregoras L. VI.* honorem hunc τῆς βασιλείας ἔγγιςον ἀξίωμα, *proximam Imperio Dignitatem,* vocat, quemadmodum Sebaſtocratores primum proximo ab Imperiali Dignitate, deinde Deſpotatu interjecto, aliis non adeo longe remotis tribuebatur. Aliis vero etiam obveniſſe eum, diſcimus ex Cagani Turcarum Ducis Titulo: Ὁ μέγας Δεσπότης ἑπτὰ γενῶν καὶ Κύριος κλιμάτων τῆς οἰκȣμένης. Et Johannes Wallachiæ Regulus eodem uſus fuit in literis ad Joh. Zygomalam datis Anno MDLXII. Δεσπότης βασιλεὺς Μολδαβίας Vid. *Cruſ. Turcogræc. L. III. p. 247.* Quod nos tamen Dominum reddiderimus, eo ſenſu accipiendum, quo Reges Hiſpaniæ Nomen *Don* Titulis ſuis præfigere ſolent.

V. Prærogativa illorum nunquam non inſignis fuit, & tanto quidem illuſtrior, quanto ampliori exiſtunt origine. De Græcis repetentur, quæ nunc diximus. In Gallia a Provocationis ac Duellorum periculo exempti ſunt, nec capitis damnantur, præferunturque ipſis Paribus Franciæ, quanquam & hoc nomine aliquando inter eos

controverſatum fuerit. In Sacro ordine qui vivunt, reliquos antecedunt, etiamſi inter primos conſtituti non ſint; Et ſequior ſexus etiam, licet Inferioris dignitatis alicui ſe junxerit, præcedit alias Illuſtriori conjugio donatas Singula iterum declarabimus ex ſæpius laudato du *Haillan cit. L. III.* ut de duellis p. 338. *Entre autres il ſont exempts des Combats & par expres doivent eſtre exceptés apres la perſonne du Roy és cartels des ſujets: Voire jadis les Rois ne permetteront, que les Princes du ſang ſe hardeſſent aux tournois & combats plaiſans pour l' inconvenient, qui en peut advenir, comme il s' eſt veu ſouvent: Ce qui s' eſt fait avec grande Conſideration, Car plusieurs Regnes & Eſtats ont pris fin en la mort des Princes de leur ſang:* Mox de condemnatione p. 339. *En la* Lignee de Hues *Capet, qui dure encor & eſt la III. de nos Roys, il ne ſe trouve condemnation d' aucun Prince du ſang, que par contumace, fors celle de Jean Duc d' Alençon au temps de Charles VII. non executeé & par apres abolie.* Quod & noſtro tempore in Ludovici XIII. exemplo claruit, qui licet graviſſimas cauſas animadvertendi in fratrem Gaſtonum haberet, eoque nomine aliquoties moneretur, ſemper tamen indemnem præſtitit & leni excuſatione, *C. eſt mon frere*, eſſe fratrem ſuum, dimiſit, Vid. *Lentul. in Princ. Abſol. ad XIV. Annal. Tac. AX. II.* De prærogativa Parium ejus judicium eſt, *que la Pairrie ſeule eſt moindre qualité, que la Principauté du ſang*, deinde ſequitur: *Souvent y a eu debat entre les Pairs cleres & les Princes du Sang, a qui precederoit en ceremonie & lieu public: un autre, entre les Princes du ſang Paires, & les non pairs plus aiſnes, que les dits Pairs; & un autre entre les Princes du Sang Pairs & les Princes Pairs n' eſtans du ſang, & neant moins plus anciens Pairs, que les dits Princes du ſang, ou qui en leur Pairrie repreſentoient un des plus anciens Pairs, Premier en qualité, que ceux repreſentés par le dit Prince du ſang. Quelques fois aſſi les Princes du Sang, Ducs plus esloignés de la couronne ont precedé les Princes & comtes plus proches, les choſes ayant eſté conteſtees, en fin a eſté arreſté, qu' il n' y aura regard à qualité de Duc ou Comte, ains à proximité du rang Royal.* De ſexu fœminino & ordine ſacro: *Auſſi les Princeſſes du ſang mariées à moindres qu' eux, peuvent tenir leur rang, comme auſſi les Princes du ſang, qui ſont d' Egliſe. Car l' Ordre Eccleſiaſtique ne leur diminue en rien le degré naturel ni la preeminence.* In Anglia ſimiliter *Principes Sanguinis* anteeunt reliquos proceres. Minorennes tamen ſi ſint & primogeniti eorum, qui Du-

ces

ces ex Regio ſanguine ſunt, ſequuntur Duces communes, ſi ſecundogeniti, Comites & Marchionum natu majores filios. In Hiſpania Rex Infantibus Regiis locum conſidendi intra velum attribuit: Quem locum & honorem ſibi quoque Johannes Auſtriacus Caroli V. Naturalis olim *dari petiit. Sed Philippus II. qui urbe tunc aberat, ne quid contra Juvenis ſpem ſtatueret ſuper loci Dignatione, ingreſſu Urbis abſtinuit, exceptumque carius, quam magnificentius in Pardi villa, inde confeſtim exaggerata Provinciarum neceſſitate dimiſit.* Strad. de B. Belg. Dec. I. L. X. p. 703.

VI. In Germania Principes ſecundogeniti ac ſanguinis integros majorum ſuorum titulos ac Inſignia gerunt. V. quos titulos paſſim admittant Sereniſſimi Marchiones Brandenburgici, Linea Brentiana e Ducibus Würtembergicis, Apanagiati Landgravii Haſſiæ, Archi-Duces Auſtriæ vel Apanagio vel Paragio donati. In Gallia contra ſplendidis quidem titulis utuntur, ſed a Regio diverſiſſimis. Sic Gaſtonus, Franciæ natus titulum gerebat: *Gaſton Jean Baptiſte, Fils de France, Oncle du Roy, Duc de Chartres, de Valois & d' Alencon: Comte de Blois, de Mont bery, & Limours, Gouverneur de Languedoc, & du Pont S. Eſprit: Lieutenant General du Roy par toute la France, Chef de ſes conſeils & Generaliſſime de ſes Armées.* Quem tamen filia ejus cum alio commutavit, qui eſt: *Anne Marie Louyſe d' Orleans; Ducheſſe de Montpenſier, de S. Fergeau & de Châtel-eraud; Princeſſe de la Roche-ſur-Yon, & de Luc, Marquiſe de Meſieres, Dauphine d' Auvergne, Comteſſe d' Eu, Bar-ſur-Seine, Mortain, Châtillon les Dombes; Vicomteſſe d' Auge, Broſſéas & Damfront, Barone de Beaujolois, Combrailles, Argenton, Roacheville &c. L' Eſtat d. la France c. l.* Inſignibus vero cum Regiis utuntur iisdem, cum hoc tamen diſcrimine, ut *Carram*, h. Lineam transverſam a dextro ductam in iis habeant, quo Inſignium genere Principes Condæi noti ſunt, qui Lilia Galliæ Barra ejusmodi obſita geſtant. Unde & cum in convivio Henrico Principi Condæo acclamaretur, *Bar à bas*, & *Oſtez la barre*, id Criminali læſæ majeſtatis ipſi datum fuit, q. Regnum affectaret. *Beſold. Op. Pol. de Ordin. Civ. c. X. n. X. Müller. Gamol. c. XXVI. §. V.* In Anglia ratione Inſignium hoc peculiare habent, quod primogenitus Regis, æque ac reliqui omnes crucis ac liliorum notas in coronettis ſuis gerant, atque in eo a reliquis Ducibus differunt, qui cruces quidem & flores, ſed alios, non flores Liliorum habent.

Quanquam & primogenitus hoc peculiare habeat, quod inſignibus arcum ſimplicem eiq; impoſitum globum & Crucem addat: *The Heir apparent of the Crowne fort be time Shall uſe and beare his Coronet compoſed of Croſſes and Flowers de Lices with one Arch, and in the midſt a Ball and Croſſe. The Brothers and yonger ſonnes of the Kingare to have their Coronets of Croſſes and Flowers de Lizes onely.* Quod excerpſimus *ex M. S. the Earle Marchal Booke Statut*: Sereniſſimi Caroli II. in Curia Heraldorum.

VII. Atque ut Familias aliquot PRINCIPUM Sanguinis recenſeamus: In Gallia talis eſt præter prolem Regiam Sereniſſimus Dux Andegavenſis *Philippus, Filius Franciæ*, ac Frater Regius; Et ante hunc erat Gaſton Johannes Baptiſta Ludov. XIII. Frater, & Dux Aurelianenſis. Quæ nomina hactenus communiter ita uſurpata ſunt, ut proximo alterutrum horum, tertio reſiduum, quarto Nomen Alenconii tribueretur. Quod tum ſuperiori ſeculo vidimus in Fratribus, Henrico Andegavenſi, qui poſtea Rex ejus Nominis III. fuit, & Franciſco Hercule, Duce Alenconio, tum noſtro ſeculo, quando Gaſtonus, Fratre ipſius Nicolao ſuperſtite ac nomen Ducis Aurelianenſis gerente, Dux Andegavenſis audiebat, & mortuo poſtea Nicolao Dignitatem Ducatus Aurelianenſis induebat. Quanquam & in progenie Naturali hoc nomen reperire ſit, ita tamen, ut non Ducis Nomen, ſed ſimpliciter *d' Orleans* adjectum ſit: Quod geſſit hactenus, qui in Pace Germano-Gallica Legatum Regis Galliæ agebat: *Henry* d' Orleans, *Duc de Longueville & d' Eſtoute ville, Prince & Comte Souverain de Neufchaſtel &c.* V. Litt. Plenipot. Regis Galliæ Inſtr. Pacis & alibi paſſim inſertas. Et ratio forſan fuerit, quia ex Linea Ducum Aurelianenſium ortum trahit, deſcendens a Johanne Ludovici Ducis Aurelianenſis & Fratris Caroli VI. Regis Naturali Filio, qui & rebus ſub Carolo VII. contra Anglos geſtis nomine Baſtardi d' Orleans & Comitis Dunenſis tunc enituit. Similiter ad Principes Sanguinis pertinent PRINCIPES Condæi *(les Princes de Conde)* quorum Origo eſt a Ludov. Bourbonio Fratre Antonii Bourbonii Regis Navarræ & Henrici IV. Parentis, ex quo natus Henricus I. & ex hoc Henricus II. ex quo iterum natus Anno M DCXXI. adhuc ſuperſtes Ludovicus de Bourbon II. Princeps Condæus, & Anno M DC XXIX. Armandus de Bourbon, Princeps Contius, *(de Conty.)* Iſtius Filius ſolito ipſis nomine ſalutatur Dux Anguinenſis,

ſis, *le Duc d'Anguien.* Atque idem tempore Henrici prætenderunt Principes de Courtenay, cauſati ſe ex Ludovici Sancti progenie ſupereſſe, ſed nec dum id obtinere potuerunt. *L'Eſtat de la France L. I. c. X. Et L. III. p. II. c. I.* Hodie ex noviſſimo pacto Gallicano Dux Lotharingiæ receptus eſt inter PRINCIPES Sanguinis, ſub annexa Lege, quod poſt Obitum moderni Ducis totus Ducatus uniri debeat Coronæ Gallicæ: Contra quam tamen Agnati proteſtati ſunt. Vid. *Spreng. Luc. Imp. C. II. p. 204.*

VIII. In Anglia PRINCIPES Sanguinis ſunt: Illuſtriſſimus Dux Eboracenſis Jacobus Frater Regius, & natus ex eo Filius Dux Cantabrienſis. Poſt hoſce Illuſtriſſ. Rupertus Palatinus, creatus Dux Cumberlandiæ. Si plures Fratres Regii ſint, poſt Eboracenſem proximus Dux Gloceſtrienſis vocari ſolet, quod nomen tulit Frater moderni Regis Anno MDCLX. defunctus. Olim tales etiam Lancaſtrenſes dicebantur, quod nomen in diutiſſimis iſtis motibus internis in Anglia Roſæ Albæ & Roſæ Rubræ, ſeu Eboracenſium & Lancaſtrenſium ſatis innotuit. In Scotia Secundogeniti proprius Titulus eſt, ut Comes Roſſiæ, *the Earle of Roſſe*, dicatur. *The Earl dome of Roſſe falling unto the Crowne in the time of King James the Third. was ſoſetled in the Crowne by Act of Parliament, that it is not lawfull for the King to ſell, alienat or diſpoſe the ſame unto any otherthen to the* Second Son of Scotland. *The life of K. Charles. P. 1. p. 3.*

IX. Ultimo loco & inter Cognata hujus materiæ *Filios Naturales* Perſonarum Illuſtrium commemorabimus, qui licet non cenſeantur eſſe de Familia Parentis *l. ſi ſpurius ff. Unde Cognati*, nec Paterna Dignitate gaudeant *L. cum Legitimæ Nupt. factæ ſint. ff. de ſtat. Hom.* ac præterea illa potiſſimum infelicitate afficiantur, ut etiam in defectu legitimorum heredum ſucceſſionis fere non capaces habeantur: Communi tamen conſuetudine gentium Nobilibus accenſentur. Vid. Conſt. Ducatus Sabaud. apud *Tiraquell. de Nobil. c. XV. n. XV.* De Lotharingia *Conſuet. Lotharing. Tit. 1. §. XII.* Unde & Burgundici olim inter nobiliores Titulos ſuos retulerunt, ut *Baſtardi vocarentur.* Sic Cornelius Philippi Ducis Naturalis Filius ſe ſignavit: *Corneille* Baſtard de Bourgoigne, *Lieutenant*, Gouverneur & & Capitaine General Duché de Luxenbourg & Comte de Chiny. *Bertel. in Hiſtor. Luxelburg. f. 477.* Item Naturales Philippi Boni: Antonius, Philippus &c. *Burgundiæ Baſtardus Pont. Heuter. de Li-*

ber. Natural. c. XVI. n. II. Quod & de Ducum de Longueville Genitore monuimus *praced. §. VII.* Et de Galliæ Regum Filiis Naturalibus, ſcribit *L' Oyſeau des Ordres c. VII. n. XCI.* Les Baſtards *des Roys furent anciennement rangè & dediè a l' Egliſe: Mais de puis ceſte Regle, de les exclure de la Couronne eſt eſtablie par tant des ſiecles, nos Roys ne font plus du doute, ny d' advouer leurs enfans naurels, ny de les laiſſer mari. Voire meſme ils legitime tout & par tout, fors de la Succeſſion du Royaume & ce par lettres expreſſes, qui portent clauſe, qu' ils marchent immediatement apres les Princes du Sang: De ſorte qu' il ne faut nullement douter, que les Enfans naturels des Roys, & tous les deſcendans* legitimes d' iceux n' ayent le Titre en rang des PRINCES. Hinc & Inſignia majorum ſuorum alicubi geſtant, ſed ita ut Barram a Siniſtra ad dextram obductam habeant. *Une* Barre *prenant du haut des armoiries a gauche & tirans contre bas a droite. Bouvot.* Arreſt. T. II. V. Baſtard. Q. III. *Les Baſtards des Seigneurs portent les armes des maiſons des leur Peres, ſans autres deſtinations, ſi non de Barre gauchere.* L' Oyſau des Ordr. V. LXIII. Vid. plur. *Müller. Gamol. c. XXVI. §. I. II. III. IV.*

X. Inter extantiores noſtrorum temporum ſunt: In Anglia Illuſtriſſ. *Dux Monmuthenſis* Caroli II. Filius Naturalis, nunc XX. admodum Annorum Princeps. In Dania celebris fuit Chriſtiani IV. Filius, Comes *Waldemarus*, profectione in Ruſſiam & bienni cuſtodia, qua Magnus Dux ipſum attinebat, ſatis notus, qui obiit Anno M DC XLV. paulo poſt quam interventu Stephani Stephowsky Caſtellani Braclavienſis & Legati Vladiſlai Regis ad M. Czarium liberatus fuerat. Vid. *Piaſec. Chron. f. 521. Brachel. L. VI. ad Annum M DC XLV. p. 99.* Taliſque etiam fuit *Eleonora*, Ulefeldii Uxor, ex Chriſtina Nobili Fœmina ap eod. Chriſtiano ſuſcepta: Item hodiernus Vice-Rex Norvegiæ &c. In Regno Portugalliæ ſuperiori ſeculo, & tempore inſtitutarum de Regno Portugalliæ litium famoſus erat *Antonius Prior de Crato*, Regni per aliquot hebdomades tunc poſſeſſor & Ludovici ſecundogeniti Emanuelis Regis Naturalis Filius, quod ab illo tamen negatum fuit cauſato, Parentis ſui cum Violanta matre clandeſtinum Conjugium fuiſſe, eiq; rei tres Teſtes afferebat. Sed Ludovicus ipſe in Teſtamento ſuo Antonium Naturalem vocaverat; Ac proinde fruſtra hæc allegabantur. Vid. *Anton. de Souſ. Luſit. Liber. L. I. c. IV.* In Throno Romano Alexander VI. P. M. Filio

Filio Cæſare Borgia orbem oneravit. In Hiſpania Philippi IV. Naturalis eſt Epiſcopus Mallagenſis, nunc Generalis Inquiſitor redditus, tum Illuſtriſſ. Johannes Auſtriacus, *Don Jean d' Auſtria* natus ex Fœmina Scenica Calderona & publica Parentis agnitione An. MDC XLII. legitimatus. Quam totam rem, & quemadmodum tunc habitus fuerit refert *Vittorio Siri T. II. del Mercur. L. I. f. 357. Nacque* Don. Giovanni *d' una Comediante dett* a Calderona *di mediocre bellezza, ma di vezzo ſingolariſſimo. Queſta doppo ſi auventuroſe parte, addimando in grazia al Re, di poter ritirar ſi dentro un Monaſterio di Monache, douo anchie allora viveva in babito ſeculare con eſſemplarit a grande. Dou Giovanni doppo ſi favorita publicatione, fà à bacciare le mani al Regina ed al Principe l' accosle quella contratto dozzinale ed inſipido, Queſti gli diſſe attandulo di Vos, che l' amarebbe molto, quando ſerviſſe bene la Maeſta di ſuo Padre. Fù proviſto del Gran Priorato di Caſtilia della Religione di Malta, con tutti frutti decorſi dalla morte del Principe Filiberto finò a quel punto. Honorato poſcia del Titolo di Generaliſſimo di Portugallo, tanto in mare quanto in terra da quella parte, con Ordine d' andare à reſedare in Zafra, luogo vicino a Ciudad Rodrigo in Eſtremadura. Gli aſſegnarorno la Caſa contutti i ſerviti Reali: Conſtituto per Gouernatore della ſua giovenezza il Marcheſe di Caſagnedo.* Sed horum maximam partem interjectum tempus mutavit. Virtutem ac morum ejus ſpecimina in Bello Hiſpano-Gallico edita exhibet *Thulden. Anno MDCLVI. Enn. 1. L. VI. p. 254. & ſeqq.* Quo animo inpoſterum Regnum Hiſpaniæ proſecuturus ſit, curioſus orbis avide expectat. Simili nomine parique virtute donatum *Johannem Auſtriacum* ſeculum ſuperius vidit, Filium Naturalem Carolo V. Imperat. genitum, ſed matre incerta, rariſſimo cum Exemplo, Patrem ſciri, ſed matrem manere incognitam. Cujus rei teſtem laudamus *Stradam cit. L. X. Dec. 1. pag. 731. Sibi a viro Principe patefactum eſſe, Johannem Auſtriacum non ex Barbara Blomberga, uti creditum ad eam diem, ſed ex longe illuſtriori ac plane Principe Fœmina procreatum, cujus ut famæ parceretur, prætentam fuiſſe olim a Carolo Cæſare, ac perſonam Matris impoſitam Blombergæ haut gravate ſubeunti ſpecioſum culpæ titulum. Eodemque loco habitam a Philippo Rege ſcenæ pariter inſerviente: Sic Philippum ipſum Iſabellæ filiæ, cum qua arcana omnia communicabat, aperuiſſe &c.* Tum addit: *Quod ſi ita eſt, habet profecto, unde minus ſibi*

ſibi de ſua ſagacitate placeat humanum Ingenium, quando tantus Princeps (Johannem indigitat) *atque intima quæque vel in hoſte rimari ſolitus, domi ſuæ ſuorumque ignarus adeo vixerit, obieritque ut bis* in matre deceptus, (Erat id in Magdalena Ulloa, quæ educaverat ipſum, & dicta Blomberga) *ſemper alienam coluerit, nunquam ſuam.* De Virtute ac rebus geſtis ejus *vid. eund. ibid.* Ejusdem Sortis erat *Margarita Parmenſis* Carolo V. progenita Filia, ex qua natus Al. Farneſius Johannis Auſtriaci in Belgii gubernatione Succeſſor fuit. Vid. *Strad. eod. l. & Dec. II L. I. & ſeq.* In ſuperſtite ſerie Filiorum Naturalium Galliæ recenſemus I. *Henricum Ducem de Longueville*, ex Ludovico Caroli VII. R. G. Fratre progenitum, cujus conditio repetenda ex præc. §. VII II. *Cæſarem de Vendoſme* Henrici IV. Filium Naturalem natum ex *Gabriela d' Eſtrées* Duciſſa de Beaufort & Marchioniſſa de Monceaux: Unde nati, *Ludovicus de Vendoſme*, Dux de Mercœur: *Et Franciſcus de Vendoſme*, Dux de Beaufort, & Magnus Admiralius Franciæ natus M. Jan. An. M DC XVI. & orbi nunc ſatis notus. III. *Henric. Bourbonium* Ducem de Vernuëil in hæc usque tempora ſuperſtitem eodemque Henrico IV. ex *Henrica de Balſac* Marchioniſſa de Vernuëil genitum. Præter quos ſeculum noſtrum vidit *Alexandrum de Vendoſme*, ante dicti Cæſaris Fratrem atque ad Bois de Vincennes mortuum; Et *Catharinam Henricam*, Uxorem Ducis d' Elbeuf ac Vendoſmii Sororem ; *Gabrielam* Sororem Ducis de Vernuëil & primam Uxorem Ducis Eſpernonii; *Antonium de Bourbon*, Comitem Moreti, & Matre Jacoba de Bueil Comitiſſa Moreti natum, qui in prælio ad Chatelnau d' Arry cecidit; *Johannam Baptiſtam de Bourbon* ex Carola des Eſſars Comitiſſa de Remorantin natam. Omnes eodem Parente Henrico IV. ſeu Magno genitos, cui unus hic a Venere nævus erat; Sed noxa eo Regibus leviore, quod populus raro opprimitur ea labe; Vix enim ſævire poteſt, qui amat: Quod *Gramondi* de ipſo eſt judicium, *Hiſtor. Hall. L. 1. p. 9.* Adde *L' Eſtat de la Franc. L. 11. P. 1. c. 1. & 11.* De Principum Imperii Liberis Naturalibus V. *Müller. Gamolog. C. XXIII.*

DIS-

DISSERTATIO IX.
DE
COMITIBUS.
CAPUT I.

Anglorum Earle, *Germanorum* Grafe: *Comitatus, Vexillationes Comitatenſes & Pſeudo-Comitatenſes: Anglorum Comitatui & Shiræ: Initia Comitum in Germanis quæſita, Cantabra Romanorum: Comites trium ordinum: Comites veteres Illuſtres, Comites Conſiſtoriani, Orientis, Domus Divinæ, Largitionum, Commerciorum &c. Protocomes, Comes ſtabuli.*

I.

NOmen COMITUM nulla peculiari explicatione egere arbitramur: Græci itidem Κόμης dixere, & in Caſu Obliquo Κόμητος &c. Vid. *Meurſ. Gloſſar.* Angli *Earle* dicunt, i. Erlig ſ. Ehrlich/honeſtus, Nobilis, potens; ſucceſſitque Normannorum tempore in vices veteris Saxonici *Ealderman* ſ. Alderman/ ipſo ad Inferioris notæ Dignitates rejecto; *Alderman* enim in Anglia Senatorem ſignificat. Qua in re nos juvat *Camden. Brit.* Tit. de Ordd. Angl *pag. 103. Saxones noſtri, quos ſua Lingua* Ealdorman, *Latine* Comites *dixere; Quos* Eorlas *Dani vocarunt, aut autor eſt Ethelwerdus, quo nomine emollito* Earles *hodie appellantur.* COMITEM proprie deſignare ex eo liquet, quod horum, qui *Earles* audiunt, Uxores *Counteſſes* dicantur; Et in LL. Athelſtani Saxonice ſcriptis legitur: *The weregild of an Archbishop, of and an Earle in XVIII. Thrimſacs:* Quod Joh. Brompton reddidit *Comes.* Seldenus tamen de Principe Sanguinis accipit, quia junctum ſit Archiepiſcopo, cui non niſi qui e Sanguine Regio eſſent jungi ſoliti fuerint. *Titl. of Hon. p. II. c. V. num. II.* Germanicum noſtrum Grafe a multis retro ſeculis COMITEM denotaſſe docemur verbis *P. Diaconi L. V. c. XXXVI. Hic dum eſſet in Tridentina Civitate, cum COMITE Bajoariorum*, quem illi Gravionem dicunt, *conflixit*; De origine ejus ſoliciti non erimus, quam prolixe tractant *Reinking. l. IV. XIV. Limn. IV. IV. Beſold. Diſſert. de Reipubl Stat. Subalt. c. IV. §. III. & ſeq.* Neque enim omnium Nominum Etymologia æque reddi

 poteſt;

poteſt; Vel abſonum erit, ſi cogitemus, ſimplicem eſſe vocem.

II. A COMITE eſt *Comitatus*, Nomen Territoriis COMITUM nunc fere proprium. Olim Collectivum erat eorum, qui Principem ſequi ſolebant. *Qui ignominia miſſus eſt, neque Romæ, neque in Sacro COMITATU agere poteſt.* *L. Milites XIII. §. ignominioſa ff. de Re Militar.* *Cum Te ob medendi curam a COMITATU noſtro diſcedere non poſſe palam ſit.* L. II. c. Quib. non objic. long. temp. præſcr. Quamvis utrumque etiam de Aula ſeu loco ubi degit Imperator intelligi poſſit. Hinc *Comitatenſis*, Appellatio medii Ordinis militibus inter Legiones tempore Conſtantini M. & ſqq. *Pſeudo-Comitatenſis*, ſimile nomen militibus tertii ordinis datum. Quemadmodum enim Conſtantinus M. tres COMITUM ordines fecerat, *vid. ſeq. §. IV.* Sic tres etiam Militum Ordines ſunt inſtituti, & novis titulis inſigniti, Equitesque pariter ac pedites diviſi in *Vexillationes Palatinas, Comitatenſes, & Pſeudo-Comitatenſes.* Et veluti *Palatini* digniores cæteris habebantur, quod cuſtodiendi Palatii Principis honorem conſecuti eſſent: Sic *Comitatenſes*, ab iis proximi & a Principatus Comitatu, in quo degebant, ab eoq; evocabantur, dicti ſunt. Vid. *L. II. §. Pro limitan. C. de off. P. P. Afr. L. contra XIV. C. de Re milit.* Et *Pſeudo-Comitatenſes* poſtremi omnium; qui Præfectos quidem ac Symbola æque ac *Comitatenſes* habebant, & in omnibus iſtorum imaginem referebant, nec tamen in Comitatu Principis ſtabant, aut munera vel ſtipendia ut *Comitatenſes* accipiebant. V. *L. X. C. Th. de Numer.* Conf. *Pancíroll. Not. Imp. Or. c. XXXIII. XXXIV. XLIX. &c.* In Anglia hodie COMITATUS aliquando Provinciam denotat & Shiræ. *Shire* Anglic. æquipollet, quando ſcil. Hiſtorici eam in LII. Comitatus diſtribuunt; Aliquando vero & magis proprie Partem Provinciæ ſignificat, & Anglico *County* exprimitur, quo ſenſu LXV. Counties fere in Matriculis Parliamentariis deſignantur, ſæpeque una *Shire* duos COMITATUS comprehendit. Quales ſunt in Provincia Ceſtrienſi, *Cheſter Shire*, Comitatus Ceſtrienſis, & Civitas atque Comitatus Civitatis Ceſtrienſis, *The County of Cheſter; And the City and County of the City of Cheſter.* In Yorckshire, *the County of the City of Yorck, And the Town and County of Kingston.* In Glocceſter Shire, *the County of Gloceſter, And the County of the City of Gloceſter.* In Cantio ſeu Kent, *The County of*

Kent

Kent and the County of the Cithy of Canterbury: In Lincolnſhire, *The county of Lincoln, And de City & County of The City of Lincoln.* In Nottinghamſhire, *The County of Nottingham, And The Town & County of the Town of Nottingham*: In Devonſhire, *The County of Devon, And The City & County of the City of Exon*: In Dorceſterſhire, *The County of Dorſet, And The County of Pool*: In Norfolk: *The County of Norfolk, And The City & County of Norfolk.* In Stafford Shire, *The County of Stafford, And The City & County of the City of Lichfield.* In Sommerſetſhire: *The County of Sommerſet, And The City & County of the City of Briſtol.* In Southampton: *The County of Southampton, And The Town & County of the Town Southampton.* In Warwickſhire: *The County of Warwick, And The City & County of the City of Coventry.* In Worceſter: *The County of Worceſter, And The City & County of the City of Worceſter.* Quæ pro illuſtranda Notitia Rerum Geographicarum ac Civilium Angliæ hic præterire noluimus.

III. Titulum COMITUM primo omnium a Germanis fluxiſſe Scriptorum quam plurimi tradunt, ducti verbis *Tacit. L. de Mor. German. cap. XII. Eliguntur in iisdem conciliis Principes, qui jura per pagos Vicosque reddunt, Centeni ſingulis ex plebe* Comites, *Conſilium ſimul & autoritas adſunt.* Tum c. *XIII.* de Junioribus Principum: *Ceteris robuſtioribus ac jampridem probatis aggregantur, nec rubor inter* Comites *aſpici. Gradus quin etiam & ipſe* Comitatus *habet, judicio ejus, quem ſectantur.* Iterum *c. XIV. Principes pro victoria pugnant,* Comites *pro Principe &c.* In quibus liquido claret, Comitatum apud illos munus Dignitate ſtipatum & proximum a Principatu fuiſſe. Idque cum Romani ante fundatam Monarchiam ſuam habuiſſe non inveniantur, veroſimile eſt, eos a Germanis id accepiſſe & in uſum ſuum transtuliſſe. *Cl. Beſoldus* quidem in contrarium urget: Comitum creberrimam mentionem in Conſtitt. Impp. aliisque paſſim Scriptoribus celebrari, antequam Gothi, Longobardi, aliæque Germanicæ nationes in Italiam ſe effudiſſent; Nec credibile videri, Romanos Impp. ad normam Barbaricæ Gentis Aulam ſuam inſtituiſſe; Sed hoſce potius ab illis originem atque occaſionem nactos fuiſſe. *Cit. Diſſ. c. IV. §. I.* Quem ſequitur *Selden. Titl. of H. P. II. c. I. §. XX I.* Sed enim Tacitus non de Gothorum aut ſ. illuvie, verum de antiquioribus ſibique ac incipienti Monarchiæ Romanæ cognitis

Germanis loquitur, quos Romanis non ignotos fuiſſe geſta Cæſarum cum ipſis bella teſtantur; Nec novum erat Romanis, aliarum gentium Conſuetudines ſuas facere. Sic enim Cantabra, vexillorum genus cruce ſignatum, a Cantabris gente Hiſpanica & ab Auguſto ſubjugata in Legiones ſuas transtulerunt, ac deinceps in Bello præferri curarunt. Qua de re vid. *Licet de Lucern. Antiq. L. VI c. XLIIX.* Et ab alio latere Græciæ mores ab iisdem imbibitos ipſi ſcriptores eorum ſatis impatienter queruntur, fateturque nonnemo, ipſam Urbem Græcam, Homines Græcos, omnia Græca apud eos reddita. Ut proinde mirum non ſit, ſi etiam a Germanis hanc Dignitatem acceperint.

IV. Cætera ut tanto rectius expediamus in triplici diſcrimine Comitivam Dignitatem conſiderabimus, primo comites Antiquos, deinde mediorum ſeculorum, tertio recentiores viſuri. Primi mere officiarii erant; Secuti officium ad dignitatem inclinabant; Hodierni plenariam Dignitatem effecere: De quibus ſingulis nunc ſeorſim agendum erit.

V. Primis Dignitatis hujus temporibus Imperatores majores miniſtros ſuos COMITES vocare ſolebant, item Comites & amicos, quales erant Conſulares, Prætoriani Senatores: de quibus & accipienda *ἰσώνυμος* Formula, *In Contubernium* Imperatoriæ Majeſtatis *aſciſcere.* Vid. *Trebell. Poll. in Macrin. Spartian. in Hadrian.* Eoque facit Inſcriptio Gruteri p. 1100.

C. Senſio Severo Quadrato C. V. Cos.
Amico & COMITI Aug. N. Julii Fratres
Maximus & Victor.

Hos deinde Conſtantinus Magnus in tres Ordines diſtinxit: *κομήτων οἱ μὲν πρώτου τάγματος, οἱ δὲ δευτέρου, οἱ δὲ τρίτου ἠξιοῦντο.* *Euſeb. V. Conſt. L. IV. c. I.* Quos quidem nunc diſtinguere difficile erit; Interim certum eſt, hac ratione alios prope innumeros clariſſimos honores adeptos eſſe. Et Conſtantinum ut plurimos honoribus afficeret, diverſos hoſce Dignitatum gradus excogitaſſe. *Panciroll. Not. Ord. Imp. c. CXXXIX.* Idque ad imitationem veterum in Imp. Anteceſſorum ſuorum; Quemadmodum de Tiberio Sueton. *Pecuniæ parcus & tenax Comites peregrinationum expeditionumque nunquam Salario, cibariis tantum ſuſtentavit: Una modo liberalitate ex indulgentia Vitrici perſecutus, cum tribus claſſibus factis pro Dignitate cujus-*

cujuſque primæ ſexcenta Seſtertia; ſecundæ quingenta diſtribuit; Ducenta tertiæ, quam non Amicorum, ſed Gratorum appellabat. Confer *Lamprid. in Alex. Sev.*

VI. Cæterum COMITES illos veteres in Palatio, Provinciis Exercitu munus ſuum gerere videre erat. Et primi inter eos erant, qui Illuſtrium Titulo gaudebant: Comes Sacrarum Largitionum, COMES Rerum privatarum, COMES domeſticorum Equitum, COMES Domeſticorum Peditum, quos vidimus *præced. Diſſ. VII. I. VII.* Hos ſequebantur, qui *COMITES Conſiſtoriani* audiebant, h. qui membra Senatus Auguſti erant, & in Principis Conſiſtorio verſabantur, quorum Dignitatem etiam Conſiſtorianam COMITIVAM Dignitatem appellat *L. quicunque XXV. C. de Procurator.* Ipſos COMITES Viros ſpectabiles *L. II. C. de Com. Conſiſt.* Et qui generali Decreto Spectabilibus Procoſſ. æquentur, *L. 1. C. eod.* Tunc erat COMES Orientis, h. qui Præfecto Prætorio Orientis ſubordinatus ipſius in una e quinque Diœceſibus Imperii Orientalis, quæ Oriens in ſpecie dicebatur, Præſes erat, & militibus pariter ac populis imperabat: Hinc & præter effigies duorum Principum & Librum, quæ Inſignia Proconſularia erant, Enſem in Inſignibus habebat, quo accinctus ibat. Unde *Caſſiod. in Formul. Comitivæ Provinciæ L. VII. Quamvis omnium Dignitatum officia a manu ſecludantur armata & civilibus veſtibus videantur induti, qui diſtrictionem publicam docentur operari, tua tamen Dignitas & terroribus ornatur, quæ gladio bellico rebus etiam pacatis accingitur.* Item COMITES Rei militaris, qui Provinciis limitaneis regendis deſtinabantur, *l. un C. de Comit. qui Provincias regunt. l. I. C. de Com. R. milit.* ac in primi ordinis Comitibus erant *l. II. C. eod.* Spectabilibus annumerati *ibid.* Et Comites per Provincias dicebantur, *l. III. C. de Off. Rector. Provinc.* Talesque primum duo erant, Comes Ægypti & Iſauriæ, quibus tempore Imp. Leonis tres alii adjiciebantur, COMITES Pamphyliæ, Lycaoniæ & Piſidiæ, *l. ult. C de diverſ. off.* Deinde in Officiis Illuſtribus Palatinis Præpoſito Sacri cubiculi ſubordinabatur COMES *Domus Divinæ per Cappadociam*, Bonis Tamiacis, h. reditibus Cubiculo & Cellario Sacro deſtinatis, præfectus. Vid. *Novell. XXX. § I. & Godofr. in nott.* Sub Comite Rerum Privatarum erant Advocati, qui poſt depoſitum Advocationis officium *Clariſſimi* erant, & COMITES ordinis primi *L. I. C. de Advoc. diverſ. Jud.* COMES Sacrarum Largitionum dirigebat I. *COMITES Largitionum* in ſpecie ita dictos,

quorum numero ſex erant per totidem Orientis Provincias, Orientem, Ægyptum, Aſianam, Ponticam, Thraciam, Macedoniam diſtributi, & tertii Ordinis COMITES erant, eoque inter *Perfectiſſimos* ponebantur; Quorum munus erat, ut Magiſtris, Ducibus, Militibusque, ſtipendia donave ſolverent & vectigalium exactionem procurarent. II. *COMITES Commerciorum* quatuor, qui in Provinciis neceſſaria ad parandas Principis Veſtes, veluti ſericum, lanam, purpuram, linum, pelles emebant; Atque illi ſunt, quos Conſtantinus Imp. Negotiatores vocat, *l. VII. C. de Excuſſ. muner.* Præterea *COMITES Metallorum*, *Comes Rationalis Summarum Ægypti &c.* De quibus ſingulis Vid. jam ſæpius laudatum *Panciroll. Notic. utr. Imp. Briſſon. de Verbor. ſign. L. III.* Neque enim inſtituti noſtri eſt, eos prolixius proſequi, cum non officia adeo, quam Dignitates nobis curatio ſint, atque ſatis habeamus, ſi priſtinum vigorem amplitudinemque Vocis hic explanaverimus. De COMITE Archiatrorum *vid. L. un. C. de Comitt. & Archiatr.* De COMITIBUS & Tribunis Scholarum haut procul *eod. Tit. C.* In Imperio Græco Proto-Comes erat, Πρωτοκόμης, alio plane ab iſtis ſignificatu, isque in militia Navali Remigiorum Præfecturam gerebat, remigesque agebat, & Dux erat impellendis remis ac gubernatori in regenda triremi aderat. Sic Leo in Tacticis *Conſt. XIX.* Οὐκ ὡς ἔτυχε πάντων τῶν δρομώνων πορευομένων, ἀλλ' ἐπιστήσεις αὐτοῖς ἄρχοντας, ἢ κατὰ πέντε, ἢ κατὰ τρεῖς δρόμωνας, ἕνα τὸν λεγόμενον Κόμητα, ὅστις ναύαρχος ἔσται καὶ ἡγεμὼν τῶν ὑπ' αὐτὸν δρομώνων, ὑπάρχων, φροντίσει προσεχέστερον περὶ πάντων εὐκόλως καὶ διατάξει πρὸς ἕκαστα. *Temerè ac fortuito triremes ne procedant. Sed quinque aut tribus triremibus Præfectum unum deliges, quem comitem appellabis, qui omnium ſub ſe triremium Dux futurus eſt; & diligenter facileque omnia inſtruet, quæ ad triremes pertinent. Et paulo infra.* Στρατηγοὶ Δρουγγάριοι ἐκαλοῦντο ποτὲ τοῖς ἀρχαίοις χρόνοις, καὶ οἱ ὑπ' αὐτοῖς Κόμητες καὶ Κένταρχοι. *Præfecti Drungarii antiquis temporibus vocabantur, & qui ſub illorum dominatu fuerunt, Comites & Centuriones.* Euſtathius quoque in Iliad. I. Ναύαρχος, τὸν τοιοῦτον φασὶν εἴη δ' ἂν ὁ τοιοῦτος ὁ καὶ κόμης παρὰ τοῖς ὕστερον. Atque his omnibus, qui præerat tunc Protocomes πρωτοκόμης audiebat, ſequebaturque poſt Magnum Ducem, Drungarium Magnum & Admiralium Vid. *Goar. Nott. in Codin. de Offic. c. II.* Similiter Magnum

Con-

Contoſtaulum Κοντόσταυλον habebant; h. hodierna Europæorum Phraſi Conneſtabilem ſeu COMITEM Stabuli, quo de nomine agemus ſeq. c. III.

VII. De Dignitate Veterum iſtorum Comitum notamus, quod extantiores ipſorum ſuprema in Imperio Officia adminiſtraverint, &, in quo a COMITIBUS noſtrorum temporum maxime divertunt, Ducibus Majores fuerint; Quod quidem nunc ſecus ſe habet, niſi quod in Ducum Sabaudiæ Titulo, dum COMITES adhuc vocabantur, Comitivum Sabaudiæ Nomen Ducalibus aliis prælatum fuerit, veluti in Amadei Sabaudiæ Comitis Diplomate Confirmationis Equitum Annunciationis Mariæ, *Cavalieri dell' Nonciata* a majoribus ejus inſtitutorum legere eſt: Wir Amadeus Graf in Safoya/Hertzog zu Sablaiz und Augusta/Marggraf in Italien/Graf zu Genf/rc. Quod exhibet *Limn. J. P. l. VI. c. II. n. XXXVII.* Iisdem uſus quatuor veredorum cum Parahippo concedebatur. *L. XXIIX. C. Theod. de Offic. Rect. Prov. ap. Panciroll. c. VI.*

CAPUT II.

Comitum Palatinorum Origo, Curopalate: Eorundem Comitum Palatinorum Officia: Comites Palatini Germaniæ: Hungariæ, Campaniæ, Burgundiæ, Poloniæ, Angliæ: Marchionum origo. Marchiones Imperii, Italiæ, Galliæ, Angliæ &c. Landgravii: Burggravii, Heregravii, Rugravii &c.

I.

COMITUM iſta Conditio ad media ſecula usque manſit. Et COMES hactenus in univerſum non niſi Præfectum denotabat. Tunc vero una cum mutato Imperio in aliam formam abiere, nec amplius mera officia geſſerunt, ſed eadem hereditariis dignitatibus, Provinciis, Prædiis ditarunt, quodque Imperium ex Italia in Germaniam concederet, Germanica etiam nomina arripi placuit, & loco Veterum COMITUM ſacri Palatii &c. COMITUM limitaneorum, per Provincias, Caſtrenſium, Pfaltz-Gravii, Marchiones, Marckgrafen, Landgravii, Burggravii &c. redditi fuere. Quod quibus gradibus factum ſit *Diſſ. VII. c. II.* de Origine Ducum videri poterit.

II. COMITES Palatini, die Pfaltz-Grafen/ a Palatio h. Aula Imperatoria dicti ſunt: Sic enim olim *Vexillationes Palatinæ* erant, quæ in Aula agebant *præc. c. 1. §. 2.* Et *Hincmar. Ep. III. c. XV.* Prætoria

toria nunc Regia uſitatius Palatia nominantur. B. Rhenanus a Regione, Capellatium vel Palas dicta, eos derivat, quæ quidem illa eſt, quæ Palatinatus Inferior nunc dicitur; Sed hunc *Freberus L. de Origg. Palatt. Pithœus Livre des Comtes de Champagne* , & ex iis *Limnæus L. IV. n. XXXIII.* prolixe refutant, neque Nominis Palatini ſimplex Scriptio cum Capellatio vel Pallas usque adeo congruit. *Boxhorn.* nullus ambigit, *quin a limitanea Imperii ditione, præficiebantur olim* Palatini *appellati ſint.* Pfael *enim ſive ut Belgæ loquuntur* Pael, *nihil aliud quam Limitem ſignificat, ut &* Palen, Landpalen *poſitas & expoſitas hoſti in Limite ditiones. Hiſt. Un. ad Ann. D CCCC LXXXIIX. p. 579.* Cui vero utpote Viro Extero id facile condonabitur : Nobisque interim maxima de opinione ejus ambigendi cauſa eſt, quod Officia veterum COMITUM Palatinorum ab Etymologia hac maximopere diſcrepent, de quibus mox dicemus. Alias *Duces Palatinos*, die Pfaltz-Hertzogen / dictos notat *Piſetzki de R S. c. V. p. 162. ex Paurmeiſt. de Jurisd. L. II. c. IIX. n. III.* Quos illuſtrabit, quod in Corpore S. R. I. inter quatuor Duces recenſeatur Dux Sueviæ, vel aliis *Pfallantiæ vel Palatinatus.* In præloq. *Conſt. Imp. Goldaſt. Tom. 1. p. 35.* Sicque etiam *Chalcocondyl. Hiſt. Turc. L. II.* Ἡγεμόνας Παλατίνυς recenſet. Et in *Ep. dedic. Joh. Bekæ*, Dux Bavariæ vocatur *Dux Palatinus.* Sunt qui *Curopalatas* Imperii Græci ipſis aſſimilent, quippe qui a Cura Palatii & nomen & Officium gererent. *Ita enim a Corippo* deſcribuntur L. I.

> *Cum magni regeres divina Palatia Patris*
> *Par extans curis ſolo Diademate diſpar*
> *Ordine pro rerum vocitatus* Cura PalatI.

Item L. II.

> *Ipſe inter Proceres vultu præclarus honoro*
> *Fratris in Obſequium gaudens Marcellus abibat*
> *Diſpoſitorque novus Sacræ Baduarius Aulæ*
> *Succeſſor Soceri factus mox* Cura PalatI *eſt.*
> *His ætas diſpar, ſed par votum atque Voluntas,*
> *Ambo Patricii, dilecti Principis ambo.*

Eorumque uxores Κυροπαλατίσσαι & dignitas Κυροπαλατίκιον dicta eſt. V. *Gretſer. L. II. Obſ. in Codin. c. II. n. XV.* Confer *Alemann. Nott. ad Procop. Arcan. Hiſt. p. 28.*

III. Officio tenus COMITES Palatinos cum Præfectis

Præ-

Prætorio comparaveris. Ortum ex Regno Galliæ petunt, cui etiam ante Caroli M. tempora ſui COMITES Palatini ſeu majores Domus erant Regibus tanquam Arbitri, Cuſtodes & Obſervatores attributi, ne limites præſcriptæ Juriſdictionis excedere poſſent. Autoritatem eorum Formula, quam ſubjicimus, exhibet, apud *Goldaſt. Conſt. Tom. III. ſ. 403.*

ANTIQUA ORDINATIO
DE OFFICIO COMITIS PALATINI.

Inprimis, majorum ordinatione ſancitum & conſtitutum eſt, quod ſi quando Regium ſemen deficere contigerit, & de electione novi Regis tractaretur, in ipſa electione, Comes Palatinus ex officii dignitate, primam vocem ſemper habere debet.

2. Secundo ſi quispiam Regum hæredem in tenera ætate conſtitutum reliquit, Comes Palatinus ex officio tenetur & debet illum, tanquam tutor, in regnis & dominiis ſubjectis conſervare, & fideliter defendere. Cui quidem Palatino interim, quo hæres ipſe in adultam pervenerit ætatem, univerſi illius ſubditi & regnicolæ, perinde ac vero Domino & Regi ſemper obedire, & in omnibus rebus obtemperare teneantur.

3. Tertio ſi regium ſemen deficere contigerit, infra id tempus, quoad novus Rex eligetur, aut etiam, ſi, ut præfertur, hæres in tenera ætate relinquatur, Comes Palatinus ejus tutor habet ſemper ex officio pro Rebus & neceſſitate Regni, & etiam illius hæredis facere; & judicare diætas, quascunque opportunas duxerit, cui, ut præfertur, regnicolæ ſemper parere, & morem genere debent & teneantur.

4. Quarto, ſi quando urgeret Regni neceſſitas, & opus eſſet, ut pro ejus neceſſitate & neceſſaria defenſione regnicolæ inſurgerent, Comes Palatinus ex ſuſpecto officio debet eſſe generalis & ſupremus Capitaneus regni & regnicolarum, & illos gubernare, juxta tamen voluntatem & arbitrium Regiæ Celſitudinis.

5. Quinto, quod ſi quæ differentiæ, ſive ſeditiones, aut aliæ controverſiæ, inter regnicolas forte contingerent, Comes Palatinus autoritate officii providere, illasque ſedare, & complanare; atque nocentes juxta demerita punire, nec non commiſſa emendare & rectificare debet, dignitate tamen & autoritate Regia ſalva ſemper remanente.

6. Sexto, quod ſi quando differentia ſive diſcordia aliquando inter Regem & Regnum oriri forte contingeret, Palatinus ex officio debet eſſe mediator, & ſe interponere, atque illos, adhibita omni diligentia, cura, ſtudio & ſolicitudine, fideliter componere.

7. Septimo, ſi quando contingeret, Regem tam ſimplicem, aut negligentem eſſe, ad audiendum Oratores, vel etiam ad reſpondendum, illis Palatinus ex officio providere, illius defectum ſupplere debet & teneatur.

8. Octavo, ſi bona aliqua donantur per Regiam Majeſtatem, & contradictores apparuerint, cauſabunturque injuſte per ſuam Majeſtatem fuiſſe donata, debent Palatino conqueri, & ille ad aures Regias hujusmodi querelas quamprimum referre tenetur. Si vero Rex abeſſet, nihilominus accepta querela, tenetur ille quamprimum ſignificare, & ſimiliter rogatum facere, quo Majeſtas ſua præfigat terminum & locum, ubi & quando ipſa querela videatur, diſcutiatur & definiatur.

9. Nono, Palatinus ex officio habet, quemlibet regnicolarum ſive prætextu jurium poſſeſſionariorum, ſive actuum potentiorum, ad juſtitiam querulantium in jus evocare. Et hac in re adeo amplam poteſtatem, juriſdictionem & authoritatem habet, ut dempta Regia dignitate, nullus omnino Juſticiariorum ampliorem, ſed neque parem habeat. Alii quippe Comites & Judices Regni, in cauſis duntaxat actum potentiariorum, & non in jurium poſſeſſionariorum, decernere, & ſententias ferre habent. Cæterum ſi qui jure coram Comite Palatino in Byrſagiis, aut aliis Judiciorum oneribus convincantur, illis ejuscemodi onera Regia Celſitudo non tam ordinata, quam abſoluta potentia & authoritate relaxare quidem poteſt, non tamen debet hic, quia Comes Palatinus de Byrſagiis ipſis pro ſuo arbitrio ſemper diſponere poteſt; aliis autem, qui coram cæteris Comitibus & Judicibus convincuntur, Regia Sublimitas libere & directe de ordinata ſua potentia, onera ipſa relaxare ſemper poteſt.

10. Decimo, quod Regiam Majeſtatem, ſive in exercitu, ſive aliter extra Regnum agere ſi contingat, Comes Palatinus ex officio debet in Regno ſemper eſſe Locumtenens, & cum aliquibus penes ipſum deputandis, quorum tamen ipſe caput & ſuperior eſſe debet, omnia facere & exercere, quæ Rex ipſe poſſet & deberet, poteſt, dem-

ptis

ptis tamen gratiis & donationibus jurium ad Coronam devolutorum, præterea aliis illis, quæ directe ad Regiam Dignitatem ex antiqua Ordinatione pertinuerunt ſemper.

IV. Addendum eſt, ubi & quo numero *COMITES Palatini* hactenus fuerint, quove in ſtatu adhuc agant. Germania duos habuit, Suevicum ſeu Rhenanum & Saxonicum. *Cum enim Imperium Romanum in duo Regna, Lombardicum & Teutonicum, & hoc rurſus duplici jure uteretur Francico & Saxonico, quorum hoc tractum Saxonicum usque ad mare Balticum, illud tractum Rheni cum Belgio, Sueviam, Franconiam Orientalem, Bavariam & Auſtriam ad Alpes usque Italicas (omnia a veteribus Francis ſubacta) complectebatur, hinc factum eſt, ut duo etiam Principales Palatini haberentur, Saxonicus & Rhenenſis. Ita enim placuit hunc a Tractu Rheni tanquam antiquiſſima, optima & nobiliſſima Germaniæ parte potius quam cæteris denominare. Unde etiam eſt, quod hi duo Palatini velut Proximi a Rege Teutoniæ eo abſente diviſis inter ſe admodum prædictum limitibus vice ſacra Imperium totum gubernent. Quod a Majoribus ſine dubio ita receptum Carolus IV. confirmavit &c. Freber. de Origg. Palat. L. I. c. III. p. 21.* Hincq; ad Rhenum in noſtra usque tempora permanſit nomen Palatinum & conſervatur in Bavariæ Ducibus ac Illuſtribus COMITUM Palatinorum Rudolfinæ Lineæ Ramis: Licet cum hoc in Titulatura diſcrimine, quod Bavari Comitivam Dignitatem Ducali ſubjiciant, atque ſcribantur, *Duces utriusque Bavariæ ac Superioris Palatinatus, Comites Palatini ad Rhenum &c.* Reliqui vero eandem præmittunt: *Comes Palatinus Rheni, Dux utriusque Bavariæ &c.* Vid. inter alios *Sprenger. Luc. Imp. c. V. init.* Saxo autem non amplius utitur hoc Nomine, quia Ducibus illud minus frequenter adjungi ſolet. Interim ex eo haud dubie manavit Vicaria iſta Palatinis & Saxonibus adhuc uſitata in Imperio noſtro Poteſtas. Præter hos vero Imperator Henricus III. ſeu Niger ſubacto Hungariæ Regno & reſtituto Petro Rege, fidelitateque ab eo recepta ad petitum Ordinum *Palatinum Hungariæ* adjecit Anno MXLII. Item recuperata Campania & Imperio Germanico unita *Palatinum Campaniæ* Anno MLIV. Unde in *Corp. S. R. I. ante cit.* legere eſt iſtos quatuor Archi-Palatinos, Rheni, Saxoniæ, Franciæ, Hungariæ, qui & autoritate Speculi Saxonici & Wichbildi Magdeburgenſis confirmantur.

V. Extra Imperium primo iidem Palatinatus Hungariæ & Cam-

Digitized by Google

Campaniæ jam quærendi erunt. Hungaria ſibi relicta, Campania Galliæ adhæret; Ac præterea *Palatini* titulo uſus eſt Philippus Dux Burgundiæ, qui ſe nuncupavit *Palatinum Burgundiæ & Namurienſem: Count d' Artoys, Palatine de Burgogne & de Namur*, apud Favin. *Theatr. d' honneur p. 944.* Perottus item audit, *Palatinus* Bearniæ apud *Froiſſardum vol. III. c. VI.* Ex antiquis Galliæ Comitibus *Palatinis* fertur Rolandus fuiſſe. Vid. *Merul. Coſmogr. L. III. P. II. C. XXXIV. Leod. de Orig. Palat. p. 5.* Sed ſi Eginhardo in Vita Caroli M. credimus, Rolandus erat Britannici litoris Præfectus & Anſelmus tunc temporis Palatii Comes. Unde & alii Rolandum Britanniæ Comitem appellant. Vid. *Baron. T. IX. Anno DCCCXII.* In Italia veſtigia Veteris Comitis Palatini, qui ſedem in Lunello, Caſtro Imperiali, habuerit, ex Gunter. Ligurin. L. III. v. LXXVI. & ſeq. legit. *Limn. l. c.*

Et nunc ille Comes conſors & Regius Aulæ
Ille potens Princeps, ſub quo Romana ſecuris
Italiæ punire reos de more vetuſto
Debuit, injuſte victrici cogitur Urbi
Ut modicus ſervire Cliens, nulloque relicto
Jure ſibi, Dominæ metuit mandata ſuperbæ.

Poloni Woyewodas ſuos *Palatinos* nuncupant, unde Satrapiæ ipſorum *Palatinatus.* Palatinorum *munera ſunt, eſſe Ductores copiarum ſuæ Satrapiæ in Expeditionibus bellicis, indeque nomen habent lingua vernacula, ut Woyewoda diceretur, quaſi Dux belli. In pace Palatini eſt conventus Nobilitatis inſtituere, iisque & Judiciis præſidere. Cromer. de Magiſtrat. Polon. L. II.* Hos Græci recentiores corrupte Βοεβόδας dixere. Quemadmodum Conſtant. Porphyr. dum adminiſtrationem Romani Imperii tractat de Waiwoda Chazariæ loquitur Ὄνομα τῆς ἀξίας, ὡς καὶ οἱ λοιποὶ μετ' αὐτὸν βοεβοδος καλεῖται. *Palatinos* Angliæ, Scriptores noſtri, quantum quidem ſcimus, plane prætereunt, qui licet in præſens Perſona Regis aut Principis Walliæ involvantur, olim tamen exſtitere ac ditionibus ſuis nomen *Palatinatus* adhuc durans reliquere. Talis eſt Palatinatus Ceſtriæ; *The County Palatine of Cheſter*, alia nomine Vallis Regiæ, *the Vale Royal* notus. Refertque *Camdenus Britann. p. 488.* Wilhelmum I. Hugonem cognomine Lupum Vice Comitis Abrincenſis in Normannia filium primum hereditarium & Palatinum Ceſtriæ Comitem creaſſe:

creaſſe: Tandem vero exſpirante hujus familia *Palatinatum ipſum* Primogenitis Regiis ceſſiſſe hodieque Jurisdictionem Palatinam retinere, quam adminiſtrent Camerarius, Judex ſpecialis, Barones Scaccarii, Servientes ad Legem tres, Vice-Comes, Attornatus &c. Vid. plur. *Daniel. King of the Vale Royal of England, or the County Palatine of Cheſter Lond. M DC LVI. fol.* Similiter Epiſcopos Dunelmenſes Comites *Palatinos* cenſeri, Idem docet c. l. p. 610. Fitque ſubinde, ut Ducatus Lancraſtrenſis, & Comitatus Pembrocenſis, item Tractus Elienſis eodem nomine vocentur. Sed poſtremus hic nomen ſuum cum alio, *The Royal Franchiſe of Ely*, nunc commutavit. De cæteris COMITIBUS Palatinis cum ſolo nomine cum iſtis conveniant, alibi agemus.

VI. Marckgravios ſeu MARCHIONES veteribus COMITIBUS Limitaneis aſſimilamus, a Marck i. Limes, quod Limitum præfecti eſſent. Vid. præter alios *Rudinger. Obſer. Cent. 1. p. 255.* Sic Comes & Dux Sorabici Limitis occurrit in *Annal. Franc. Pitb. ad Annum D CCC LXXIII.* Quod ipſum eſt Marchionatus munus. *Et Aventin. Annal. Bojo. L. VI. Majores noſtri unumquodque Regnum, quo citeriora ejus tutiora forent juxta Cardines Cœli in Limites, quibus præfectos cum Præſidiis militum & Equitum impoſuere, diviſerunt: Illos* marcas, *bos* marcigraphos *appellant.* Græci Marcheſios dixere, Μαρκεσίυς, quanquam in Explicatione fallatur *Niceph. Gregor. Hiſt. L. VII.* Ὅπερ ἐν τοῖς Ῥωμαίων στρατεύμασιν ὁ βασιλικὴν κατέχων σημαίαν, τοῦτο παρὰ Λατίνοις Μαρκέσιος h. Marcheſium eſſe, qui vexillum Imperatorium in exercitu geſtet. Alibi *Archi-Comites* dicuntur.

Dux Luneburgi infeudatus, non minus iſthic
Albertus Brandenburgicus Archi-Comes.

Apud *Henr. Aquilonipolens.* Poëtam Barbarum *Primord. Urbis Lubecanæ L. II. c. IIX.* Res ipſa initiis ante dictis ſurrexit. Nominis antiquitatem loquitur Ludovici Imp. Conſtitutio apud *Gold. Tom. III. Conſt. p. 9.* quo *Marchionum* jam tum mentio fit. Eorum in Imperio noſtro Germanico olim quatuor habebantur, **die vier hohe Marckgrafen**: Brandenburgicus, Moravicus, Miſnicus, Badenſis. Sed Miſnici a Saxoniæ Ducibus nunc repræſentantur; Et Moravia Bohemiæ acceſſit, eoque extra præſentis Imperii limites agit. Soli Brandenburgici ac Badenſes adhuc ſuperſunt; Illi quidem tum

in Sereniſſima Familia Electorali, tum in Culmbacenſibus & Anſpacenſibus Proavo eodem Sereniſſimo Joachimo Friderico Electore & Marchione Brandenburgico prognatis. Marchiones Badenſes duobus Ramis ac triplici voto dividuntur, Baden-Baden / Baden-Durlach / Baden-Hochberg. De quibus V. *Spener. in Syll. Genealog. Limn.* & alios paſſim.

VII. Extra Imperium Antwerpia adhuc gaudet Titulo *Marchionatus S. R. I.* Taliſque olim etiam in Italia fuit *Marchia Terviſina*, nunc Venetis ſubjecta, & *Marca Anconitana.* Hodie Dux Sabaudiæ ſe ſcribit *Marchionem Italiæ*, item *Saluſarum.* Prioris ratio, quia poſſidet principaliores aditus Italiæ, Juream, Suſam & Nicra. Cæteri Italiæ Marchiones a Splendore Tituli hujus ferme degenerant: Nec ſine cauſa *Monzambanus* Marquiſiis Italiæ ac Galliæ exprobat, ipſorum aliquos vix ducenta jugera agri poſſidere, cum Sereniſſimus Monarcha & Marchio noſter, Elector Brandenburgicus, tota ducenta milliaria Germanica per Ditiones ſuas in Longitudinem conficere poſſit. *De Stat. Imp. G. c. II. §. VII.* Alius rerum Italicarum Spectator ſcribit, ſe cum cordolio vidiſſe in Agro Lunenſi *triginta Marchiones* in fico arbore contra famem ficis pugnaſſe. *Spiacquemi il veder in Italia tanti Marcheſi ſenza Marcheſato, Conti ſenza contado, Cavallieri, che non hanno ne Cavalli, ne Speroni, ne ſtivali. Non poteva ſofferire di vedere nella Lunigiana* trente Marcheſi ad un tratto *ſopra d' un fico per ſſamarſi.* Comment. d' Italia, in Venetia appreſſo, Giov. Bariletto M D LXIX. ap. *Lanſ. Or. Contr. Ital. p. 540.*

In Gallia Marchioniſſæ Nomen notavimus inter Titulos Dnæ Annæ Mariæ Aurelianenſis *Marquiſe de Meſieres:* Cæterorum ſeriem exhibet *Lind. Deſcr. O. p. 347.* Antehac certos diſtrictus ab ipſis requiſitos fuiſſe docet *L' Oyſeau des Seigneur. c. V. §. L. Quand aucun Count ou puiſſant Baron ſe veut faire Marquis, il faut, que par raiſon il ait au moiens V ou VI Baronies, d' ont en la moinere ait dix nobles hommes tous ſes Subjects.*

Anglia primos vidit ſub Richardo II. cum ille Robertum Vere Oxoniæ Comitem Marchionem Dubliniæ deſignaret. Antea *Lord Marchers* dictos fuiſſe docet *Camden. Britann. p. 102.* Nunc Marqueſſes vocantur, taleſque ſunt, Marchio Wintonienſis, *of Winchester*, Wigornienſis, *of Worceſter*, Dorceſtriæ, *of Dorcheſter* & Novi Caſtri, *of New Caſtle*, cujus Marchioniſſa variis ac prolixis ſcriptis Phy-

ſicis

ſicis Oratoriis & Scenicis non ita pridem toti Angliæ innotuit. De *Marchionibus* Hiſpaniæ vid. *Lind. p. 262. Marchionatus* Portugalliæ VII. *de Aguiar, Caſcaìs, Ferreira, Gouvea, Montalvano, Montis Majoris, Porto Seguro* enumerat *Anton. Souſa Luſ. Lib. Procem. 1. §. II.*

VIII. LANDGRAVII, Landgrafen / fuerunt *COMITES Provinciales*, Eosque ſola Germania adhuc habet. Quales ſunt I. Landgravii Haſſiæ, Caſſellani & Darmſtatenſes. II. Landgravius Leuchtenbergiæ, qui in præſens eſt Dn. Maximilianus Sereniſſimi Electoris Bavariæ Frater; Titulo tamen univerſa familia Bavarica utitur. Atque hi etiam Principali Dignitate adhuc pollent. Contra *Landgraviatus Alſatiæ* Titulis Auſtriacis abſorptus eſt, *Thuringiæ* apud Saxones. *Landgravii* Suſembergiæ hodie ſunt Marchiones Badenſes. Alios infra Principum Dignitatem depreſſos, quique tantum in Comitum dignitate ſunt, recenſet Goldaſt. *Landgravium Barenſem*, qui nunc eſt Titulus Comitum von Fürſtenberg; *Landgravium Brisgoviæ: Burgundiæ* ſeu Burgendiæ Helvetiæ, in Burgundien: *Kletgoviæ* ſeu Kleckoviæ, nunc Comitum von Sultz: *Nebelgoviæ*, ſeu Ranckwilæ: *Nellenburgi*, qui eſt Marchio Burgoviæ: *Siſgoviæ: Stafrungæ: Suntgoviæ: Tubingiæ vel* Stulingiæ, nunc Comitis Pappenheimii: *Turgoviæ: Malgoviæ* cit. Procem. C. p. 27. Primus qui creatus fuerit *Landgravius*, occurrit Ludovicus III. Comes Thuringiæ ab Imp. Lothario talis redditus. V. *Script. Germ. Piſtor. T. I. p. 956. & 958.* Paralleliſmum aliquem eorum in Dominis Veronæ, Familia de la Scala ſeu Scaligerorum, de Mirandula, de Padua videre eſt, qui manifeſtum *Dominorum Provincialium* Titulum habuere.

IX. BURGGRAVIOS *COMITES Caſtrenſes* dixeris: Quales *Norimbergenſis*, qui eſt Familiæ Brandenburgicæ & *Magdeburgenſis* Ducum Saxoniæ. Reineckiæ & Strombergiæ Burggravii complendo ſolito numero quaternario adjecti interiere. *Burggraviatus* in Urbe Imperiali Friedberg & Gailnhauſen certis Nobilium familiis addictus eſt *Beſold. l. c. § XI. Burggravios* Antwerpiæ, in Lumbeck & Aquisgranenſes Vid. *in Gold. Conſt. & Indice.* Cogitabimus tamen, mediis ſeculis iſtis etiam Urbium municipalium aliquas Burgos dictas fuiſſe. Quo quidem ſenſu Burggravii Comites aut Præfecti urbium fuerint, æque ac Landgravii, præfecti Provinciarum. Sic enim Angli hodienum Burgi nomine, a *Bourrough*, non Caſtra, ſed omnia iſta oppida appellant, quibus jus competit in Parliamento Inferiori vo-

ri votum ferendi. Et Strombergam, cujus Burggraviatum antea enarravimus, caſtrum cum ampliſſima præfectura fuiſſe nos docet Limn. l. c. n. LXXXVII. *Hergravios ſeu Heregravios* i. Comites Militares ſeu Belli Duces Brabantiæ, Normanniæ, Hungariæ, Ferrariæ commemorat Gold. in cit. Corp. S. R. I. Hertzog. *Chron. Alſat. p. 143.* Sed Titulus ille nunc intercidit: Niſi quod ſimile quid in Deputatis Ruſticorum Suediæ videatur occurrere, qui Heertags-Bauren vocantur, dieweil die Bauren ſelbe aus ihren Kirchſpielen ausorden um dem Reichstage beyzuwohnen. *Diar. Eur. Contin. V. p. 41.* Confer *Loccen. A. S. L. II. c. XI.* De *Rugraviis* ſuſpicamur ipſos Freigraviis, den Freygrafen/ Prætoribus occultorum judiciorum in Weſtphalia ſimiles fuiſſe, quod ſine operoſa cauſæ cognitione & ex mera libertate arbitrii eoque aſpere in facinoroſos animadverterent. Ideo enim & *Comites aſperi* vocantur *Recenſ. Ord. Imp. præm. in T. I. C. Gold. p. 25.* & aliquando Raugrafen: Quales fuere Philippus, Otto, Cuno, quorum diplomata & Ceſſiones allegantur in in Controv. de Jure Aperturæ inter Sereniſſimos Electores Moguntinum & Palatinum præced. Anno agitatis. Vid. *Contin. XVI. D. E. App.* Similis Initialis occurit in Germanico nomine noſtro, Ruprecht ſeu Robertus Latinorum; Quam Lutherus vitioſe ita ſcribi, & dicendum eſſe Ratwert/ ut qui Rath und Werth ſit, qui Conſilio valeat & charus ſit, autumat in *Nominn. Propr. Germ. pag. 24.* Hocque ſenſu Rugravios Comites Conſilii ſeu *Comites Conſiſtorianos* quales c. I. propoſiti fuere, dixeris. Sed Etymologia iſta forſan nimis longe petita foret. *Gogravii* judiciale munus exercuere, de quibus Vid. *Spec. Saxon. L. 1. Art. LVI.* De Centgraviis, Waldgraviis *Beſold. c. I. n. VII.*

CAPUT III.

Comites Imperii & eorum Scamna, Subordinati in Germaniâ: Comites Angliæ, Galliæ, Italiæ, Hungariæ &c. Cur Princeps Tranſilvaniæ ſe ſcribat Siculorum Comitem: Comites Mareſchalli in Anglia, Coneſtabiles Angliæ, Galliæ, Hiſpaniæ: Vice-Comites quales, qui & ubi degant.

I.

SEquuntur ſimplices COMITES, iique noſtris temporibus familiariores: Nam eminentiores iſtos creari nunc fere deſitum eſt.

Ho-

Horum Germania noſtra duo genera habet, COMITES Imperii ac Subordinatos. Imperii COMITIBUS ad Comitia & in iis ad Concilium Principum patet aditus, quod & probandæ huic Dignitati abunde ſufficit, daß ſie auf die Reichstäge beruffen/und daſelbſt zu dem Fürſten-Rath einen Zutritt haben. *Beſold. n. XIII.* Sed in Claſſes ſeu Scamna deinde abeunt, eoque a Principibus divertunt, ut cum iſti ſeorſim vota ferant, hi conjunctim & omnes eadem Claſſe comprehenſi ſimul audiantur, adeo ut omnium tot vota ſint, quot claſſes & Scamna habentur. In quatuor vero Claſſes ſeu Scamna abeunt, ac totidem in præſens Vota in Comitiis ferunt, atque Scamna iſta nunc ſunt Wetteravicum, Suevicum, Franconicum & Weſtphalicum. Quorum priora duo antiquiora ſunt, poſteriora recens acceſſere. Singulorum recenſionem Vid. ap. *Sprenger. Juriſpr. P. p. 441. & ſeqq. Lucern. Imp. c. V. p. 368.* COMITES Subordinati ſeu Landſaſſii ſub aliis Statibus Imperii degunt, quales ſub Sereniſſimis Electoribus Brandenburgicis fuere Grafen von Hohnſtein v. Schwed/ Herrn zu Vierraden. Sub Ducibus Pomeraniæ & Epiſcopo Caminenſi, die Grafen von Neugart/ Eberſtein und Maſſau. Quorum pleniorem Syllabum Vid. *in Limn. o. l. n. XCIV. Beſold. XIII.* Eodemque pertinebunt, qui noviter ad Dignitatem Comitivam evecti ſunt, quosque in Aula Cæſarea & alibi paſſim videre eſt. Inter Antiquiſſimos numeraveris Comites Aſcaniæ & Ballenſtadii, nunc a Sereniſſimis Principibus Anhaltinis repræſentatos, & *Gleichenſes*, quorum Privilegium de Metallifodinis, jam tum a Carolo M. ipſis datum extat in *Conſtit. Gold.*

II. Extra Germaniarum Dignitates hæ iterum fere Titulares ſunt. In Anglia quinquaginta & amplius COMITES numerari teſtabuntur Trt. de Reb. Anglicis ſcripti, *Englands Glory, Th. Milles, Wilh. Segar &c.* Antiquiſſimi omnium ſunt *Comites Arundellii*, quemadmodum in Scotia Comites Anguſiæ, *the Earles of Angus*, & in Hibernia Comites Kildariæ, *of Kildar.* Fideliſſimi Coronæ Comites Oxonienſes, Veriorum, *de Vere* cognomine alias noti: Hinc & dum Proceres Angliæ Albis Bacillis ſuis Parliamentum ingrediuntur, & ſinguli tot nigricantes lineolas in Bacillis ductas gerunt, quod Criminibus in Regiam Majeſtatem ſe Familia ipſorum polluerit, ſoli hi inter antiquas Familias licet jam in vigeſimo & amplius gradu deſcendentium conſtituti Baculo toto albo adhuc nituntur, in Puritatis

ac Innocentiæ ipſorum Teſtimonium. Titulares Comitatus Galliæ indigitat *Pasquier Recherch. L. II. c. XI. fin. A prendre les choſes au vray, les Ducs & Comtes, qui ſont aujourdhuy, ne ſont qu' images des eux, qui eſtoient de temps de Hugues Capet, n' ayans, ce ſemble, aucune prerogative ſur les autres Seigneurs, ſi non par une Pompe de nom & pour les ceremonies exterieures.* Sunt tamen, quibus Imperium aliquod juxta Titulaturam competit, quemadmodum Nomen Principis & abſoluti Comitis Novi Caſtri, *Prince & Comt Souverain de Neufchaſtel*, notavimus inter Titulos Ducis Longovillani *Diſſ. IIX. c. IV. §. VII.* Et de Dn. Anna Maria Aurelianenſi notat *L' Eſtat de la Franc. p. 458.* Ipſam abſolute præeſſe Dombenſibus: *Elle eſt Souveraine de Dombes, ayant pouvoir de faire battre monnoye.* Confer Titulum ipſius *ead. Diſſ. IIX. IV. VI.* Comitum Italiæ numerum ſine numero iterum queretur Commentarii de Italia Autor ante cit. *Ob comme mi venne a noja il veder in Arco & in Lodrone due mile Conti, & un ſol Contado molto ſtretto & povero, ap. Lanſ. l. cit.* De Portugalliæ Comitibus Vid. *Anton. de Souſ. Luſ. Lib. Proœm. l. c.* De Hiſpanicis *Selden. Titl. of H. p. II. c. IV.* In rebus Hungaricis duûm generum COMITES referuntur: Officiarii & Feudales, Illos vocabant Comites Parochiales ſeu Parochianos Vid. *Matth. Reg. Decr. V. c. LXVII. Dubrav. Hiſtor. Bohem. L. VI. ſub init.* Hos Comites Perpetuos. Ita Matthias quidam geſſit nomen Comitis perpetui Terræ Scepuſienſis in Conſt. Hung. ſubnexis *Bonfin. p. 113.* In quorum numerum & Exteros aſſumi exemplum Dn. Comitis de Sintzendorf docuit, qui Anno M DC LXII. ſolenniter receptus fuit. V. *Art. LIV. Poſon. de Anno LXII. in App. D. E. Cont. IIX.* In Principis Tranſilvaniæ Titulis occurrit Nomen *Comitis Siculorum: Princeps Tranſilvaniæ*, Comes Siculorum, *& Partium Hungariæ Dominus.* Hi Siculi ſeu Ciculi, ſeu Szekelyi, e reliquiis Exercitus Atilæ ſuperſtites in Daciæ Angulo Moldaviæ Regioni contermino conſedere, quodque ſcirent, exoſum eſſe Hunnorum nomen, illo abolito Ciculos ſeu Szekelyos ſeſe appellarunt; Atque nunc Saxonibus & Hungaris tanquam Natio ſeu Populus Tranſilvaniæ connumerantur. Vid. *Reichersdorf Chorogr. in Scrr. Hung. p. 32. Olab. Athil. c. XIIX. p. 889.*

III. Inſignia COMITUM Diſtinctiva plerumque ſunt, ut vel Perlas tantum, vel Perlas cum Floribus mixtas cuſpidibus injectas

ſuper

Digitized by Google

ſuper Coronettis ſuis geſtent: Quod poſterius in Anglia obſervare eſt: Ac Titulum *Honoratiſſimi, the Right Honourable*, cum Vice-Comitibus & Baronibus ibidem communem habent. In Imperio noſtro *Illuſtriſſimos* vocari audias. Hicque inter Privilegia habent, quod Comites Imperii jus habeant præſentandi Perſonas Camerales. Vid. *Ord. Jud. Camer. de Anno M. D. XLIIX. P. 1. Tit. 1.* Quod cauſæ Comitum Imperatori ac Regi Romano reſerventur in Imperio juſtificandæ. *Ead. P. II. Tit. VII.* Quomodo in prima inſtantia conveniri debeant Vid. *ib. init.* Ritus creandi antiquus fuit, ut Annulo tradito cum Adamantis gemma COMITES renunciarentur, Apud Hiſpanos vero ſingulari prorſus ratione Offa in Aquam injecta invitatus a Rege comedebat populo ter acclamante, *Dua del Conde.* Pantin. *de Offic. Goth. ad V. Comes.*

IV. Id vero prætereundum non eſt, COMITIVUM nomen in paucis adhuc Qualitatem Officiariam retinere: Qua quidem conditione ſunt Comites Palatini, des Reichs Hofgrafen / Comites Mareſchalli in Anglia, & Conneſtabiles Angliæ, Galliæ & Hiſpaniæ. De iſtis nos alibi acturos jam ante promiſimus. Mareſchallatus Angliæ, qui unum e ſupremis Officiis Status eſt, ſibi annexum habet COMITIS Titulum, unde & qui fungitur hoc officio, licet cætera Dux ſit, Comes Mareſchallus, *te Earle Marshall*, appellatur, quemadmodum in Ducibus Norfolkiæ, quibus hoc munus hactenus hereditarium fuit, claruit. Ejusdem Conditionis ſunt *Comites Stabuli*, ſeu veluti nunc compendioſe ſcribuntur Coneſtabiles, itidem inter ſupremos Officiarios Regnorum ante dictorum numerati. Talis eſt M. Coneſtabilis Caſtiliæ, qui nunc adminiſtratione Belgii Regii fungitur. In Gallia e duobus miniſtris Coronæ *Magnus Coneſtabilis* primus eſt, & Res Bellicas adminiſtrat. In Anglia Procerum judiciis criminalibus dijudicandis præponitur. Sed neutrubi Perpetuitate gaudet, quæ Angliæ Coneſtabili Anno XIII. Henrici IIX. & Gallico Anno MDCXLI. ablata fuit, neque nunc aliqui extant, niſi urgente neceſſitate & veluti Anglorum JCti loquuntur, *Hac vice*, ſeu pro tempore inſtituti. Cætera, quæ hic explicanda eſſent, itidem in aliam occaſionem reſervata ſunto.

V. VICE-COMITES Germania noſtra ignorat. Anglia duo genera habet; Dignitate tales & Officiarios; Iſti inter Comites & Barones medii ponuntur; Neque a Comitibus magnopere differunt,

ſunt, niſi ratione Inſignium, quæ requirunt, ut Coronettam ſuam, non Floribus & Margaritis cuſpidibus impoſitis more Comitum, ſed Margaritis ipſam Coronettam immediate attingentibus ornent, Lingua Anglorum vocantur *Viſcounts & Vicountus:* Officiarii VICE-COMITES ſunt annui Shirarum ſeu Provinciarum præfecti, a *quibus* & *Sherifs* vocantur, ac Comitatu ſatis pompoſo XX. vel XXX. Satellitum publice incedunt. Pleniorem eorum Deſcriptionem reddimus ex *Smith, de Rep. Angl. L. II. c. XVII.*

Qui Comitatus procurationem ſuſcipit, vulgo latine Vice-Comes dicitur, quaſi vicarium Comitis aut Pro-Comitem dicas, capeſſens ea mandata & juſſa tribunalium judicumq; quæ ipſis olim Comitibus incumbebant, qui Principi in bello deſerviebant, aut in famulatu ejus ſemper adhærebant. Ex quo liquido apparet, ad Comites ſpectaſſe, ut ſententias judicum executioni mandarent, & regia vectigalia in ærarium redigerent. Si quæ animadverſio pecuniaria (quæ latine *mulcta* dicitur) in hac Curia cuiquam indicitur, aut ſi in ſolvendo ſolidum non ſolvitur (latine *reliqua* dicuntur) Vice Comitis eſt, ea fide bona colligere, & in fiſcum referre. Nam quantum ad ordinarios fundi patrimonialis reditus & ſæpenumero indictam populo pecuniam, alii ſunt, qui repetunt, & in ærarium rependuut. Nec deeſt Vice-Comiti etiam ſuus vicarius, juris non ignarus, & apparitores quoque complures, quos *errantes* vocant, qui per integram Provinciam, quis cujusque fundus, cujusque nomen & facultates, probe ſciunt, & ex mandato Vice-Comitis ad inquiſitiones citare ſolent, atque ob eam cauſam ad Vice-Comites, qui juris proprie ſunt officiales & miniſtri, *formulæ* ablegantur, quando ſuper eo, an factum aliquid ſit nec ne, ambigitur, ad Vice-Comitem eo loci, ubi fundus eſt, de quo litigatur, formula quæ dicta eſt VENIRE FACIAS, ablegatur, tum eodem modo, ALIAS, PLURIES, aut DISTRINGAS, quod ſi per contumaciam citatus aliquis abſuerit, & ob id mulctatur, Vice-Comitis eſt, bona pignori accipere, & in ærarium perducere, neque minus officium ejus eſt, tam Eirenarchis in conventibus, qui *itinerantes* ſunt, adeſſe, quoties in Provinciam ad actiones tam civiles quam criminales expediendas (quod quotannis bis fieri ſolet) proficiſcuntur; & ſicuti carceris cuſtodia penes illum eſt, ita ſicubi capitis damnatus eſt aliquis, eum ultimo ſupplicio afficiendum curare.

Galliæ

Galliæ VICE-COMITES Inſignibus iisdem, quibus Angli gaudent. *L'Oyſeau* eorum tria genera recenſet. I. Qui immediate a Rege & Corona dependent. II. Qui a Rege tanquam Duce vel Comite Provinciæ unius vel alterius dependent. III. Qui a Duce vel Comite dependent. Olim ordinariam jurisdictionem in rebus Civilibus exercuiſſe, alios vero ſolam tertiam partem redituum percepiſſe idem docet. Nunc non alio ſtatu quam reliquæ Dignitates Galliæ vivunt. In Hiſpania modo Dignitatem, modo Officium eſſe collegimus ex *Lind. Deſc. O. p. 266.* Portugalliæ unum VICE-COMITEM *de Villa Nouva de Cervara*, numerat *Souſ.* hoc anno tres alios c. l. Quo ſi plures non ſint, ſaltim præſens *Don Pedro* adjecit: *Pedro Jaques de Magalhals, Don Alfonſo Turtado, & Don N. Mendouça.*

DISSERTATIO X.

DE BARONIBUS.

CAPUT I.

Baronum acceptio pro ſuperiori Nobilitate in Gallia, Germania, Hungaria, R. Neapolitano: Obſoletæ acceptiones pro hominibus diſſolutis, Viris, Nobilibus: Origo Vocis: Boyarones Ruſſiæ: Thani veterum Anglorum: Dominorum Titulus Regibus ac Principibus tributus: Dominatus Hiberniæ. Dynaſtæ, Balthi veterum Germanorum ac Gothorum. Nomina Diſtinctiva Baronum in Germania.

I.

DE BARONIBUS acturi vim Vocis, Qualitatem ipſam & Cognata eorum ſeorſim videbimus. Ac primo quidem BARONIS nomen Dignitatem poſt Comites & Vice-Comites proximam, inferiorique Nobilitate majorem ſignificat, quo ſenſu etiam nos illud nunc accipimus. Idem deinde uſu plerisque Regionibus recepto univerſæ majori Nobilitati aliquando commune fuit. Sic *Du Cheſne* citat ex Antiquo Codice *en la Maiſon de Montmorencie L. 1. c. IV. En temps de Parlement ſeront en la Chambre de plez Li Souveraigne & Preſident certain BARON & certain Prelat: Ceſt aſcavoire des BARONS, li Duc de Bourgoigne, Le Comeſtable,*

Le Count de Saint Paul &c. Et in Appendice Aimoini L. I. c. LII legitur: *Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, Abbates quoque, plures etiam Optimates* & BARONES *ſui Regni* congregari fecit. Et c. ſeq. *Quidam quoque ſuffraganei ipſorum, nec non Optimatum* & BARONUM Regni Franciæ *non minima pars.* Item Otto Friſing. L. II. c. XII. Marchionem inter BARONES numerat: *Inter quos Wilhelmus Marchio de Montſerrato, Vir Nobilis & magnus, & qui pene ſolus ex Italiæ BARONIBUS Civitatum effugere potuit Imperium &c.* Atque iterum in Germaniæ noſtræ Proceribus exemplum elucet in Diplomate Principum Imperii de Electione Ottonis IV. Imp. Cujus initium eſt: *Sanctiſſimo Patri ac Domino Innocentio SSæ Romanæ Sedis ſummo Pontifici Principes* & BARONES Alemanniæ *Clerici & Laici debitam in Chriſto reverentiam &c.* Et in fine ejusdem: *Sanctitatem inſuper veſtram obnixe rogamus, quatenus* Principes & BARONES *a tam rationabili electione diſcordes Eccleſiaſtica Cenſura ad Concordiam revocetis*, apud *Goldaſt. Tom. 1. Conſt. p. 287.* Apud Hungaros nec noſtris temporibus plane deſiiſſe ex *Werbeuczii* hisce colligimus *Conſt. Hung. P. 1. Tit. XCV.* *Ne autem ſuper officiis* & Nominibus BARONATUUM *dubium ſuboriri poſſet, eorum nomina hic inſerenda exiſtimavi. Sunt itaque* veri BARONES, *quorum ab antiquo Nomina Decretis & Literis confirmationalibus Regiis inſeri conſueverunt, Palatinus Regni Hungariæ, Judex Curiæ Regiæ; Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Slavoniæ Banus, Waywoda Tranſilvanus & Siculorum Comes &c.* Hinc & ſi Status inter illos commemorantur, id communi hac Paraphraſi fieri ſolet. *Prælati, BARONES & Nobiles cæterique Status & Ordines Regni Hungariæ;* Vel *Prælati, BARONES, Magnates & Nobiles &c.* Vid. *Diar. Eur. Cont. VII. p. 477. & ſeqq. Et in Append. Cont. IIX. init.* Similiter de Regno Neapolitano docet *Anton. Surgens Neapol. Illuſtr. L. 1. c. XXIII. §. II. Diſtribuuntur Titularii in Comites, Marchiones, Duces. Principes, omnesque appellantur BARONES.* Quo ſenſu & Conſtit. Caroli I. de Conjugio Magnatum accipimus: *Quod BARONES Regni absque permiſſu Regis non poſſint Uxores ducere, nec matrimonia concedere Filiabus, Sororibus, Neptibus, &c.* Idem de rebus Lithuanicis prodit *Prilus.* Verbis ultimis §. 111. h. c. citandis; Et de Portugallia, Catalonia, Mediolanenſi Ducatu id tradit *Reinking. R. S. 1. IV. XV.* & compilator ejus *Piſetzki. c. XIII.*

II. Obſoleta eoque huc parum facientia ſignificata ſunt, quod BARO olim fuerit I. *Nomen Contumeliæ*, quemadmodum Ciceronem interpretantur *L. V. ad Attic. Ep. XI. Apud Patronem & reliquos BARONES in maxima gratia poſui.* Et L. IX. Ep. ult. *Ille BARO Te putabat quæſiturum, unum cœlum eſſet an innumerabilia.* BARO h. homo nequam & diſſolutus. Ubi Critici tamen pro Barone *Varo & Varro* legunt. Vid. *Martin. Lex. ad hanc Voc.* II. *Viri Synonymum*, ut in *Lombard. L. 1. Tit. IX.* Si quis homicidium perpetraverit abſconſe in BARONE Libero, vel Servo, vel Ancilla: Quod & Scandicam Vocem præ ſe ferre docet *Loccen. A. S. L. II. c. III.* ex LI. Ripuariorum Tit. LIIX. §. XII. & LL. Norveg. c. LVII. & XLIIX. ubi Barintoug Expeditio Virorum ſit. III. Pithoeus Subſ. L. II. c. IIX. obſervat apud Hirtium de B. Alexandrino BARONUM Nomen Gallis militibus ſeu Cuſtodibus tribui: *Concurritur ad Caſſium defendendum: Semper enim BARONES compluresque evocatos cum telis ſecum habere conſueverat, a quibus cæteri intercluduntur.* E quo tandem, Voce cum progreſſu temporis meliori ac molliori reddita, ſenſim hodierna ſignificatio emerſiſſe videtur. Confer *Camden. Britann. p. 104. Martin. Lex. V.* BARO.

III. In Etymologia nobis ſatis erit aliorum ſententias colligere. Genuinam enim in tanta ſignificatuum varietate aſſignari haut facile erit; neque multum refert etiam, cum de re ſatis conſtet. *Vultej. L. 1. Feud c. IV. hæc collegit: Bartol. & Alvarot. Valvaſores majores putant eſſe illos, qui hodie dicuntur BARONES; quæ appellatio in Libris noſtris Feudalibus non reperitur. Plerique eam derivant a Græco βαρὺς, quod eſt gravis: Alii a Græco βάρος, quod ſignificat Latinis pondus, quod nimirum aliis corporis pondere & natura anteire debeant. Borcholt. Tr. Feud. C. V. voluit dictos eſſe a German. Banner. Hotomannus dicit vocem Baronis paſſim uſurpari pro viro, ut ita vox illa videatur deducta eſſe a Latino Viro. Nonnulli appellationem illam ab Hebræorum Bar, quod eſt Filius, repetunt: de quo videatur Mozz. de his qui feud. dar. poſſ. num. XVII. & Baldo in c. innotuit in fin. de Elect. videtur nomen Baronis eſſe vulgare & ex ſermone utentium introductum pro honore alicujus habentis autoritatem & jurisdictionem. Tentari poſſet Barones dictos eſſe, quaſi pares, quod pares ſint Comitibus. Id quod confirmant Germaniæ noſtræ mores, ubi Comiti Baro æquiparatur, nullumque eſt inter eos in Dignitate diſcrimen, niſi quod Baro non eſt in-*

veſti-

veſtitus de Comitatu, ideoq; Capitaneis proprie ita dictis, non valvaſoribus majoribus accenſendus fuerit, modo ab Imperio feudum obtineat. Vernacula noſtra Barones dicuntur Freyherren / *quaſi liberi Domini, fortaſſe quod liberum illis ſit Comitibus fieri, quandocunque placet, ſicuti Licentiatis fieri licet Doctoribus, quandocunque ipſis libet.* Græcum βαρὺς vero & *Reinking.* ſuum facit, derivatque BARONES ἀπὸ τῆς βαρύτητος ſeu rectius βαρότητος, quanquam eum & circumſpectiſſimus *Limnæus* ſequatur, atque inter alia ἀπὸ τῆς βαρύτητος BARONES deduxerit. B. Parens meus in Ægyyptiorum *Pharao* initia quærit. *Orig. LL. V. Baro.* Martinius Vulteji iſtis addit ſibi a Germanico noſtro Bahr h. apparens φαινόμενος originem petendam videri, veluti dicimus Bahr Geld / Barfuß / offenbar / ꝛc. Ut ſimili ratione BARO fuerit, qui Regi aut Principi pareat, item appareat, præſens ſit; Vel ab eo peti poſſe, quod BARO & *Varo* Virum ſignificet, ut indicetur ἀνδρεῖός τις, mannhafft/indeque & noſtrum frey &c. Belgarum & Gallorum Brave derivatum videri, cum & Vives ita ſic recenſere videatur *Proceres Inſignes Dignitatum militarium Nominibus* Dial. XIX. *Principes, Duces, Præſides Limitaneos, quos Marchiones nominant, Comites,* Viros, *qui* Barones Barbara voce *nominentur.* Quæ poſtrema hoc præ reliquis habent, quod in Re militari originem quærant, unde, veluti cæteræ Dignitates omnes egreſſæ ſunt, ſic hanc etiam ſumi poſſe veriſimile eſt.

IV. Inter Cognata Vocis collocamus Ruſſorum *Boyarones*, Sed qui ſecundo a nobis indicato ſignificatui fere æquivalent, idemque quod Magnates denotant: Ideo in Mandatis Czaricis Waiwodis anteponuntur. Onſe Boyaren / en Weiwoden / en Diacken / en alle onſe Befellhebbers. In Liter. Salv. Cond. a Czario Ruſſiæ Legatis Hollaticis datis in *Olear. Itin. p. 25.* Qui porro & hæc de iisdem ſcribit *p. 65.* De Raetsherren von de Groot-Voorſt / die ſe Boyaren heeten / zyn gemeenlyck de grootſte vant'geheele Landt / de welcke alle eygen Vorſtendommen / Landt en Luyden onder haer hebben / maer zy mogen ſe ſelver in Perſon niet beſietten / maer ſtellen daer Gouverneuers / t' ſelve in haeren naem te regeeren / en zy moeten alle tydt te Hove blyven / en den Groot-Voorſt op wachten / daer zy dan ook koſtlycke Pallenyſen en Wooningen hebben in de Stadt Muſcow / om deſto wenniger bevreeſt te zyn voor eenige oproer ofte rebellye. Zy houden oock eenen prachtigen Staet / Laeten hun treffelycken dienen / en als zy uyt ryden te Hove ofte buyten de

Stadt

Stadt/ hebben zy alle tydt een groot Gevolgh/ en laeten haer prachtig ſien / met ſeer koſtelycke Kleedern aengedaen / ſlaen op de keteltrommen en maecken een groot Geraes. Quæ, cum Authentica Editio ad manus non ſit, ex Belgica huc tranſcribi oportuit. Baro ab Herberſtein tamen Nobilibus æquiparare videtur: *Bojaros* locum Nobilium ſeu Equitum tenere *Comm. Rer. Moſcov. p. 12.* In Lithuania itidem Procerum in loco habitos fuiſſe promiſcuæ vocum Poſitiones videntur indigitare apud *Priluſ. de R. Polon. L. V. c. I.* Ubi cum Alexander Dux Lithuaniæ ſe Coronæ Polonicæ adjungeret, teſtatur, ſe facere id conſenſu omnium *Baronum*, Nobilium, Procerum & *Boyaronum* ejusdem Terræ.

V. De Anglorum Regno ſcribit *Camden. l. c.* Danorum temporibus, qui liberi fuerint Domini, & *Thani* Saxonibus dicti, *Barones* vocari cœpiſſe. *Thani* igitur ſeu *Taini & Thegeni* Barones erant. Atque ſic *Eadwold Cynges Thegn*, Regis Baronem reddidit Huntington. Et in *Pat. IIX. Henr. VI. part. 11. memb. IX. n. XII. mine Eorles and alle mine* Thegnes, reddunt Comites & Barones. Vid. pluribus *Selden. T. of. H. P. II. c. V. §. 11. 111. & ſeq.* Qui tamen & generalius *Thanos* pro Miniſtris accipi docet *l. eod.* Et in nott. ad Eadmer. p. 170. *Non alios, inquit, fuiſſe autumo* Tainos *& Servientes Regis in cenſualibus Guilielmi vocatos &c. In Surienſis nempe Pagi cenſu ibidem Oswaldus, Theodoricus atque alii Servientum nomine memorantur, qui tamen ipſi* Taini *indiſcriminatim poſtea ſtatim vocitantur, uti in Wiltoniæ cenſu Hervæus atque alii miniſtri dicti Servientes ſtatim nominantur; quos* Tainos *item appellatos liquet* &c. Apud Gallos & Nomen *Ber* occurrere loco Baronis citat du Cheſne aux preuves du L. IV. de L'Hiſtoir. de la Maiſon de Vergy ex antiquo Comico: *Noble* Ber *& poiſſant Meſſiere Henry de vergie.*

VI. In Imperio noſtro Baronum alia ſunt mera Cognomina, ut Freyherren/ Freye/ quomodo vocantur initio A. B. Alia nomina diſtinctiva, quæ veluti gradus quosdam huic dignitati inducunt. Ita enim dicuntur I. Nude Herren. II. Semper-Freien. III. Edle Herren. IV. Simpliciter Edle. V. Barones. Quos & Latini ſimilibus vocabulis exprimunt. Graviusque reliquis videtur Domini Nomen habitum fuiſſe, cum inter ipſorum Principum Titulos receptum ſit, non tantum in univerſale ſupremæ poteſtatis teſtimonium, de quo præced. Diſſert. 1. prolixe actum fuit, ſed in ſpecie certorum

locorum intuitu, Quos licet abſoluto & digno Principibus jure poſſideant, non tamen ſub Principis aut ſimili, ſed inferiori *Domini* nomine ſibi tribuunt, illudque reliquis majoribus Titulis ſuis poſtponunt. Sic Auſtriaci ſcribuntur *Domini Marchiæ Slavonicæ*, *Portus Naonis & Salinarum*. Sereniſſimus Elector noſter, *Dominus Ravenſteinii, Lauenburgici ac Butoviæ*: Principes Anhaltini, *Domini Serveſtæ ac Berenburgi*. Et ſeorſim nunc Serveſtani, Herren zu Jever und Kniphauſen: Marchiones Badenſes, Herren zu Rotelen und Badenwiler: Duces Mechlenburgici, Herren der Lande zu Roſtock und Stargard. V. *Limn. L. IV. VI. n. LIIV.* Goldaſtus hanc ſeriem Dominorum Imperii, qui Principes ſunt, aut iis æquiparentur, refert:

Dominus Roſtochienſis.
Dominus Stargardienſis in Megalopolia.
Dominus Friſiæ.
Dominus Marchiæ Venetorum.
Dominus Portus Naonis in Forojulii.
Dominus Mechliniæ in Belgio.
Dominus Molini in Burgundia.
Dominus Salinarum in Burgundia.
Dominus Preſſæ in Gallia Lugdunenſi.
Dominus Zerbeſtæ in Saxonia.
Dominus in Badenweiler.
Dominus Neoburgiam Principatus in Bavaria.
Dominus Neoſtadiani Principatus in Palatinatu.
Dominus Simmereni Principatus in Hunnorum tergo.
Dominus Grubenhagiani Principatus in Brunſvigia.

Corp. Ord. Imp. p. 9. Extra Imperium Reges Hiſpaniæ ſalutantur *Domini* (ſeu Lingua ipſorum *Sennor*) *Biſcajæ ac Molinæ*, *Diſſert. III. c. I. v. II.* Reges Portugalliæ, *Domini Guineæ & Conqueſtarum Navigationum & Commerciorum in Æthiopia, Arabia, Perſia & Indiis. Diſſert. I. c. I. §. III.* Reges Suediæ, *Domini Ingriæ & Wiſmariæ. Diſſ. III. c. II. §. I.* Duces Sabaudiæ, *Domini Vercelæ, Marchionatus Cedri, Oniliæ & Mari. Diſſ. c. eod. §. III.*

VII. Simili Dominatus ſeu Dominii Titulo olim Hibernia donata fuit, cum primum ab Angliæ Regibus occuparetur: Henricus II. enim Rex Angliæ, cum animum occupandæ Hiberniæ adjeciſſet, ut ſpeciem aliquam facinori obtenderet, ad Pontificem M.

Adria-

drianum IV. Legatos miſerat cum petito, ut ſibi liceret Hiberniæ Inſulam hoſtiliter intrare & Terram ſubjugare, atque Homines illos Beſtiales ad fidem & viam deducere Veritatis extirpatis ibi plantariis vitiorum. *Matth. Patris.* Cui annuens Adrianus Inſulam ipſi *Dominii* Titulo donavit, addito Inveſtituræ loco Annullo Auro, & in pleniorem confirmationem magno Diplomate, hujus inter alia tenoris: *Et illius Terræ Populus Te recipiat*, & ſicut Dominum veneretur, *Jure Eccleſiarum illibato & integro permanente, & ſalva B. Petro de ſingulis Dominibus annua unius Denarii penſione.* Quod confirmat Joh. Saliſberienſis, Henrici hac in re ad Pontificem Legatus primarius in *Metalogic. IV. c. XLII.* *Ad preces meas Illuſtri Regi Anglorum Henrico II. conceſſit & dedit Hiberniam jure hereditario poſſidendam, ſicut literæ ipſius teſtantur in hodiernum diem. Nam omnes Inſulæ de Jure antiquo ex Donatione Conſtantini M. qui eam fundavit & dotavit, dicuntur ad Romanam Eccleſiam pertinere. Annulum quoque per me tranſmiſit Aureum Smaragdo optimo decoratum, quo fieret Inveſtitura Juris ingerenda Hiberniæ. Idemque adhuc Annulus in Curiali Archio publice cuſtodiri juſſus.* Sed nihil horum Executioni mandatum. Poſt annos aliquot vero in auxilia Dermitii Hibernorum Reguli itum, & R. Strongbowe eo miſſus, qui ſucceſſibus adeo creſcebat, ut magnitudo ejus ipſi Henrico ſuſpecta redderetur. Sed ille Regi omnia ſubmittens ſuſpicionem declinavit; Ac demum ipſe Rex eo conceſſit XVII. Annis a dato Diplomate Pontificis, Regesque Hiberniæ ſibi Tributarios reddidit, ac Diploma Pontificium verbotenus ſecutus *Dominum Hiberniæ* ſe ſcribi juſſit, Titulo ante Ducis Guiennæ Titulum, quem Angli tunc quoq; gerebant, poſito. Qui etiam hoc modo ad poſteros propagatus fuit, donec præcedenti ſeculo loco ejus Titulus Regius Henrico IIX. Statuto Parliamenti Hiberniæ decerneretur, eo quod quibusdam ſeditioſis *Domini nomen*, non perinde ac Regis ſanctum & verendum videretur. *That forasmuch as the King, our gracious dre ad Souveraigne Lord &c. That the kings Highneſſe, his heires and Succeſſours have the Name, Stile, Title and Honour of King of this land of Ireland. Stat. Hibern. A. XXXIII. Henr. IIX. c. 1.* Quem Pontifex M. Paulus IV. poſtea Philippo ac Mariæ confirmavit: *De Poteſtatis plenitudine Apoſtolica Autoritate* Regnum Hiberniæ perpetuo *erigimus; Et Titulo, Dignitate, præeminentiis* Regiis *&c. Inſignimus & decoramus.* Ex quo Capite diduximus *Diſſert. I. c. I. §. VII.*

Confer *Selden. Titl. of. H. L. I. c. IV. §. 11. Camden. Appar. ad Ann. Eliz. p. 28. & Hibern. p. 686.*

VIII. Talia Dominia etiam apud Comites reperire eſt, quemadmodum Comitibus Bipontinis annumerata fuere Dominia Bitſch/ Ochſenſtein & Lichtenberg. Vid. *Sprenger. Luc. Imp. pag. 370. 371.* Comitibus Mansfeldicis Heldrungen/ quos etiam ex antiquo Cheldorum ſeu Heldungorum apud Saxones ſtemmate derivat Goldaſtus, indeque hodienum Edle Herren zu Heldrungen dici autumat. Sic Rheingraviis attribuitur Dominium ſ. Dynaſtia Morchingen/ Domui Waldeck Dominium Didinghauſen/ Domui Hohenloicæ, Dominium Weickersheim *Inſtr. Pac. Sued. Art. IV.* Sed non rara in hiſce mutatio eſt, & Dominii Titulus ſæpe in Comitatum tranſiit, quemadmodum Dominio Bitſch factum fuit, Et contra Comitatus Hohen Gerolseck cum Baronatus nomine permutatur *c. l. Inſtr. Pac.* Quod tanto minus mirum eſt, ſi Comitum ac BARONUM non adeo magnum diſcrimen eſſe cogitemus, qua de re Cap. ſeq. agendum erit. Inter ipſos BARONES Autores Dominorum nomine produnt BARONES Ruſſos, Herren zu Plauen/ Sleitz/ Graitz/ Cranichfeld/ Lobenſtein und Gera/ Herrn zu Rapolßſtein/ Herrn von Degenberg 2c. Sic & in Principibus ſubordinatis & quaſi Titularibus extra Imperium Domini Titulum legere eſt, ut præſens Marchio de Caſtel Rodrigo ſe ſcribit *Dominum Terræ Novæ: Don Franciſco de Moura, Cortereal, Marques de Caſtel Rodrigo, Conde de Lumianes;* Sennor de la Terra nova, *Governador &c. D. E. Cont. XVI. App. in Trr. Pac. Hiſpano-Gall.* Cujusmodi plura ex Libris Formularibus ſingularum Gentium Europæarum peti poterunt.

IX. Huc referimus & *Dynaſtæ* Titulum, quem, licet itidem generalis ſit, a Germanis noſtris frequenter pro *Domino* poni paſſim videre eſt, ut Dynaſta Ravenſteini, Lauenburgi ac Butoviæ; Dynaſtæ Serveſtæ & Berenburgi &c. Sic in Inſtr. Pac. Art. IV. ordinaria loco Dominiorum poſitio eſt *Dynaſtiarum:* Ut in puncto Reſtitutionis Domus Würtembergicæ *Dynaſtiæ* Weinſperg/Neuſtadt & Meckmühle/ Item *Dynaſtiæ* Blaubeuren/ Achalm & Stauffen/ *Dynaſtiæ* Heidenheim & Oberkirch &c. Et jam olim delectatos fuiſſe ejusmodi appellatione, vetera Gothorum ſecula nos docent, quibus BALTHI Titulus inter præcipua Nobilitatis Nomina erat: BALTHUS eſt Walt ſive Gewaltiger/ h. Dynaſta, quod propriiſſime Potentem ſigni-

ſignificat. Sic *Bonfin. Dec. Hungar.* *BALTHORUM poſt Amalos inter Gothos erat ſecunda Nobilitas: BALTHA namque lingua Gothica ſignificat Audaciam.* Immo placuit hoc Nomen ipſi Imperiali Titulo æquiparari & ſpreta Cæſaris & Auguſti appellatione in illorum locum ſubvehi. Sic enim Athaulphus loquitur ap. Paul. Oroſium, Scriptorem iſtius temporis: *Poſtquam inprimis ardenter inhiavimus, ut obliterato Romano nomine, Romanum omne ſolum, Gothorum Imperium & faceremus & vocaremus, eſſetque Gothia, quod Romania fuiſſet, fieretque nunc BALTHUS, quod quondam Cæſar & Auguſtus.* Quem locum alias corruptiſſimum eſſe fatetur *Goldaſtus.* Et Athalaricus Edicto IV. de ſua Electione ad Gothos ſcribit: *Recipite proſperum vobis ſemper Nomen Amalorum Regalem proſapiam, BALTHEUM germen, infantiam purpuratam, per quos DEO juvante parentes noſtri decenter evecti ſunt, & inter tam prolixum ordinem Regum ſuſceperunt ſemper augmenta.* apud Caſſiodor. in variis. Vid. pluribus *Goldaſt. præfat. in Tom. III. Conſtit. Lit. A. IV.* qui & Nomen maris Balthici inde derivat, cum Gothi ejus litora olim accoluerint.

X. Apud veteres Gothos GARDINGI hoc in loco habiti; Hi enim Ducum & Comitum Dignitati ordine ſubjungebantur. Sic locati leguntur ab Ervigio Rege *Leg. Wiſegoth. L. IX. Tit. II. leg. ult. Si majoris loci perſona fuerit, i. Dux, Comes, ſive etiam* Gardingus. Et infra Lege eadem atq; alibi ſæpe hi tres, ſeu eminentiores conjunguntur: *Et ideo id de cætero ſpeciali Decreto decernimus, ut quisquis ille eſt, ſive ſit Dux, ſ. Comes atq; Gardingus.* Similiter LL. earund. *L. II. Tit. I. L. I.* a Fl. Racaredo Ordinationi Legum adjunguntur: *Ut ſicut ſublime in Throno Serenitatis noſtræ Celſitudine reſidente videntibus cunctis ſacerdotibus DEI, Senioribusq; Palatii atq;* Gardingis, *earum manifeſtatio claruit &c.* Conf. *P. Pantin, de Offic. Goth. V. Gardingus in T. II. Scrr. Rer. Hiſp. f. 200.*

XI. Titulum der Semper-Freien/ reperire fuit in Baronibus de Limburg, Thuſis, Aldenwalden & Weſterburg/ quorum illos hodie Comites Leiningenſes repræſentant, qui præ cæteris hac appellatione gaudent. Quanquam & nudus Titulus der Herren a Limpurgicis abhibitus legatur: Chriſtoff Herr zu Limpurg/ des Heiligen Römiſchen Reichs Erb-Schenck. In Subſcr. des Königl. Vertrags zwiſchen Hertzog Albr. und Wolfgang an einen und Herrn Ruprechts verlaſſenen Erben &c. Colon. Anno MDV. ap *Goldaſt.* Reichshandl. *p. 51.*

 Vox

Vox ipſa, quod Hybrida ſit, Limnæo auditu durior eſt, quam tamen uſu & antiquitate ſatis tegi poſſe arbitramur, neque plane diſſimilis eſt in Imperatorum Titulis, quando ſemper Auguſti, allzeit Mehrer des H. Röm. Reichs dicuntur. De Origine ejus idem Limnæus cum Beſoldo Seldenum ſequitur *Jan. Angl. L: II. pag. 122.* Priſcos nempe Germanos Semper Libros, medios Liberos, & infimos Liberos tanquam Nobilium Claſſes habuiſſe, ex iisque die Semper-Freien præcipuos fuiſſe: Quæ confirmant ex c. XLVII. des Schwaben Spiegels. Hie ſoll man mercken dreyerln Frye Leut / welche Recht Sie haben. Es heiſſent eins Semper-Fryen / das ſind die Fryen Herren / als Fürſten / und die andern Freyen zu Mann habent. Das ander ſynt Mittelfryen / das ſynt die / die der hohen Fryen Mann ſynt. Das dritt ſynt geburen / die Fry ſynt / die heiſſen Fry Landſeſſen. Confer *Munſter. Coſmogr. L. III. c. XX. Rauw. Coſmogr. P. II. c. XXVII. p. 694.* Edle Herren vocantur Comites Mansfeldenſes, Edle Herren von Wartberg / Grafen und Edle Herren zu Diepholtz: Edle: Quales die Edlen von Plathe / die Edlen von der Planitz / item, Edle von Querfurt / Ipſum deinde BARONIS Nomen aliquando Gradum Diſtinctivum addere diſcimus ex Titulo Comitis de Hohenlohe in Subſcript. Receſſ. Ratisbon. de Anno MDCIII. Philippus Grafe zu Hohenlohe / Herr zu Langenberg / und Baron zu Lieſsfeld. V. *Limn. Beſold. Reink. Piſetzk. ll. ante citt.* Conf. Goldaſt. In Indicibus Conſt. & Reichs-Handl. paſſim.

CAPUT II.

Baronum origo, quid ſint: Quales in Gallia, in Anglia, in Imperio noſtro: Quomodo Comitibus Inferiores ſint, Prærogativa eorum in Suedia, Anglia: Tituli adjecticii Baronum & Inſignia: Series Baronum, Archi-Barones in Gallia, ubi non dentur Barones: Barones Titulati ac Nominales, Barones Quinque portuum &c. in Anglia: Baronetti.

I.

DE Origine hujus Dignitatis cogitamus, id factum eſſe, quod aliis majoribus Dignitatibus evenit, ut cum antea vel amplitudine, vel ſplendore majores eſſent, poſtmodo certis concluderentur Limitibus. Sic Cæſarem primo Imperatoriam Dignitatem denotaſſe, mox indubium in ea ſucceſſorem ſignificaſſe, tunc vero infra Sebaſtocrates & Deſpotas depreſſum *Diſſ. II. c. I. §. II.*

Digitized by Google

§. *II. IV.* Idem Principum, Ducum, Comitum Titulis eveniſſe Diſſertt. de iis editis patuit. BARONES itaque cum etiam primo Magnates in univerſum dicerentur, cum progreſſu temporis certa parte ſplendoris concludi, quodque Titulus novior eſſet (Nam veteris Imperii Romani noticia eum ignorat) & cum creſcente Gentium Septentrionalium in Italia, Gallia &c. potentia primum oriretur, reliquis antiquioribus cedere oportuit. Unde ſimul quid ſint BARONES eruimus, nempe Proceres in majori Nobilitate poſtremi. Hoc enim Graduum diſcrimen noſtris temporibus maxime convenit, & in omnes æque cadit. Contra vero antiqua & rigida iſta requiſita de certo Terrarum tractu aut pluribus feudis, aut amplitudine Jurisdictionis jam dudum videntur expiraſſe, quemadmodum apud *Tuſchum T. I. Pract. Concl. XXVII.* BARO dicitur, qui habet feuda plura ſub ſe & vaſallos; Et apud *Choppin. de Doman. Galliæ L. III. T. XXVI. n VII.* Qui ſummæ, mediæ ac imæ coercitionis jus in arce quadam habet ex conceſſu Principis; In quibus ac ſimilibus *Limnæus, Beſoldus* &c. ſe nimium fatigant, cum certum ſit, hanc Dignitatem non ubivis eandem eſſe, aut eadem requirere. Et *Reinking* plane nihil explicat, dum BARONES dicit, qui vel de Baronia cum Baronali & Regali Dignitate inveſtiti a ſupremo Principe, vel citra Baroniam hac Dignitate donati ſint. Facitque porro pro nobis, quod dignitas hæc communia cum aliis Dignitatibus jura habeat, ſequatur vero interea, ſi non ob inæqualitatem conditionis, ſaltim melioris ordinis cauſa: Id quod Praxis ubivis gentium docet, non obſtante etiam, quod impari poteſtate inſtructi ſint, & alibi plus, alibi minus poſſideant. Confer, quæ circa Ducum explicationem propoſuimus *Diſſ. VII. c. II. §. IV.*

II. Enimvero in Gallia requiſitum fuit, ut qui eum Titulum uſurparet, Caſtellanias plures haberet, & quidem vel duas ex *Conſuet. Turon. Art. XLVII.* vel tres *Conſuet. Andium T. des droits de Baron. Art. XLVII. Du Maine T. des Seigneurs, & Barons Art. LIV. LV.* Quam in rem & Edictum Regium citatur de d. XVII. Auguſt. Anno MDLXXIX. quo cautum, ne juxta Areſtum privati Conſilii d X. Mart. An. MDLXXIIX. Baronia prius diceretur, quam compoſita eſſet, vel haberet ſub ſua Ditione tres Caſtellanias ad minus, quæ unitæ eſſent & ſimul incorporatæ & poſſeſſæ ſub uno Titulo & Homagio præſtito Regi. V. *Limn. l. c. n. X.* Sed Rigor iſte nunc deſiit, ac

parum

parum abeſt, ut Dignitas mere Titularis nunc reddita fuerit. In Anglia BARONES ad modum reliquarum Dignitatum Superiorum ſe habent, & ſi non amplius ditionibus, ampla tamen Libertate donati ſunt, & liberum ac ſingulare in Parliamento ſuperiori Votum ferunt. In Imperio noſtro, qui immediate ab Imperio dependent, una cum Comitibus quatuor Comitum ſcamna conſtituunt, iisque implicita Vota ferunt. Hinc & non minus quam Comites Status Imperii appellantur, quibus & in Imperii matricula ratione Privilegii & Juris Auſtregarum, item in Dignitate ac munere Præſidis Cameræ Imperialis æquiparantur, & cauſæ ipſos concernentes æque ac aliæ ſuperiorum Feudorum Imperatoris cognitioni reſervantur. *Reinking. n. XXVI. & ſeqq. Beſold. §. XX.* Quod tamen in BARONIBUS Mediatis h. qui ſub Provinciarum Dominis ſunt, aliter ſe habet, veluti & de Comitibus Subordinatis Diſſert. præced. monuimus.

III. Prærogativam BARONUM in Imperio iſta, quæ modo diximus, facile docere poterunt. Comitibus æquiparari hinc ſatis colligere licet. Quare & communiter J. Publ. Scriptores ex *Baron. Schenck. in c. 1. quis dicatur Dux* allegant, nullum inter BARONES ac Comites eſſe diſcrimen, niſi quod BARO non ſit inveſtitus de Comitatu, ideoq; Capitaneis proprie ita dictis, non valvaſoribus majoribus accenſendos eſſe, modo ab Imperio Feudum obtineant; Et quod Herrſchafft æque ac Graffſchafft Nomen ſit univerſitatis collectivum denotans & continens Urbes, villas, agros, Territorium & ſimilia omnia BARONI dem Herren ſubdita. V. *Reinking. Beſold. Limn.* &c. quos illi paſſim citant. Interim ordinis cauſa inferiori ab ipſis loco ponuntur: Quod tamen ſuo tempore in Gallia Comitibus pariter ac Ducibus ab ipſis in dubium vocatum docet jam ante citatus *Girard. du Haillan de l' Eſtat des Affair. de Franc. L. III. p. 387. Et encorque par l' ancienne inſtitution le Duc doive marcher devant le Comte, le Comte devant le Baron, & ainſi des autres; s' y a-il en France tels Barons, qui ne voudroient ceder le rang aux Ducs & Comtes nouveaux.* Ratione Sacri Ordinis, in Suedia Epiſcopis anteferuntur: Ut in initiis Receſſ. Suedicorum *Nos* &c. *Comites, BARONES, Epiſcopi, Equites ac Nobiles &c.* In Anglia contra Epiſcopis poſtponuntur: Epiſcopi enim, quia cenſentur accipere Bona ſua a Rege per BARONIAM, (quæ Phraſis eſt, qua Politici Anglorum in hac materie utuntur)

tur) ac præterea Dignitatem Eccleſiaſticam ſuſtinent, ideo intuitu geminatæ quaſi Dignitatis prærogativam obtinent: Quæ quidem res tempore mutati ſtatus Regii ſub Carolo I. ipſis diſputata fuit, adeo ut inter alias mutationes violentas etiam hanc ſubire cogerentur, ut BARONES ſequerentur inpoſterum, quod contigit Anno MDCXLI. In præſens tamen Regno a Carolo II. inſtaurato ad priſtinum locum rediêre. Et inter ipſos BARONES tunc temporis erant, qui iniquam iſtam mutationem improbarent, veluti, cum primo omnium Epiſcopos anteirent, idque fieret die Jejunii pro felici ſucceſſu Parliamenti tunc inchoandi indicta & Proceribus ad Rem Sacram in Eccleſia Weſtmonaſterienſi celebrandam ordine ac more ſolito ſe conferentibus, BARONEM Spencerum erupiſſe ajunt: Iſtam diem jejuniis ac humilitati deſtinatam eſſe, & tamen eâdem primum ſuperbiæ veſtigium BARONES ponere, dum prærogativam illis præripiant, quibus a nullo majorum ſuorum unquam ambigua facta fuerit. Vid. *Fuller. Church. Hiſt. of Engl. L. XI.*

IV. Titulus BARONUM in Imperio noſtro eſt *Illuſtris*, Germanice Wolgeboren / & novius Hochwolgeboren. Quanquam in Belgio quoque ſint, quos vocant de wolgeboorne Mannen / ſed inferiori a BARONIBUS conditione. In Anglia, *the right Honourable*, Titulo Comitibus & Vice-Comitibus cum ipſis communi: Qui & ſeorſim Titulo LORD utuntur inter prænomen & cognomen antiquum poſito, Ut *Francis Lord willoughby of Parham, Denzil Lord Hollis of Tfeild &c.* Inſignia eorum quod attinet, ipſi hoc potiſſimum Charactere diſtinctivo utuntur, quod Perlas in Coronettis gerant, & quidem non floribus interſtinctas, aut Cuſpidibus nixas, ut de Comitibus & Vice-Comitibus ante notavimus, ſed immediate Coronettis incumbentes; Numero tamen vario: In Germania enim multis eſſe licet, in Anglia autem ſex tantum eſſe requiruntur: Qua in re iterum nobis præluxit Noticia Heraldica, *the Earle Marſhals Booke* ex Stat. Caroli II. d. VII. Auguſt. A. R. ejus XIII. *Quilibet eorum quoddam pileum ſericum coccineum cum circulo Aureo* & ſex Margaritas *ſcilicet in ſummitatem ejusdem æqualiter diſſitas habeat.* De BARONIBUS Gallicis docet *Paſchal. de Coron. L. IX. c. XXII. Eos geſtare non quidem laminam integram & latam, ſed tenuiorem ac reſtrictiorem, ac veluti circulum ſeu gracile vinculum aureum.*

V. Ac ne ſeriem ipſorum recenſendam plane prætereamus, ex Imperio noſtro repetimus, quos ſupra laudavimus, quosque quatuor BARONES ſeu Liberos Dominos dixere, BARONES Limpurgi in Franconia, Weſterburgi, Thuſis & Rharæ, Aldenwaldiæ. Addi poterunt Syllabi in *Goldaſt. ſæp. cit. recenſ. Corp. Imp. 30. & in Indicibus Conſt.* paſſim reperiendi. In Gallia memorabile eſt Momorancios dici ARCHI-BARONES ſ. primos BARONES: Montmorencie enim prima olim e BARONIIS reputata eſt. *ARCHI-BARONEM appellare ſolemus Momoranciacum, qui id nominis præ cæteris BARONIBUS obtinuit, quod ſcilicet Zelo Chriſtianiſmi accenſus eidem lavacro ſe immiſerit, quo Rex Clodovæus Proto-Chriſtianus Sacro Baptiſmate ablutus eſt.* Rob. Cocnal. Periech. XIV. p. 108. Confer *Du Cheſne aux preves de l'Hiſt. de Montmor. p. 3. Anno MCCCXCI.* Et Limn. l. ſæp. cit. Scrupulum tamen hic movet *Seldenus*, quod in Libro Antiquo *Rageau des droits Royaux* verb. *BARONIE*, tres BARONIÆ antiquitus in Gallia fuiſſe memorentur, *Bourbon*, *Coucy*, *Beaulieu*, prætermiſſa *Momorancie*: Et BARONES Gallicos Nomen *Sire* loco BARONIS amaſſe idem monet ex antiquo Carmine, quo BARO de Coucy introducitur ſermocinans:

Je ne ſuis Roy, ne Prince auſſi,
Je ſuis le Sire *de Coucy.*

Seriem Anglicorum BARONUM vid. in ſæpius cit. *Englands Glory.* Ex quibus Denzellus Hollis, *Denzil Lord Hollis of Yfeild*, & Henricus Conventry, *Henry Lord Conventry*, Plenipotentiariorum Regiorum Titulo in ultimis Tractatibus Anglo Belgicis innotuere. Primi ſunt Johannes *Lord Nevil of Abergavenny*, *Jacobus Lord Tutchet of Awdley &c.* Id vero falſum eſt, quod *Sprenger.* adnotat *Font. J. P. c. II. §. III.* BARONES Anglos vocari *Chevaliers Baronets*; cum hæc Dignitas a BARONIBUS diverſiſſima ſit. Portugalliæ BARONUM unum, BARONEM de Alvito, recenſet *Souſ. Loſ. Lib. Procem. I. n. II.* E Belgii BARONIBUS Brederodii celebres ſunt. Et in Trr. Aquenſibus Pacis Hiſpano-Gallicæ innotuit Joh. Baptiſta de Brouchoven, BARO de Bergeyck. In Regnis Poloniæ ac Daniæ locum hactenus non adeo habuiſſe videntur. Nec in Hiſpania extra Arragoniam id Nomen cognitum eſſe docet *Sprenger. l. ante cit.*

VI. Sequuntur BARONES Titulati, quo nomine hic non

illos adeo indigitamus, qui Bonis ac Ditionibus carent, quove ſenſu Beſoldus videtur diſcrimen inter BARONEM Titulatum, & BARONIAM poſſidentem adducere ex *Henel. Sileſiogr. f. 69.* cum Dignitas in iis ſalva maneat, ſed eos qui inferiori Nobilitati alias reipſa annumerati BARONUM Nomen nihilominus habent. Taleſque ex Anglia obſervamus I. *BARONES Quinque portuum*, *The Barons of the Cinque ports*, h. delegati Burgorum Quinque portuenſium in Parlamento Inferiori. Quorum præterea & hoc peculiare officium vel privilegium eſt, quod tempore Inaugurationum Regiarum, vel aliarum Solennitatum Uraniſcum Regium portent. Plura de iis vel etiam de ipſis Quinque portubus, qui qualesve ſint, deſideranti indicamus *Th. Hackluyt Voyag. T. I. fere ab init. Coke Inſtitut. of Laws L. IV. c. XLII.* II. Judices Regios, qui Reditibus Regiis dirigendis præpoſiti ſunt, quos vocant *the Barons of de Exchequer.* III. *BARONES de Kinderton & de Burford*, quorum hic tantummodo Eques eſt, alioſque Equites pro ætatis ſuæ ratione ſequitur; Ille Nobilis, *an Esquire*, ſed reliquos Nobiles tamen antecedens: Memoratque de *BARONIBUS de Kinderton King in the Deſcription of Cheſter:* Eos Comitibus Ceſtriæ originem ſuam debere, qui cum adhuc abſoluti Domini eſſent, ejusmodi BARONES, BARONES Comitivos, *the Earl's Barons*, dictos, creaverint ac in Conſiliis capiendis ſibi adjunxerit, taliumque octo Familias recenſet, e quibus ſola hæc Kindertonenſium adhuc ſuperſit.

VII. Cognati deinde BARONIBUS ſunt BARONETTI, Titulus itidem ſoli Angliæ cognitus & major quidem communibus Nobilibus, ſed BARONIBUS inferior habitus. Cæterum vero æque hæreditarius ac reliqui Tituli, in quibus hactenus verſati ſumus. Hi primum creati ſunt A. IX. Regis Jacobi d. XXII. Mai. Diploma creationis ac cæteras circa ipſos circumſtantias exhibet *Selden. P. II. c. V. §. XLVI. p. 821.* Occaſio erat turbarum in Hibernia metus, quibus compeſcendis cum ſufficiens militum numerus ex reditibus Regiis ali non poſſet, hæc Dignitas excogitata fuit, qua donarentur, quotquot in defenſionem Hiberniæ, & in ſpecie Provinciæ in Hibernia Ultoniæ, continuo triennio XXX. Milites aliturì eſſent. In Inſcriptionibus Titulo *SIR* afficiuntur & ratione prærogativæ anteeunt communes Equites omnes præter Bannerettos, i. qui præſente Rege in Campo creantur, de quibus plenius videnda erit ſeq. *Diſſ. XIII.*

Digitized by Google

de Equitibus. Additur in Diplomate Regio, Numerum ipſorum nunquam ultra CC. augendum eſſe, ſed ſi quis abſque prole maſcula deceſſerit, imminuendum fore, nec quenquam in vicem ejus ſurrogari debere. Sed hæc ſub inſtauratione Regni Anglici ac reditu Sereniſſ. Regis, qui nunc eſt, mutata ſunt, variique ad Dignitatem hanc evecti, ut d. VII. XIV. XXIX. Junii, Anno M DC LX. & quidem ſine ſpeciali obligatione ad rem aliquam præſtandam. Horum Catalogum habes in *Englands Glory p. 47.* Eratq; primus inter eos Dn. *Orlando* (non *Alandloe* veluti Autor *Diar. Eur. Cont. IV. pag. 373.* eum vocat) *Bridgeman*, poſt ſupremus Angliæ Juſticiarius, & nunc Magni Sigilli Cuſtos redditus: Quem quidem & BARONEM *eod. Diar.* loco vocari videmus, ſed more ſcriptoribus noſtris ſolito, qui ut plurimum Titulum hunc cum BARONUM Dignitate confundunt, quod & ſuperius §. V. ad Sprengeri Fontes J. P. obſervavimus.

DISSERTATIO XI.

DE NOBILIBUS.

CAPUT I.

Autores de Nobilitate: Nobilitas Cœleſtis, Virtutis, Civilis: Nobilitas Superior & Inferior, Titulus Nobilis Principibus & Ducibus tributus: Nomen Nobiliſſimi & Protonobiliſſimi: Germanorum Adel/Edelmann/ *Athelingi:* Juncker: *Gentilhomme Gallorum, Anglorum Gentleman, Hiſpanorum Gentilhombre; Eorundem Hydalgos, Anglorum Esquire, Gallorum Escuyer, Ruſſorum Kneſii, Hibernorum O-Neal.*

I.

DE NOBILIBUS & NOBILITATE ſingularibus Tractatibus egerunt *Tiraquellus de Nobilitate; Gundiſalvus Argote de Molina L. de Nobilitate, Hieron. Oſorius de Nobil. civili & Chriſtiana, Joſeph. Nolden. de Nobilitate, Matth. Stephani de Nobilitate Politica, Cyriacus* Spangenberger im Adelſpiegel/ *Reiner. Reineccius* von des Adels Herkommen: *Beſoldus gemina Diſſert. de Nobilitate* altera propria, altera Fratris Joh. Georg. Beſoldi, *Opp. Polit. Tr. III.*

Tr. III. Diſſ. II. De Jure ordinibusque Civium p. 71. & ſqq. Pro ſpeciali cognitione Nobilium in una atque altera Rep. facient: *Nobiliario Genealogico de los Reyes y Titulos de Eſpanna par Alonſo Lopez de Haro Tomis II Madrit. M DC XXII. fol.* De Nobilitate Veneta nunc ad manus eſt: *Le Arme o vere inſigni di tutti li Nobili della &c. Città di Venetia chora vivono, Venet. M D XCVI. 4°.* De Gallis *L. Eſtat. de la France p. 11. p. 347. Les Noms & Armoiries de la Nobleſſe de France.* De Anglis, *Englands Glory*, Tractatus jam ſæpe in Diſſertt. hiſce citatus; Pro Imperio noſtro Kreidenman von Teutſchem Adel: Alii præterea peti poterunt ex Indicum Librorum Scriptoribus, *Geſnero, Fabian. Juſtiniano, Draudio &c.*

II. Ad Nominis evolutionem ſpectat triplex NOBILITAS, quam Florilegia &ſ. ſententiarum oratoriarum collectanea exhibent: I. *Cœleſtis.* II. *Virtutis.* III. *Civilis.* De prima loquitur *Hilarius in Panegyrico de V. Honorati*: Nos autem in Chriſto unum ſumus, & faſtigium eſt NOBILITATIS inter DEI filios computari. Et *Hieron. ad Celantiam*: Sola apud DEUM Libertas eſt, non ſervire peccatis: Summa apud DEUM NOBILITAS eſt, clarum eſſe virtutibus. Cui ſimile eſt Paradoxum, quod *Beſoldus* diſputat *Diſſert. de Jur. & ordd. Civium c. IX. §. IX.* Solum ſpiritu pauperem vere, i. naturaliter eſſe NOBILEM: Cum Paupertas ſit ſimilitudo DEI & a nulla Creaturarum Pauper dependeat, quæ ſub ipſo ſunt, ſed in ſolo illo acquieſcat, quod ſupra omne eſt exaltatum. Hæc autem ipſiſſima NOBILITAS ſit paupertatis, quod a ſolo ſummo Bono pendeat & inferiora omnia deſpiciat &c. De ſecunda eſt Stoicorum Theſis: Solum Sapientem eſſe NOBILEM: Et Cynicorum: *Τοὺς αὐτοὺς εὐγενεῖς τοὺς ϗ ἐναρέτους*, Eosdem NOBILES, qui & probi eſſent: Unde & iſti definierunt NOBILITATEM, Habitum a genere aut inſtitutione aptum ad virtutem. V. *Lipſ. Manud. ad Philoſ. Stoic. L. III. Diſſ. XVII.* De omnibus ſimul *Gregor. Nazianz. Orat. XIIX.* NOBILITATIS triplex genus eſt: Unum, quod ſuperne originem traxit, quod quidem ſi conſideremus, omnes peræque NOBILES ſumus, quippe ad DEI imaginem creati. Alterum quod a Sanguine proficiſcitur: Cujus ratione haut quidem ſcio, an quiſquam NOBILIS dici poſſit, cum corruptione conſtet. Tertium a virtute aut vitio agnoſcitur, cujus vel uberius vel exilius participes efficimur, prout, opinor, imaginem Divinam vel integram ſervaverimus, vel

corrupérimus. Atque hanc demum NOBILITATEM amplectatur, quisquis vere ſapiens ac Philoſophus fuerit. Sic *Lanſius* introducit NOBILITATEM *Barbaricam*, quando homines non aliter, quam equi & Canes, aliæque beſtiæ ex genere & ſanguine æſtimantur: *Philoſophicam*, quando ſua quisque virtute ſpectatur; Et *Mixtam*, quando quis tam ſanguine, quam ſua virtute cenſetur. *Or. pro Ital. p. 506.* Nos cur ſolam NOBILITATEM Civilem agnoſcamus rejectis cæteris ratio eſt, quia NOBILITAS eſt præmium publicum, quod non ſemper in virtutis NOBILITATE, ac tanto minus in Cœleſti confertur, ſed tunc demum, ſi virtus a Reip. Præſide in æſtimationem trahatur; Ac licet NOBILITAS nunquam ſine virtute eſſe poſſit, alias enim præmium non eſſet, non tamen ideo reciprocus nexus eſt, ut, ubi virtus eſt, etiam ſit NOBILITAS. Sed NOBILITAS ubi eſt, ibi virtus quidem eſſe requiritur, non autem vice verſa, ubi virtus eſt, ibi NOBILITAS etiam locum habet, niſi aut æſtimatio publica accedat, aut NOBILITAS alio & huc non pertinenti ſenſu explicetur.

III. NOBILITAS præterea eſt Superior vel Inferior. Superior totum complexum Dignitatum Civilium a Regibus ad Barones usque comprehendit; Inferior Infimum Gradum eminentiæ ſuper popularem ſtatum. Quæ diſtinctio apud Autores paſſim occurrit. Ita *Nauclerus Generatione XLIII. fol. 231. NOBILITAS gradus habet, ſunt enim Principes, ſunt Comites atque Barones, ſunt &* Inferioris Gradus NOBILES: *Principes non ſolum Dignitate & generis claritate, ſed & potentia antecedunt reliquos, Terras habent & dominia latisſima. Comites & Barones cæterique NOBILES per totam Sueviam diſperſi ſunt, regionem veluti flores campos undique exornantes. Et quod mirum videtur, Principes, Comites & Barones, quoties Imperii neceſſitas exigit, obſequia Cæſari tanquam ſubjecti præſtant:* Inferioris tamen gradus NOBILES *exemptos ſe dicunt &c. Et* Jul. *Pflug. de Rep. German. p. 19. De NOBILIUM autem ordine quid dicam? Ii quidem gradibus jam inde ita diſtincti fuerunt, ut qui* ſummi eſſent, ornarentur Principum Dignitate, Medii Comitum atque Baronum, Infimi autem Equeſtris eſſent loci. V. *Reinking. R. S. I. V. X. n. IIX. IX. Beſold. de Ordin. Equeſtr. Libero n. XIII.* Et Gockelius totum caput de NOBILITATE impendit generali huic ſignificatui pro quacunque nominis, familiæ, & famæ illuſtratione, ac prout creationem Re-

gum,

gum, Electorum, Archi-Ducum, Principum &c. comprehendit. *De Reg. Europ. c. XXIV.* qui Liber utinam nonum in annum preſſus fuiſſet! Hincque porro factum putant, ut qui ex inferiori NOBILITATE eſſent, NOBILES miniſteriales Adelſchalck / & Edelknechte dicerentur. V. *Lindenbrog Lex. V. Adelſcalck.* Hinc etiam ratio petenda videtur, cur Pontifex M. in Literis ſuis ipſos Duces NOBILES inſcribere ſoleat, ut Gregorius IX. Marchionem Miſnenſem c. conſtitutis XLVI. extr. de teſtibus, Innocentius III. Ducem Carinthiæ c. venerabilem fin. extr. de Elect. & Elect. Et Anno MDCXX. Paulus V. P. M. Literis gratulatoriis de dat. Rom. III. Dec. Sereniſſ. Ducem Bavariæ & poſt Electorem Maximilianum non alio alloquitur Titulo, quam hoc: Dilecto Filio, NOBILI Viro Maximiliano Duci Bavariæ Paulus P. V. Dilecte fili, NOBILIS Vir. V. *Miræum de Bell. Bohem. p. 105.* Quem Titulum tamen Principes Proteſtantes ferundo non fuerunt, ideo Anno MDLXI. P. M. Pii V. literas aperire noluerunt, quia ſimili inſcriptione inſtructæ erant. V. *Reinking. l. c. Limn. I. P. IV. VI. n. LV.*

IV. Eodem pertinet, quod NOBILIS Titulum olim inter maximas Dignitates ſolùm collocaverint, cui indicio erunt, quæ Diſſ. II. c. I. §. III. tradidimus de Nobiliſſimatus Dignitate, eam nempe in veteri Imperio Romano proximis ab Imperatore, Cæſaribus, & mox omnibus Principibus Sanguinis tributam, & ſpeciali indultu conceſſam eſſe. Quibus in Cumulum hic adjicimus Zonar. de Copronymo: Τὸν Νικήτην ἔστεψε Νωβελλίσιμον. *Et Marcellinus Comes: Anno,* inquit, Regiæ Urbis conditæ (Conſtantinopolin intelligit) CXCVII. Juſtinus Imperator Juſtinianum ex Sorore ſua nepotem, jam dudum a ſe NOBILISSIMUM deſignatum, participem quoque Regni ſui ſucceſſoremque creavit. Sic Alemannus notat inſuper Titulum Protonobiliſſimi *Not. in Procop. Hiſt. Arc. pag. 42.* Et juxta hunc πρωτονωβιλεσίμου πέρπατος habes in *Jur Græco-Rom. L. IV. p. 288.* Ipſum vero Imperatorem hunc NOBILISSIMI Titulum amaſſe diſcimus ex *l. III. ff. de Natal. reſtit.* Carolum Juniorem Vaſconum Regem ſingulare NOBILIS cognomen habuiſſe tradit *Marian. L. XIIX. c. XI. Paſſim novo Principi favebatur propter morum Integritatem, facilitatem Imperii; atque liberalitatem nihil denegantis quod dono dignum eſſet, ad cætera, quibus nemo ea ætate inſtructior Princeps fuit congeſtis omnibus a Natura fortunaque Bonis, eaque Patri diſſimillimus, unde Nobilis cognomentum factum eſt.* V. Co-

V. Cognomina NOBILIUM apud Græcos ſunt εὐγενὴς, εὐπατρίδης, εὐπάτωρ, de quibus nihil eſt, quod moneamus. Apud Germanos in Abſtracto eſt der Adel / vox primitiva, ſed cujus veſtigia in vocibus Adler vel Alt forte quæſiveris. In concreto deinde eſt Edler / Edelmann / die Edelleute. Unde apud veteres innotuit Adelingi, ſeu Athelingi, & Edlingi Nomen, in ſpecie quidem Proli Regiæ aliquando tributum: Quo referimus verba *P. Diacon. Rer. Longob. L. I. c. I.* ubi poſtquam octo Longobardorum Reges recenſuerat, ſubjungit: Hi omnes *Adalingi* fuere. Sic enim apud eos NOBILIS quædam Proſapia vocabatur. Niſi, ſi Criticen exerceri fas eſt, *Amalingi* legi velis, quod Nomen primæ NOBILITATIS & Regiæ Oſtrogothorum Familiæ erat, idemque quod Cœleſtis denotabat, origine ſeu ſimilitudine ad noſtrum Himmel ducta. Unde & hodienum apud nos durans nomen *Amaliæ* h. Cœleſtis & Amalsvithæ h. Cœleſtis ſapientiæ Reginæ Gothorum, nomen derivatum. V. *Goldaſt. præf. in Tom. III. Conſt. Imp.* & ex eo *Diſſert. noſtram X. c. I. §. IX.* Eodemque ſenſu & priſci Anglo-Saxones Principes Regios Adelingos dixerunt, de quibus egimus *Diſſ. IIX. c. IX. §. II.* Sed tamen & generalius id omnes tulere, qui NOBILES nunc dici poſſunt. Sic Beſoldus citat ex Hucbaldo Abbate Elonenſi Vit. B. Lebvini: *Erat gens Saxonum, ſicut nunc usque conſiſtit ordine tripertito diviſa: Sunt enim ibi, qui illorum Lingua* Edlingi, *ſunt qui Frilingi, ſunt qui Laſſi vocantur: Quod Latina Lingua NOBILES, Ingenuos atque Serviles ſonat. Add. Nithard. Hiſtor. Franc. L. IV.* Confer *Lindenbrog. Gloſſar. Voce Adelingus.*

VI. Simili uſu nomen Juncker noſtro tempore NOBILITATI Inferiori relictum, re notiori, quam quæ Exemplorum recenſione indigeat: Antea vero etiam Ducum, Principum, Comitumque filiis natu minoribus tributum fuit: Quam in rem citantur pactis hereditariis Comitum Hollato-Schaumburgicorum & Comitum Sternbergenſium Anno M CCC LXX. initis ſubſcripſiſſe: Graf Heinrich von Sternberg / Junckherr Simon von Sternberg / Dechant zu Paderborn; und Junckherrn Johann Graf zu Sternberg ap. Cyriac. Spangenberg in *Chron. Schaumburg. L. V. c. XIIX.* Item in Diplomatibus Ducum Brunſuicenſium de Anno MCCCLXXIV. legitur: We Junckherr Fredrick / Bernd / Henrick und Otto / Bröder von der Gnade GOttes / Hertogen tho Brunſchwig und tho Luneburg.

burg. Et de Anno MCCCC. We Junckherr Bernd und Ehr Hinrick von der Gnade Godes / Hertogen tho Brunſchwig und tho Lüneburg. Quæ citat ex actis Homagialibus Civ. Brunſuic. T. I. *Springsfeld d. Apanag. C. III. n. XIX. & ſeqq. Eſtque* Junckherr ibi q. Junior ſeu Junger Herr: Quo ipſo nomine etiam aliquando uſos fuiſſe idem docet ex ſubſcriptione Diplomatis Ludovici Regis Galliæ; Aſtantibus in Palatio noſtro, quorum nomina ſubſcripta ſunt & Signa. Signum Philippi *Junioris* Regis S. Ludovici Buticularii cit. ex *Martin. Marrier. in Bibliotb. Cluniacenſi fol. 1392.* Cui addimus Transactionem inter Fridericum II. Regem Daniæ & Fratrem ipſius Johannem de Anno MDLXIV. ubi Johannes conſtanter der Jünger appellatur, nulla alia cauſa id inducente, quam in declarationem ſecundogenituræ. Wir Friedrich der Ander ꝛc. Nachdem wir nunmehr aus erheblichen/ großwichtigen Urſachen gelegen/ und zu Erhaltung allerſeits Richtigkeit/ ſürträglich erachtet/ des zwiſchen uns und dem Hochgebohrnen Fürſten/ unſerm freundlichen lieben Brudern/ Herrn Johann dem Jüngern/ Hertzogeu zu Schleßwich ꝛc. Et mox: Daß wir König Friedrich demnach mit gedachtem unſern jungem Bruder &c. Vid. Extract des Erbtheilung-Briefes zwiſchen König Friedrichen &c. in Actis Holſato-Plonenſibus Ed. MDCLXIIX. pag. 14. Confer quæ de Clytonibus & Clytunculis monuimus *Diſſert. IIX. c. IV. §. II.* Fuit vero etiam, cum ipſi primogeniti & Regentes aliquando futuri Juniores, Junckern appellarentur. Sic in Diplomate Conradi, Comitis Oldenburgici dato Civibus Delmhorſtanis, dum Tutor Comitis Delmenhorſti eſſet, extat: Wy Greve Cort van Oldenborch bekennen apenpar in düſſem Breve/ dat wy de Huldiging de uns de Rathmenne und de Börgere der Stadt Delmenhorſt gedähn hebben/ entſangen hebben tho unſes Bölen hand/ Juncker Otten Greven tho Delmenhorſt/ alſo lange beth he tho ſynen Jahren komme. Quod exhibet Hamelman. Chron. Oldenb. p. 159. Unde & idem Otto alibi Domicellus vocatur, citante *eodem Hamelman pag. 181.* Et *Springsfeld.* notat Magnum Ducem Brunſuicenſem in ſua diſpoſitione ac fideicommiſſo de Anno MCCCXXV. Primogenitum ſuum filium Ludovicum etiam nominare Junckher Lodewig: Woll Junghern Ludowigk uſen Söhne ꝛc. Idemque tradit Canonicos olim Gottes Junckern vocatos, ſed ejus rei fides eſto penes ipſum.

VII. In Pomeraniæ Actis Publicis ſimplici Nomine Mann/

Virorum ſæpe appellari ſolent: Nomine ſine dubio per excellentiam illis dato. Sic in Privileg Erici d. Vid. A. MCCCCLIX. Met unſen getreuen Räthn/Prälaten/ Mann unde Staden. It. in Privileg. Ottonis An. MCCCCLXIV. Alle andere Räthe / Prälaten / Herren/ Mann unde Stede. Et in Conſtit. Eccleſ. Pomeran. Barnimi utriusque, Johannis, Friderici, Bugislai &c. Anno 1591. de novo publicatis, Præf. Wi Barnim de Oelder ꝛc. Entbeden unſen Herien/Prälaten/ Mann unde Steden. Item Conſtit. Barnimi & Philippi de Anno 1563. Alle Stende / Herren / Prälaten / Mann unde Stede unſer Landſchap. Subinde tamen ipſius Equeſtris Ordinis der Ritterſchafft meminerunt: Ut in eadem Conſtit. Barnimi & Philippi, dat wi derhalben mit vorgemelten Land-Stenden / Herren / Präladen / Ridderſchop unde Steden ꝛc. Et in Conſtit. Barnimi ejusd ac Junioris, Joh. Frider. &c. unde wi Barnim de Oelder ꝛc. de Reinickeit des gödtlicken Wordes unde Chriſtlichen Gelovens mit allen Herren / Prälaten / Ridderſchop und Stenden unſer Förſtendöme unde Landen einhellichlick angenommen. Utrumq; Nomen junctim Nobilitati Neomarchicæ attributum legimus in Marggr. Johanniſen und dero Landſchafft Vergleich / wie es in Appellations-Sachen zwiſchen den Unterthanen ſol gehalten werden. de dat. Soldin. de Anno 1553. Von wegen Grafen/ Ritterſchafft und Ehrbahr Manſchafft zu der Neumarck Herr Martin / Graf vom Hohenſtein ꝛc. Quibus demum ſeorſim Civitates, Soldinum, Regiomontum &c. ſubjunguntur.

VIII. Ordinarium Gallorum Nomen videtur eſſe *Gentilhomme:* Gentiles apud Romanos erant, qui ex eadem gente erant, quique idem nomen habebant; Gentilitas ordo hominum ingenuorum, qui eſſent ejusdem nominis: Unde præſentem vocis uſum facile erat derivari. Quam originem præter alios agnoſcit Petr. Mexia ſeu Meſſias *aux diverſes leçons T. I. P. V. c. III.* & ita diducit: *Ce nom de* Gentil *eſt venu des Latins, qui appelloyent* Gentils *ceux, qui eſtoint d'une meſme race & d'un meſme nom, eſtans libres & de franche condition de toute ancienneté, appelloient ces maiſons ainſi antiques* Gentils: *Comme encore aujourdhuy nous appellons les maiſons nobles de race, maiſons de* Gentils-hommes. *Ce que bien demonſtre Ciceron en ſes Topiques, diſant ainſi. On appelle* Gentils *ceux, qui ſon d'un meſme Nom, & qui de tout temps ont eſté de franche condition: de ſorte que jamais aucun de leur race ne fut ſerf, ny eſclave, & moins degradé de l'*

bon-

bonneur & de la bourgeoiſe Romaine: Boece auſſi en ſes Topiques dit,
qu' on appelloit anciennement Gentils tous ceux , qui eſtoient iſſus d' une
maiſon & race antique, franche & libre , comme eſtoient les Scipions,
Brutus & autres nobles maiſons de Rome. Cicero prend auſſi ce nom de
Gentil pour un, qui eſt de noſtre race & qui porte meſme nom & armes que
nous. Le docte Budée parlant des devoirs de parentage obſervez entre
les Romains dit, qu'il y en avoit trois: C' eſt aſſavoir devoir de Con-
ſanguinitè, devoir de Sang & de lignage en droite ligne, & devoir de
Gentilité: C' eſt à dire, quand on eſtoit d' un meſme nom & armes. Le
titre donc de Gentil & de Gentilité s' attribuot ſeulement aux maiſons
nobles. Et par ainſi ce nom Gentilhomme envers les Romains valoit au-
tant, qu' homme Noble entre nos Caſtillans & entre les François. Alia
V. ap. *Limn. J. P. L. VI. c. I.* Hincq; etiam Anglorum *Gentleman* ſum-
tum, ſed quo nunc quemlibet Ingenuum Civem fere inſigniunt; Et
in Hiſpania *Gentilhombre*, cujus tamen ipſos Proceres non pudet,
quemadmodum inter Titulos Marchionis de Caſtel Rodrigo eſt:
Gentilhombre de la Camara de Su Mageſtad. Tract. Pac. Hiſpano-Gall.
de Anno LXIIX. App. ad Diar. Eur. Cont. XVI.

IX. Hiſpani præterea NOBILES ſuos *Hydalgos* vocant, ex *Hyo*
de algo i. Filius de aliquo, *ſeu qui Patres citare poſſit*, derivante *Be-*
ſoldo l. c. Talesque omnes Equites, Los Cavalleros, ante oportet
eſſe. Alia aliquam multa de origine ejus congeſſit *Limn. c. L. VI. I.*
VII. quorum ſumma eſt: *Hidaldgo* derivari ab *Italico*, quod Italici
a tributis immunes *l. de bis C. de Epiſcop. & Cleric.* & in Hiſpania
fuerint quædam Coloniæ, quæ cenſitæ ſint Juris Italici *l. in Luſitania*
cum l. ſeq. ff. de cenſib. Atque adeo quem immunem voluerint dicere,
eum *Italico* dixiſſe, unde paulatim effectum ſit Hydalgo; vel dici
etiam poſſe quaſi *Hyc dal godo*, quod Gothi ab antiquis temporibus
in Hiſpania Imperium tenuerint, eoque qui Nobilitate voluerint
præcellere, ſe filium Gothi dixerit. Angli *Esquires* dicunt a Gallico
Escuyer, i. Scutifer, Armiger; quemadmodum & *Armigeros* Latine
appellant, quorum tamen non unum diſcrimen eſt, de quo agendum
erit ſeq. c. III. Cui ſimile eſt Nomen *Militis*, quod in Conſuett. Feu-
dall. pro NOBILI uſurpatur, quia NOBILIUM proprium ſit pro
Patria militare. V. *Commentt. in Tit. de Vaſall. milit.* Et Germano-
rum Knape / Wapener / &c. q. d. Armigerum ſeu NOBILEM
ſcutatum, vel a Clypeis Gentilitiis, quæ in NOBILITATIS Inſignia
gestant,

geſtant, vel quia Principibus & majoribus NOBILIBUS ab Armis erant. Sed nomen hoc in Deſuetudinem nunc fere abiit, veluti & Gallorum *Escuyer* officiis tantum alligatum manſit, qualia *Le grand Escuyer*, *L' Escuyer ordinaire*, *Le premier Escuyer* &c. De quibus videndi Scriptores Status Franciæ. *Olear. Itin. Perſ.* Ruſſorum *Kneſios* huc aptat, cujus verba enotata ſunt *ſeq. c. III.* Et in Hibernia Nobilitatis ſeu Eminentiæ nota eſt *O-Neal*, quam Dignitatem Incolæ tanti habent, ut inſolenti faſtidio elati Principum, Ducum, Marchionum, Comitum Titulos præ Nomine *O-Neal* contemnant. *Lanſ. Or. Contr. Britann. p. 457.* Ipſumque hoc Exemplo docet *Camden. Ann. Eliz. p. 146.* Schanum *O-Neal*, Filium Coni *O-Neal* alios honorarios Titulos præ O-Neali nomine barbarico tumore dedignatum fuiſſe.

CAPUT II.

Nobilitatis ſine Autoritate publica ſumptæ abuſus: Cur Autoritate publica niti requiratur: Cauſa collatæ Nobilitatis: Quæ facta nobilitent? Nobilitas a virtute militari & officiis Aulicis: Nobilitas collata minus merentibus: Initia Nobilitatis apud veteres Hebræos, Græcos &c. Quo in loco avita Nobilitas habenda ſit? Conditio novæ Nobilitatis, cur ipſi a veteribus invideatur? Cur opes Nobilitati neceſſariæ ſint? Privilegia Nobilium; Eorundem inſignia.

I.

FUndamento NOBILITATIS declarando verba Lanſii præmittimus *Or. pro Ital.* quorum partem jam *Cap. I. §. II.* recenſuimus. *Germani cæteris melius periti NOBILITATEM plerumque vocant Virtutis militaris antiquæ ſplendorem cum Cenſu publica autoritate in poſteros propagatum: Itali omnium optime, licet & ipſi virtute & cenſu avito NOBILITATEM definiant; autoritatem tamen ejusmodi publicam non requirunt, nec minorem prudentiæ, juſtitiæ, temperantiæ, quam fortitudinis rationem habendam putant; Proinde & NOBILITAS in omnibus hominum ordinibus illius capacibus nullibi terrarum eſt copioſior, nullibi omnibus numeris perfectior, nullibi omnibus dotibus eſt anguſtior, quam in Italia.* Poſtrema quod attinet, copiam NOBILIUM Italiæ facile aliquis colliget, qui triginta Marchiones & duo millia Comitum in tenui aliquo diſtrictu extitiſſe ex eodem

Lan-

Lanſio repetierit *Or. contr. Ital. p.* 540. Unde NOBILES tanto minus raros fore veriſimile eſt. Utrum vero perfectione majori, aut auguſtioribus dotibus, præ aliis populis ibi emineant, nec ne, in medio hic relinquimus; Id certe ab omni reprehenſione non vacat, NOBILITATEM iſtic autoritatem publicam non requirere; Inde namque fit, ut rem præſtantiſſimam ingentes abuſus ſequantur, &, quod concinno paralleliſmo idem *Lanſ. in Orat. contr. Ital.* affert, naſcantur ibi indies cognomina, & ſtatim primo ætatis die tranſcribantur in ſenium. *Quotusquisque eſt*, ait, *quem avi ſui non pudeat? Cui non eſt prope ſutrina vel pedum? Quis æternam majorum vilitatem mendacibus titulis ſcutatisque inſignibus non velat? Pace dixero paucorum, qui genere ſuo digna moliuntur, ſunt in Italia NOBILES, qui de ſterquilinio ſurgunt. Res auditu abſurda eſt, vera tamen, in Italia Bubulcum & cerdonem fere quemlibet ſuperba formula*, a fè di Gentilhuomo, *per fidem Viri NOBILIS, & quamlibet abjectam meretriculam*, a fè di Gentildonna, *per fidem Matronæ NOBILIS, plerumq; ſermones ſuos confirmare ſolere.* Quæ omnia non poſſunt non fieri, dum præter Autoritatem publicam privatum uniuscujusq; ingenium pro norma NOBILITATIS conſtitutum eſt: Quia enim ad noſtri amorem natura ducimur, facile quamvis perfectionem nobis imaginari & in quidlibet nos transformare poſſumus, niſi ſuperior accedat Autoritas, quæ perſuaſiones noſtras in ordinem redigat.

II. Enimvero NOBILITAS eſt Dignitas; Dignitas autem ſignificat non æſtimationem qua homo, ſed qua Civitas aliquem magni æſtimat, eoq; dum NOBILIS aliquis eſt, a civitate manifeſtatum eſſe oportuit, ſe magni æſtimare eum, cui Nomen vel Titulum talem permiſerit; Seu generalius, NOBILITAS eſt pars Actuum Civilium, ac proinde in rem Civilem tendere, & ab eadem proficiſci oportet. Jam vero Civitatis & Rei Civilis Arbiter, quia nemo privatus eſſe poteſt, reſiduum eſt, ut ſoli illi, qui publico præſunt, hanc etiam Publici partem expediant, unde & Majeſtate jubente Dignitates ſuſtineri docet *L. V. C. de Dignit.* Sic priſcus Romulus jum tum potuit Patricios & Plebejos diſtinguere, Patriciosque h. qui Patribus ſeu Senatoribus nati eſſent, extantioribus officiis admovere in luculentum agnitæ NOBILITATIS ſignum; Nec noſtro tempore quisquam ſummorum Principum eſt, quin munere hoc ſubditorum ſuorum aliquos ſubinde afficiat. Hinc Imperator noſter vocatur Pflantzer und

Handhaber des Adels: König Ferdinands Reſolution von der Land-Stände Ritterſchafft &c. Freyſtellung und Religions-Frieden ap. Gold. Reichs-Satzung p. 2. Quemadmodum & noviſſime Sereniſſ. Elector noſter in Boruſſia Viros præcellentes Calovios, Wickartos, Dennemarckios, NOBILIUM nomine ac jure donavit, in firmati ibi ſuprematus ſui teſtimonium. Et ipſas quoque Reſpp. Liberas hanc partem Majeſtatis explere dubitare nos non ſinit Sereniſſima Reſp. Veneta, cui hodienum non infrequens eſt, NOBILES novos aſciſcere, idque vel ſplendori Reip. augendo, vel levandis etiam ejusdem oneribus.

III. Sed quoniam Actus Civiles ſine cauſa non eſſe præſumuntur; Magiſtratum quoque ratione moveri oportebit, qua NOBILITATEM Subditis ſuis conferat. Hanc uno *Meriti* nomine ſatis exprimi poſſeremur: Meritum eſt jus accipiendi ab altero rem factis ſuis æquivalentem. Et hujus expletionem, ſi expreſſe ſtipulemur, Merces dicitur: Quando expletio illius ratione, Modi, Temporis & Quantitatis arbitrio & æquitati alterius relinquitur, Præmium vocatur. Id vero vel eſt Res Corporalis, ut pecunia, ager, domus &c. vel Incorporalis, ut conceſſio immunitatum, privilegiorum, certorumque jurium, vel Moralis, ut honor, laus &c. vel Notionalis, ut ſtatuæ, Inſcriptiones, Coronæ &c. *Puffend. Elem. Jur. L. I. Def. XX. § III.* NOBILITAS itaque Præmium erit, utpote æquivalens ad facta antegreſſa; Præmium morale vero, quia non rem aliquam, ſed Honorem & aliquam ſupra communem ſortem eminentiam Perſonæ addit.

IV. Facta porro, quæ NOBILITATEM mereantur, ſi declaranda ſint, in genere quidem dici poterit, quamlibet Virtutis Eminentiam eam mereri poſſe. Sed Virtutis nomine accipi debebunt ſolæ ſociales Virtutes, quales quæ conſervando & augendo ſtatui conducunt, non quæ ſingulares perficiunt; Neque enim Pietatis, Manſuetudinis, Temperantiæ cauſa quempiam NOBILEM factum facile meminerit aliquis: Nam quoniam ejusmodi virtutes Rem Civilem non attingunt, ſed in ſingulis requiruntur, etiamſi in nulla Societate vivant, nec publico Teſtimonio aut declaratione indigent. Virtutes Sociales itaque requiruntur; Et publicum eximiæ ſibi inde accedentis operæ teſtimonium collatori ejus perhibet, atque, quanti eum æſtimet, nobilitando declarat.

V. Vir-

V. Virtus itaque NOBILITATIS fundamentum eſt; Sed non omnis, verum ſocialis; Nec ſola, ſed a Publico agnita, quod fuſe jam declaratum fuit. Idemque nobiſcum agnoſcit ſedulus Dignitatum indagator *L'Oyſeau L. I. des Offic. c. IX. n. VI. C' eſt un commun dire, que la Nobleſſe vient de Vertu, de ſorte que la Vertu des anceſtres fait la Nobleſſe de race, & la vertu d'un chacun fait Nobleſſe perſonelle; Bref, la vertu eſt la cauſe de la Nobleſſe, & la Nobleſſe eſt l'effect de la Vertu. Mais comme c' eſt un effect public, auſſi faut-il que ſa cauſe ſoit, approuvée, d'un teſmoignage public; Pource auſſi, qu' autrement chacun penſant eſtre vertueux, & iſſu des parens vertueux, penſeroit eſtre Noble, qui ſeroit une grande confuſion. Au contraire, celuy auquel on denieroit la Nobleſſe, penſeroit, qu' on luy feroit injure, & qu' on denieroit, que luy & ſes anceſtres fuſſent gens de bien & de vertu.* Confer *Lim. l. ſæpe cit. Beſold. Reinking.* Nolden & cæteros paſſim.

VI. Quam vero Publicum potiſſimam ſemper habuit, eſt Virtus Militaris, non quod aliarum ratio plane non habenda ſit, ſed quia hæc magis ardua eſt, quæque operæ ſuæ ipſum propriæ ſalutis diſcrimen addit. Ideo NOBILES Milites, Armigeros, Scutiferos, Equites toties ſalutari videre eſt, quia Dignitatem ſuam plerique militando nacti ſunt: Et in Gallia NOBILES Regi nihil tributi pendunt, ſed tantum Corpore ſuo ad Bellum proficiſci tenentur. *Ph. Honor. Pr. Prud. Polit. p. 1. Relat. de Franc. p. 131.* Sicque in pleriſque aliis Regionibus uſu venit, ut NOBILES cætera immunes Principi in Bello operam præſtent. Unde & Feuda Franca, quæ non onerata erant, niſi militaribus expeditionibus. His deinde proxime acceſſerunt Principum officiarii & miniſtri extantiores, quos itidem NOBILITATIS privilegiis inſigniri oportuit; Ad Principis Majeſtatem enim pertinet, ut domeſtici ejus omnes Dignitate præditi exiſtimentur, cujus rei veſtigia in eo reſtant, quod NOBILES aliquæ familiæ hodienum ab ejusmodi officiis denominentur, ut Marſchall / Kuchmeiſter / Schenck / Truchſes / Keller.

VII. Abuſus ſuos tamen hanc rem paſſam, & aliis vel ob leviſſima, vel plane nulla merita NOBILITATEM collatam eſſe, vel conferri adhuc dubitari nequit. Ideo queritur *Peter. Bellin. de re milit. p. VII. tit. III. N. XLI.* Salis venditores mediantibus viginti quinque vel circiter aureis numis impetrare NOBILITATIS honorem; Et

Tier-

Tiercellinus Rupimanius Eques apud *Thuan. lib. XVI. Hiſtor.* in militarem Galliæ torquem erumpit, Torquem Conchyliatum poſtquam indignis promiſcue communicari cœperit, non eſſe jam fortium virorum inſigne, ſed omnium beſtiarum collare. Sic aliquid meriti fuit, levius tamen hac Dignitate, quod Dominicus Fontana, quia Obeliſcum Vaticanum transportaverat a Sixto V. P. M. Eques creatus fuerit; Et quod Selimus II. Gentilem Bellinum ob excellentem in arte pingendi peritiam Conſtantinopolin evocatum in equeſtrem ordinem cooptavit. Similiter Sereniſſimæ Reginæ Chriſtinæ exprobratur exemplum Sartoris nobilitati, qui Guldenſcheer appellatus ſit. *Burgold. ad Inſtr. Pac. I. XV. membr. II.* Sed gravius eſt, quod Regi Hiſpaniæ Philippo II. objiciunt, qui nobilitatem ei promiſerit, qui Wilhelmum Principem Auriacum interfecturus eſſet, quod ſcribit de ipſo Meteranus, & ex eo *Nolden. C. III. N. XXIV. Limneus c. l. N. LVIII.* Verhieß auf ſein Königliches Wort / wo einer erfunden werden möchte / der dieſe ſeine Ordnung und Befehl ausrichten / und ihn von einer ſolchen Peſt erlöſen / obgedachten Printzen entweder lebendig lieffern / oder ihm ſonſt vom Leben helffen würde / demſelben oder ſeinen Erben wolle er an Geld / oder an Grunderben und liegenden Gütern nach ſeiner Willkühr befehlen zu erlegen fünf und zwantzig tauſend Kronen an Gold / und ihme zugleich allerhand Miſſethat / die er zuvor je begangen haben möcht / verzeihen / und wo er kein Edelman ſey / mache er in Edel / von wegen ſeiner groſſen Würdigkeit. Deßgleichen declarire er auch Adels Ehre / Leibs und Guts verfallen an alle ſeine Anhänger / welche ſich nicht innerhalb eines Monats / nach Publication dieſes / von ihm abſonderten / alſo / daß aller derer Güter / GOtt gebe wie ſie gefunden würden / es ſey in Hiſpanien oder anderswo / es wären Kauffmans-Güter / Geld / Schulden / Forderungen von Erbgütern und dergleichen alle verwirckt ſeyn ſollen. Ap. Meteran. l. X. pag. 372. Quam rem ex parte exponit *Strada Dec. II. Lib. IV. pag. 177.* Eique Apologiam ſuam oppoſuit Princeps Orangius quam, Vid. apud eund. *Meteran. c. l. pag. 375.* Quæ omnia ſi ullo modo excuſari poſſunt, Dona vocabuntur, non præmia, non merita. Et publicas Perſonas etiam non merentibus donare poſſe, non neſcit, qui profundam ipſorum Clementiam, tum Majeſtatis, Rationis ſtatus &c. conditionem novit.

IIX. Ad

IIX. Ad prima initia NOBILITATIS non abs re cecinit Germanus Myſta, quisquis fuit:

Da Adam hackt / und Eva ſpan /
Wo war denn da der Edelman?

Sed huic non minus feſtive reſpondit Maximilianus Imperator, cum Scriptum illud alicubi legiſſet:

Ich bin ein Mann / wie ein ander Mann /
Nur daß mir GOtt die Ehre gan.

Immo wo war da eine Policey oder andere Dignität / merito excipit *Georg. Martin. in Parerg. de Nobil hered.* Itaque eam Rebuspublicis connatam & cum creſcentibus illis majora incrementa ſumſiſſe arbitramur. Sic in Republica Hebræorum jam tum NOBILITAS extitit, & cum perpetuo NOBILITATIS decore ab ipſa Scriptura commendatur. Eccleſiaſt. X. XIV. *O Te beatam Regionem, cujus Rex natus eſt Clariſſimis*, prout textus verbotenus ſonat, quem Lutherus interpretatus eſt: Wol dir Land / deß König Edel iſt. Piſcator: Des König von Edlem Stamm iſt. Arias Montanus: *Filius Heroum.* Junius & Tremellius: *Beata terra, cujus Rex NOBILIS eſt.* Et Chriſtus in parabola adventus ſui, ſe εὐγενῆ, NOBILEM, vocat, Luc. XIX. Ἄνθρωπός τις εὐγενὴς ἐπορεύθη: Ein Edler zog ferne in ein Land. Græci quoque antiquiſſimos NOBILES habuere, qui ſtirpe veterum Heroum nati erant, quales Heraclidæ, Æacidæ, Cecropidæ; Apud Romanos præter Patricios, quos Romulus ipſe ſupra vulgus evexerat, NOBILES dicebantur, quorum Majores Curules Magiſtratus, ut Conſulatum, Cenſuram, Præturam, Ædilitatem geſſerant. Item Germani veteres, licet alias ab externa pompa alieni, honoris hoc genus tamen amplexi ſunt. Unde Reges apud eos ex NOBILITATE, Duces ex virtute ſumi *Tacitus* notanter ſcribit *de Mor. German.* De Gothis, quippe Germanorum progenie, vel gente ſaltem ipſis affini, idem teſtari poterunt verba *P. Diac. cit. præc. I. §. V.* Et *Bonfinii præced. Diſſert. X. c. I. §. IX.* Adeo ut quæcunque Reſpublica unquam exstiterit, vel quoscunque mores etiam habuerit, nunquam tamen ceſſaverit, ſplendorem hunc in aliquibus ſuorum accendere.

IX. Ad *Lanſium* redimus, quem NOBILITATEM Germaniæ ex virtutis militaris antiquo ſplendore cum cenſu publica autoritate in poſteros propagata æſtimantem ſuperius vidimus, indeque

quàm virtus, virtus Militaris, Autoritas publica ipſi neceſſariæ ſint, diductum fuit. Reſtat ut de antiquitate diſſeramus, quid conferat NOBILITATI, vel adjiciat. Hoc certum primo, nunquam defuiſſe cenſoribus materiam in Generis NOBILITATEM invehendi, quemadmodum eſt illud ratiocinium *Juvenalis Satyr. IIX. in fine.* Malo pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſis Æacidæ ſimilis Vulcaniaque arma capeſſas, Quàm te Therſitæ ſimilem producat Achilles. Et iſtud alius Poëtæ: Et Genus & Proavos & quæ non fecimus ipſi, Vix ea noſtra puto eſſe. Sed ille hiſce talibus virtutem ſoli Generis jactantia depreſſam potiſſimum queruntur: Quod uti probandum non eſt, ita ſi fiat, animi impotentis non leve eſt indicium; Neque enim noſtra tempora majori ad virtutem ineptitudine eſſe cenſenda ſunt, quam vetera illa fuerunt. Unde non inutile fuit dicterium, quo Urbanus IV. P. M. uſus fuit: Non eſſe virtutem, NOBILEM naſci, ſed NOBILEM ſe facere. Et animoſum reſponſum Stephani Regis Poloniæ, cui Johannes Baſilius non-Regium Sanguinem petulanter objecerat: Clariorem ſe eſſe, quem virtus, quam quem Venter matris Regem fecerit. Nec ſine pudore referri poteſt, quod mulier Genuenſis genere NOBILIS uxori Doctoris nullis imaginibus clari impudenter magis an impotenter reſpondit: *Non eſſe pennam, quæ faceret NOBILITATEM, ſed &c. Alberic. Gentil. de Nupt. L. IV. n. XIII. Lanſ. Or contr. Ital. p. 546.* At vero ſi vanitas hæc abſit, non putamus plane de nihilo eſſe ſingulare quidpiam in antiqua NOBILITATE notari. Venerationem certe habet videre Caſtellum aut ædificium antiquum, quod nulla ruina invaſit, aut etiam annoſam proceram arborem ſolidam & integram; Quanto plus igitur erit intueri antiquam nobilem proſapiam a fluctibus & procellis temporis illæſam? Et certe ſi NOBILITAS nova potentiæ publicæ opus eſt, antiqua potentiæ hujus & temporis ſimul filia erit. *Verulam. Serm. Fid. n. XIV.* Adhæc ſi NOBILITAS ideo perpetua eſt, ut operæ Publico navatæ memoria in poſteris conſervetur, jam illam operam, quæ ante aliquot Secula poſita fuit, tanto illuſtriorem fuiſſe præſumptio eſt, utpote per quam ea Reipublicæ firmitas adjecta fuit, ut in præſens usque durare potuerit; Aut ſi tanti eſt viri de Repulica bene meriti effigiem venerari, quidni eundem in poſteris tanquam viva ejus imagine etiam veneremur? Hinc etiam factum, ut NOBILES Titulum *Generoſi* acceptaverint, quod proprie talem deno-

denotat, qui genere eminet, licet nunc uniuscujusque virtutis gradus eminentior eo ſignificetur. Ac præterea variis exemplis notum eſt, honores & officia ſublimioris notæ ſolis antiquis NOBILIBUS deſtinari: Veluti olim ad Torneamenta non admittebantur, niſi qui NOBILITATEM ſuam ex quatuor avis paternis & maternis probare poſſent. Feierabend im Thurnierbuch/ Tit. von Verkündigung aller Thurnier Freyheit &c. Vertrag und Ordnung über dem Thurnier von der Ritterſchafft der vier Lande §. I. Welche von ihren vier Ahnen nicht Edel/ noch auch von ihren Stämmen nicht Thurniers gemäß gebohren ſind / daß man der keinen Theilen noch zulaſſen ſoll. In Sileſia jus & judicium equeſtre requirit, daß ein Edelmann Vierſchiltig / und von Vätterlichen und Mütterlichen Ahnen gebohren ſey. Quod citat ex *Wenzky in Tr.* von dem Schleſiſchen Ritter-Recht und Ehren-Gericht. p. 39. 40. Nolden. c. VII. n LXII. *In Gallia in promotione Equitum S. Spiritus præcipuum eſt, ut inquiratur in deceſſores Candidati, in Familiæ nomen & Stemma, quale olim fuit, quale in præſens: Et ſi vixere NOBILITER Pater, Avus, & Abavus, pro idoneo habetur. Gramond. L. V. p. 271.* Et inter Conſtitutiones Equitum Aurei Velleris Conſt. I. eſt, Ut *Commilitones ſint Nomine & armis ſine macula Nobiles*, Quod explicant: *Eum Nomine & armis Nobilem eſſe, qui proprii Cognominis Teſſeram gentilitiam geſtat, & eo ſanguine genitus eſt, cujus idem Inſigne & nomen propria ſint. Olivar. de marca de Act. Herold.* & ex eo *Jul. Chiflet. Breviar. Hiſtor. ord. Aur. Vell. c. IX.* Confer quæ infr. ad Hiſt. Equeſtris Dignitatis dicentur. In Hiſpania etiam, ut alicui fortalitium commendari poſſit, requiritur NOBILITAS ab utroque parente. *Joh. Arz. ab Olator. in Summ. Nobil. Hiſp.* & communiter in Eccleſiis Cathedralibus avita NOBILITATE inſtructos eſſe oportet, qui extantiori beneficio iſtic frui cupiunt. Vid. *Fritz. de Nobil. num. XX.* Quorum rationem tamen non in ſola antiquitate ſitam eſſe remur, ſed in eo, quod præſumptio non minorem Publico operam ac fidem a Generoſo ejusmodi præſtitum iri, quam quæ in majoribus ejus olim eluxerat. Confer *Nolden. c. XV. n. CXLV.* Et *ſeq. §. XIII.*

X. Interea NOBILES novos ideo deſpicatui aut pro nullis haberi nolimus: Quippe qui æque fundatores aviti ſtemmatis olim eſſe poterunt, ac illi fuere, qui ſtemma ſuum in noſtra tempora produxerunt, quosque etiam aliquando Novos homines fuiſſe oportuit. Au-

Digitized by Google

torum de iis placita huc fere recidunt: Novos ejuſmodi NOBILES non tam NOBILES quam NOBILITATIS principium eſſe, quemadmodum Unitas non ſit numerus, ſed numeri principium. Et, NOBILITATEM in NOBILITATO incipere, in filiis pubeſcere, in nepotibus adoleſcere, & tandem in pronepotibus maturam atque perfectam ætatem conſequi. Vid. *Fritz.* §. *XXIX. Hipp. a Coll. De Nobil.* §. *LIX. Beſold. Diſſ. II.* §. *IX.* Quos ſuo patimur abundare ſenſu. Nos in veteribus plus ſplendoris, rem vero in utriſque eandem agnoſcimus: Hoc, quia Cauſa, fundamentum, initia, circumſtantiæ utrinque eædem; Iſtud, quia diutius & in pluribus perſonis hoc honore potiti fuerunt. Cur Novis a veteribus aliquando invideatur, ratio in communi hominum vitio ſita videtur, qui res ſuas deprimi putant, dum alios aſſurgere vident: plane ad modum Deceptionis viſus, cum res retrocedere videntur, aliis ſe promoventibus. *Verul. S. F. n. IX.*

XI. Cenſum deinde addit Lanſius, quod opes, Divitias & ſ. interpretamur. Has exigimus non tam acquirendæ, quam conſervandæ NOBILITATIS cauſa, ſeu Phraſi in ſcholis uſitatiori, non adeo ut ſit NOBILITAS, quam ut eidem bene ſit. Ratio, quia NOBILITAS honore nititur, qui in accipiente eſt argumentum potentiæ; veluti Honorabilis eſt poſſeſſio, Actio vel Qualitas quæcunque, ſi argumentum ſit potentiæ: Contra contemptibilis qualiſcunque potentiæ privatio. Itaque ut NOBILI bene ſit, Divitem eſſe oportet. Divitiæ enim ſunt honorabiles, quia ſunt ſignum potentiæ. Contra contemptibilis eſt, ſi opibus careat, neque enim poſſe aliquid tunc præſumitur. Deinde ut idem virtutis ſuæ eminentiam teſtatam faciat, fortitudinem, Magnanimitatem, fiduciam exercere requiritur, quod fieri nequit, dum dives non eſt: Virtutes hæ enim oriuntur a potentiæ conſcientia. Similiter ſi honorabilis ſit, amabitur vel metuetur a multis, hæc enim itidem ſunt ſigna potentiæ. Sed pauperem nemo reſpicit. E. Atque hoc fine quoque Feuda NOBILIBUS olim collata fuerunt: Ut eſſet ipſis, unde Vitam ſplendore ſuo dignam exhibere poſſent: Unde & nomina Landſaſſiorum, Landſaſſen/ & variantibus deinde circumſtantiis, Amt-Schrifftſaſſen/ enata. De quibus V. plur. *Burgold. p. XXIII. III.* An vero Feudum ejuſmodi per ſe nobilitet, diſputant Dd. Nos quoad in Theoria manendum eſt, negamus, quia pars opum eſt: Opes vero cedunt Perſonæ Prærogativæ,

tivæ, nec conferunt NOBILITATEM, ſed collatam conſervant. Et priſci Jovis Gentilium Deaſtri iſte error erat, ut vocatis ad Concilium Diis Seſſionis prærogativam juſſerit habere Deos Barbaricos ingenti magnitudine ex ſolido Auro fabricatos præ Græcorum Diis non-aureis, utut opera Phidiæ vel Myronis artificioſiſſime elaboratis. Quam fabulam ex Luciano huc trahit *Natta Conſil. 637. fin.* Sicq; in Gallia Formula eſt: *Que la perſonne annobliſt les biens*: Perſonam NOBILITARE Bona, non vice verſa; In Hiſpania tamen ſecus eſt & omne Feudum ibi nobilitat. V. *Nolden. §. XLV. XLVI.*

XII. Atque adeo NOBILITAS in genere importat *Dignitatem ſupra vulgarem ſortem eminentem*. *Dignitatem*, i. ſignum gratiæ publicæ. *Supra vulgarem ſortem*, in diſcrimen a favore, quo publicum unumquemque Civem ac Subditum ſuum complecti tenetur. *Eminentem*, in argumentum potentiæ, aut cujuſcunque qualitatis in NOBILITATE honorabilis. Quibus ſi graduum diſcrimen, quod in cæteris Dignitatibus Illuſtribus etiam Differtt. hiſce obſervavimus addatur, NOBILITAS poſtremam ſupra vulgus eminentiam importabit, & NOBILES in ſpecie nunc ita dicti erunt, qui dignitate ſupra Civicum Ordinem proxime eminent.

XIII. Privilegia NOBILITATIS indicaſſe ſatis erit; Diſputare de iis hujus loci non eſt, ſed Cathedræ Juridicæ. *Fritzius* §. *XXII.* ea hac ſerie recenſet. I. Quædam conſiſtere in Præſumptionibus, quod pro NOBILIBUS major quam pro plebejis ſit virtutum præſumptio, indeque iis in teſtimoniis ferendis facilius credi quam aliis: Fideliores cenſeri, & in Rebus arduis præ cæteris adhiberi: Ad ſecularia officia & beneficia Spiritualia Legationesque obeundas magis aſſumi: In Electionibus & aliis quibuscunque actibus, ubi voces ſunt undique pares, præferri. II. Alia in Reverentia NOBILITATI deferenda. Ita in Salutationibus & Seſſionibus præferri: In Judicio locum ſedendi iis aſſignari, ad eorum domum accedendum, non ipſos cogendos domo relicta alios adire, præſertim in officio Dignitatem aliquam annexam habente conſtitutos: Non teneri ire pedes: Eorum facta majori ſolennitate pertractari: Injuriam iis factam gravius puniri, quam quæ facta plebejo: Dotem iis majorem & lautiorem ab uxore conſtituendam: Alimenta iis largius præſtanda: NOBILIUM funus majoribus expenſis & ſolennitatibus celebrandum: Et licet pater non teneatur alere filium, qui ſuis manibus ſibi victum

quærere poteſt, id tamen locum non obtinere in filio NOBILI, cui eſſet verecundum hujusmodi opera ſervilia tractare. III. Alia in Immunitatibus, ut quod ab oneribus exempti ſint, & in officiis Civilibus perſonalibus, quæ plus oneris quam dignitatis annexum habent, excuſationem mereantur. IV. Denique alia iterum in pœnis temperandis. Ita quæſtionibus & torturis non ſubjici, flagellis non cædi, nec in carceribus propter debitum Civile, nec adeo ſtricte in vinculis propter delicta ex quibus capi poſſunt detineri: Nec damnari ad triremes, nec ignominioſiſſima laquei pœna plecti, ſed potius decapitari. Confer *Nolden. c. IX. tot. Limn. L. VI. c. III. fin.* Quæ tamen omnia pro varietate juris conſuetudinarii varias ſuas tum ampliationes tum reſtrictiones habent. Ad prærogativam in obeundis functionibus Publicis, cujus ſerie I. hujus §. mentio facta addimus: *Nobilitatem* Paſſivam Invidiam magis lenire, eo quod NOBILES in honorum poſſeſſione nati videantur. Et Principes, quibus NOBILES adſunt prudentes & capaces negocia ſua mollius fluere ſentiunt, ſi eos potiſſimum adhibeant. Etenim erga hujusmodi Proceres populus magis propendet, utpote, natos quodammodo ad imperandum. Quæ obſervatio eſt Verulamii *Serm. Fidel. n. XIV. Jus Gladium* gerendi etiam ſingulariter NOBILIBUS olim datum fuit. Eodemque in ſpecie prohibiti Ruſtici ac Mercatores. Ita Fridericus I. de Pace tenenda L. 2. Feud. Tit. XXVII. §. 5. *Si quis Ruſticus Arma vel Lanceam portaverit, vel Gladium, Judex, in cujus poteſtate repertus fuerit, vel Arma tollat, vel viginti ſolidos pro ipſis recipiat a Ruſtico:* Item: *Mercator negociandi cauſa per Provinciam pertranſiens gladium ſuum ſuæ Sellæ alliget vel ſuper vehiculum ſuum ponat.* Et Burchardus Caſuum Cap. IIX. *Cellerani Eccleſiæ jura Villicationis in modum Beneficiorum habere contendebant, & contra conſuetudinem quidam ex ipſis more NOBILIUM gladium cingebant.* ap. Goldaſt. T. I. Ser. Rer. Alam. & in Gloſſis eidem adjectis, p. 190. 191. Imagoq; hujus Juris in illis Germaniæ noſtræ Urbibus adhuc durat, ubi non niſi Patriciis & NOBILIBUS licitum eſt gladium geſtare. Sed alibi per conſuetudinem huic rei derogatum eſt, æque ac a Conſuetudine ſuſpendit Imperator, ne Ruſtici pecuniam optare audeant, *l. 5. C. de Agric. & Cenſit.*

XIV. Inſignia NOBILITATIS hodiernæ, h. Notæ, quibus ſignatur, conceduntur eam in finem, ut ex iis appareat, NOBILES aliis

Digitized by Google

aliis præſtare. Et ea quidem cum Codicillis Publicis, tum Armis Gentilitiis exprimi arbitramur. Codicillos communiter den Wapenbrief vocant, quorum ordinariam in Aula Imperatoria Clauſulam habes ap. *Fritz.* §. *XX.* Inſtrumenti NOBILITATIS a Rege Suediæ Senatui Rigenſi conceſſæ tenor eſt: *Civitatem noſtram Rigam optime dignam cenſemus, cui NOBILITATIS bonor, toti corpori Senatus olim collatus; ad perſonas ſingulorum inpoſterum extendatur, prout vigore barum literarum, non ſolum ſæpius nominatæ noſtræ Civitatis Rigenſis Conſulibus modernis &c. ſicut etiam Senatoribus modernis &c. NOBILITATIS gradum & honores reſpective conferimus & confirmamus &c. Concedentes propterea omnibus & ſingulis &c. Vigore bujus Regii Diplomatis ex certa ſcientia nec non plenitudine poteſtatis Regiæ omnia ea jura, privilegia, indulta, Beneficia, prærogativas, quæ ad NOBILITATIS Dignitatem pertinent, & quibus ordo NOBILITATIS frui ac a vulgo & plebeji ſtatus hominibus diſtingui cœpit &c. Ab omnibus proinde Poteſtatibus, Regibus, Principibus, Rebuspublicis liberis, adeoque univerſis & ſingulis, cujuscunque illi præeminentiæ, ſtatus ac conditionis fuerint, reſpective, amice, benevole, & clementer requirimus: Noſtris vero Regnorum noſtrorum iisque ſubjectarum Provinciarum & Ducatuum dilectis, fidelibus noſtris ſubditis, & incolis, Proceribus, Comitibus, Baronibus, Equitibus, Nobilibusque liberis, aliisque cujuscunque Ordinis & conditionis, ſevere & pro gratia noſtra mandamus, ut diplomate boc in eoque ſeriam voluntatem noſtram comprehenſam, in omnibus ſuperius ſcriptis ſanctam, firmam & inviolabilem conſervent, & ab aliis conſervari curent: nec ſæpe dictam noſtram civitatem in illa, quam Conſulibus, Conſulari & toti Senatorio officio Rigenſi appropriavimus, NOBILI dignitate ac Inſignium uſu turbent, aut turbari permittant.* Quod datum eſt *Anno MDCLX. d. XXIII. Nov.* Et habetur ap. *Thulden. App. ad p. IV. Hiſtor. p. 249.* Arma Gentilitia imagines continent ad ſimilitudinem earum rerum factas, quorum cauſa Publicum ſe ipſis obſtrinxit. Galeæ Scuto impoſitæ cur apertæ ſint, rationem in virtute militari habet: Apertarum enim in bello uſus eſt, Clauſæ contra ineptæ ſunt, & dicis gratia tantum apponuntur. Confer *Loccen. A. S. L. III. c. VII.* Apud Turcas Scerifi NOBILES de ſtirpe Mahometæa Tulipantano viridi utuntur, quo ſplendorem familiæ, ac ſe Muhammede prognatos eſſe teſtatum volunt; quia ipſe Muhammed jam ſeneſcens, viridi colore delectatus eſſe creditur. Vid. *Gabr.* *Sio-*

Sionit. de Mor. Orient. C. XI. In Inſulis Hornanis Maris Pacifici nucis Cocos folia pro inſignibus NOBILITATIS adnotavit Navarchus, Jac. Le Maire. Op dato quamen eenige Vrouwen en Edellunden an Boort/ om het Schip te beſien; Het waren ſehr kloecke Mannen/ hebbende enich groen Loof van Cocos-Bladeren om haer Hals hengen/ t' welcke haer Adelycke Teecken ende Leveren ſcheen te weſen. *Navig. Le Maire p. 97.* Apud veteres Romanos NOBILIUM mos erat, in nigris calceamentis lunulus ex fibulis eburneis adornatas ferre, ut antiquitatem generis retro ab Arcadibus ductam (qui ſe Proſelenos ſeu ante lunam ortos dicebant) publico hoc ſigno a Numa inſtituto profiterentur. Unde *Juvenalis Sat. VII.*

Et NOBILIS & generoſus
Appoſitam nigræ lunam ſubtexit Alutæ.

Maſen. Spec. Imag. C. XXXI. N. IX. Iidem Annulum aureum cum gemma pro NOBILITATIS ſigno geſtabant, quod vero his majus erat, imaginibus ſuperiorum ſuperbiebant & NOBILES dicebantur, qui Majorum ſuorum imagines habebant, unde jus imaginum idem, quod jus NOBILITATIS, quod fuſius explicatum Vid. *in Roſin. Ant. Rom. L. I. C. XIX.* Inter mulieres binos, aut ternos uniones NOBILITATIS ſignum fuiſſe notat *Alex. Gen. Dier. L. II. c. XIX.*

XV. De Titulo STRENUI denique, quo NOBILITAS inprimis gaudet, addimus ex *Henel. Sileſiogr. p. 70.* Fuit quidem Tempus, cum NOBILES noſtri Titulo Tüchtig honorarentur, Honoratiores autem ex NOBILITATE Woltüchtige audirent. Creſcente autem ambitione crevit Titulorum Luxus & proxima ſuperiori ætate abolito veteri Titulo cœpti ſunt NOBILES dici Veſte/ Validi, & Ehrnveſte/ mox Strenge/ ſeu Geſtrenge/ quod Vocabulum ſecundum Latinorum STRENUUM formatum, receptumque videri poteſt; Et tandem Edle/ quo nomine olim ſoli Barones inſigniebantur, ut ex antiquioribus Privilegiis Ducatus Glogovienſis & aliunde apparet.

CAPUT III.

Nobiles Hiſpaniæ: Galliæ: Armigerorum: Angliæ diſcrimen: Nobiles Belgii, Titulus Nobilium quo ſenſu Statibus Fœderati Belgii tribuatur? Nobiles Daniæ & Suediæ: Kneſiorum Ruſſiæ illuſtratio: Conditio Nobi-

Nobilitatis Polonicæ & Bohemicæ : Hungarorum Nobiles & vere Nobiles : Turcica Nobilitas : Nobiles Imperii Immediati.

I.

PRætervectis NOBILITATIS diſtinctionibus in Natam & Factam, Item Perpetuam ſeu Realem, ac Perſonalem, NOBILES ſingularum Regionum accedimus, viſuri quo in loco haberi ſoleant. Ac primo quidem de NOBILIBUS Hiſpanorum notandum, illos optimæ notæ haberi, qui a priſcis Gothis originem ſuam arceſſere poſſunt; quod Caroli V. tempore potiſſimum obſervatum notat *Horn. Orb. Imper. de Regn. Hiſpan. period. 1. Can. IX.* Unde & non male originem τῦ *Hydalgo*, quaſi eſſet *Hyo dal Godo* quæſivere. Vid. *preced. C. I. §. IIX.* Quanquam interea Hydalgos iſtos omnes non æque lauta ſorte vivere pro comperto ſit. Conjecitque eos inter tenuioris fructus dignitates, qui hoc Adagium fabricavit: *Un Sennor en Eſpagne, Un Maiſtre en Angleterre, Un Monſieur en Franc, Un Hidalgos en Protugal, Un Comte en Germanie, un Eveſque en Italie, Eſt pauvre compagnie.* Quod tamen veritati, prout generaliter effertur, non admodum convenire recte docet *Limn. J. P. IV. V. XLIIX.* Caput NOBILIUM Hiſpaniæ eſt Admiralius Caſtiliæ; Et quoad Statum ipſorum ab Indictionibus quidem immunes ſunt, ſubjecti tamen provinciali collectæ, & ubi jubentur, gratis tam in Aula, quam Bello juxta proportionem Feudi ſervire tenentur, eoque fine ſuos parcagnados alere. Præterea ſi quid poſſident, id tertia parte ttibutis & fœnore minuitur, ultra quod ex Novis Beneficiis dimidia redituum pars primo Anno in ſimilitudinem Annatæ debetur Regi. *Spreng. Perſ. p. 44.*

II. Gallicanæ NOBILITATIS indicem ac inſignia docet *Autor de l' Eſtat de la France* initio hujus Diſſertationis citatus. In Privilegiis ipſorum eſt immunitas a Taliis. *Grammond.* de iis in genere hæc tradit: Vocari apud Gallos nullo adjecto NOBILES eos, qui arma tractant, nempe ſi proſapia valeant, illorumque ordinem NOBILITATEM dici: Clero & Parliamentis adſcriptos, & ſi ſint natalibus NOBILES, quod plerumque, deſignari ab ordine quemque ſuo. Sic cum de militaribus viris quæratur, NOBILITATEM, cum de Eccleſiaſticis Clerum, cum de Togatis, ſi ſuprema illis Juriſdictio ſit, Parliamenta, cum de reliquis Ordinibus, populum dici: Eoque

 tri-

triplicem in Gallia eſſe Regni incolarum ordinem, Clerum, NOBILITATEM, Populum, *l. III. Hiſt. p. 182.* Addit *l. V. p. 271.* Invaluiſſe more apud Reges Gallos veteri, ut a vulgo NOBILITATEM diſtinguant, quam item dividere moris ſit, in duos gradus: Quæ proxime Regi accedat primam NOBILITATEM dici; proxime vero accedere, quæ per Regum munificentiam ſit ab omni ævo: Secundi gradus NOBILITATEM eſſe, quæ ex propriis reditibus parce & privatim vivat, nec vacet commercio, quale exerceant mercatores. Sed hæc ex parte ad NOBILITATEM ſenſu latiori ſumptam pertinent, hic tamen non prætereunda fuere. De prærogativæ contentione inter NOBILES ac Parliamenta Vid. *eund. Gramond. p. 183.*

III. In Anglia Armigeri (*Esquires*) ſunt nati vel facti. Nati ſunt. I. Omnes natu minores filii Comitum, Vice-Comitum & Baronum, qui ideo titulum *Honourable* gerunt, omnesque equites antecedunt. II. Filii Natu majores Equitum (nam ipſa equitum dignitas conſtat non hereditaria eſſe) qui deinde in omnes poſteros ſuos natu majores idem nomen propagant. Armigeri officiotenus ſunt I. Armigeri ita dicti corporis, *The Esquires of the Body*, quorum eſt præſto eſſe Regi, in throno ſedenti ad pedes aſſidere, juxta cubiculum ejus dormire, atque hi itidem titulum *Honorabilis* ferunt, & Equites anteeunt. II. Servientes ad arma, *the ſerjeants ad armes*, qui Sceptra coronata Regi præferunt. III. Heraldi eorumque aſſeclæ. Filii naturales ſuperioris NOBILITATIS non reperiuntur vocari Armigeri, quod patiantur defectum natalium, ſed Domicelli, annotante *Coke Inſtit. of Laws L. IV. c. 1. p. 36.* Secus atque in Hiſpania, ubi tales Hydalgiâ participant.

IV. Provinciæ Fœderati Belgii hoc habent, ut in ſingulis NOBILITAS peculiarem Ordinem conſtituat, alterum deinde Civitates abſolvant. De Ridderſchap ende Edelen & de Steden. Sicque Inſcriptio Decretorum Ordinum Hollandiæ eſt: *Equeſtris Ordo, NOBILES & Civitates Hollandiæ WeſtFriſiaque. Boxborn. de Stat. Fœd. Belg. c. X. §. III.* Unde etiam in ipſum Titulum Statuum Provinciarum ſingularum Nomen NOBILIS tranſiit, & Status Hollandiæ ac Weſt-Friſiæ inſcribuntur: Edele / Grootmogende: Status cæterarum Provinciarum Edele/Mogende. *Id. c. II. §. IX.* Seriem NOBILIUM Hollandiæ ac Weſt-Friſiæ habes apud *Joh. Laet Republ. Con-*

fœd.

fœd. Belg. Titulo Hollandiæ ſect. VII. Talis Waſſenarii, Boetſelarii, Wingardi, Scagæ, Bouchorſtii, Rarphorſtii, Aerſenii, Mateneſii. Primi omnium reputantur Brederodii, qui vero ad NOBILITATEM ſuperiorem ac Barones pertinent. De cæteris Vid. eund. ad ſingulas Provincias *Sect. VII.*

V. NOBILITAS Daniæ, licet cum Dania adhuc Regnum Electivum eſſet, majori autoritate fuerit, nunc tamen etiam non incommode ſe habet, inſignibus quippe Privilegiis abunde inſtructa a proximo Sereniſſimo Rege Friderico III. ipſis donatis Anno M DC LXI. X. Julii: Qualia, ut jus vitæ & necis in ſubditos ſuos exercere poſſint: ut ab Oneribus ordinariis immunes ſint: Prærogativa præ cæteris Statibus gaudeant: Nullibi, niſi coram Tribunali Regio in cauſis criminalibus compellari debeant: Jure bona Naufragorum in ditionibus ſuis appulſa ad uſus ſuos transferendi fruantur, quod alias Fiſci Regii emolumentum eſt: Et denique onere commeatum & ſupellectilem Regiam per ſubditos ſuos vehendi in poſterum eximantur: Atque Onere equorum præſtandorum in decem annos ſubleventur. Quæ & ſſ. V. plene recenſita *Diar. Eur. Cont. VI. p. 199. & ſeqq.* Suediæ NOBILES peculiari tractatu illuſtravit *Johannes Meſſenius, Theatro NOBILITATIS Suecanæ*; ſed quo itidem, ut plerumque fieri ſolet, NOBILITAS ſuperior comprehenditur, videnturque in ſpecie dicti NOBILES, æque ac in Anglia Nomen Armigerorum (Aff-wappen antiquitus dictorum) ibi geſtare. Sprenger. eorum quingentas nonaginta ſex familias numerat *Deſcr. Regn. Sued. c. 1. fin.* Olim NOBILITATEM Suedicam rariſſime cognomina uſurpaſſe præter Patronymica notat Autor *Deſcr. Regn. Sued. p. VII. p. 272.* Sed inde non levis perturbatio veterum Familiarum nepotibus relicta fuit, cujus evitandæ gratia NOBILES nunc ab inſignibus cognomina ſumunt. Immunitatem ipſorum a Tributis attingit *Loccen. A. S. L. III. c. VII.*

VI. De Ruſſorum Kneſiis agit *Olear.* ipſosque etiam non adeo lauta fortuna uti, licet alias NOBILITATIS generis & antiquæ proſapiæ ſtudioſiſſimos, docet *Itin. Perſ. p. 65.* ubi poſtquam Boyaros deſcripſerat, ita loquitur: Maer de Kneſen die op de Dorpen woonen / houden niet ſo grooten Staat / om dat Se gemeenlyck niet ſo veel hebben / dat Se na haern Staat konnen leeben / en dat man Se niet kende / qualyck van de andere Boeren ſoude konnen onderſcheiden ꝛc.

Een Knes will ſo veel ſegen als een Prinß / dit zyn die Edellunde van de Boyaren / ſy houden veele van de treflycke Geſchlechte / en afkomen / en dat niet alleen ouder hun / maer ſy hooren het oock gaerne van de Vreemde / dat daer Edellunde in vreemde Lande worden gevonden / ſoo lief en weert houden ſy den Adeldom / en als daer vreemde Ambaſſedeurs komen / vragen ſy alle tyt met Vlyt daernae / of daer ook veel Edellunde in ſyn Vorſtens ofte Königs Land zyn / en als ſie dan ja ſeggen / dan toonen ſu een Bly gemot / en verblyden hun daer in.

VI. NOBILITAS Polonica toto orbe liberrima eſt: Adeo ut quidvis in Ruſticos ſuos, utpote ibi omnes adſcripticios, poſſint; Jus Votum ferendi penes ſingulos eſt longe meliori cum conditione, quam in aliis Rebuspubll. fieri ſolet, vel potiſſimum contraria quam Hollandiæ NOBILIUM eſt, quorum ſupra meminimus, qui non niſi unum votum ſimul habent; cum Civitates omnes ſeorſim vota ferre poſſint. Præterea liberi a vectigalibus vivunt, modo commercia non exerceant; Et facultate fruuntur ſtatis temporibus ſal minori precio, quam commune eſt, emendi &c. Unum illos onerat, quod tamen cum reliquarum Regionum NOBILIBUS commune habent, licet hic forte gravius ſit, quam alibi, ut ſi Hoſtis alicunde impendet, in armis eſſe, & ſemel, iterum ac tertium a Rege convocati cum ſunt, nemo illorum unus Reip. deeſſe poſſit, quod Expeditionis genus *Poſpolite Rußczenie*, (Thuldenus male *Poſtpoliti Riſztunec p. 11. p. 107.*) appellant. Quæ vide paſſim ap. *Sprenger. Perſp. Chr. O. Et Polon. Nov-antiq.* Item *Starovolſc. in Rep. Polon. & Staniſl. Riſiſtanowic. Deſcr. Statuum R. Polon.* In Bohemia *NOBILES*, præterqaum quod ordinem conſtituant inter Barones & Civitates medium, peculiares ſibi ſuas rogarunt ac fixerunt Leges ac jura, quibus regantur, unde peculiare ſuum forum etiam habent. *Stransky de Rep. Bohem. c. XI. §. V.* Singularem *NOBILIUM* Familiarum aliquot recenſionem proponit *Ib. §. VII.*

IIX. In Hungaria notare eſt NOBILES ac Vere-NOBILES; De his conjicimus, quod vel ex ſuperiori NOBILITATE ſint, vel antiqua proſapia editi. In oriente Turcæ NOBILITATEM ex proprio cujusque merito ſolum, & ſoli inter alias nationes æſtimant: *Nullus*, ait *Busbeqv. Epiſt. I. Legat. Turc. in tanto Gianizarorum conventu NOBILIS, niſi ſuis virtutibus & fortibus factis; Natalibus nemo a reliquis diſtinguitur: Honos cuique pro muneris & officii, quod adminiſtrat,*

ſtrat, ratione defertur. Alibi ſcribit, ſe a puellis quibusdam, quæ liberaliori fuerint forma, ſcire voluiſſe, quo genere eſſent; Et audiviſſe eas a ſummis ejus gentis ſatrapis originem ducere, aut etiam regio eſſe genere, jam bubulco aut opilioni deſponſas: ſe vidiſſe item aliis locis Cantacuzenorum & Palæologorum, imperatorii generis reliquias contemptiſſime inter Turcas degentes. *Sic*, concludit, *in Regno Turcico jacet NOBILITAS: Et Turcæ neminem, ne ſuorum quidem, niſi ex ſe pendunt, ſola domo Othomanorum excepta, quæ ſuis cenſetur Natalibus.* Immo ne hujus quidem Lineæ Collaterali parcitur, quin potius operam dant, ne cui Dignitati Illuſtri admoveantur, qui ex ea deſcendunt: Und iſt man mit Sorgfalt bedacht/ zu verhindern/ daß Sie nicht zu hohen Aemtern gelangen/ und kein groſſes Gut ſamlen können/ welches Ihnen einen Muth machte/ nach der Oberſten Herrſchafft zu ſtreben. Dahero keiner an einen Baſſa verheyratheten Sultanin Kinder zu einigen Aemtern des Reichs erhoben werden/ und können nicht höher kommen/ als daß Sie Capaſi Baſſa oder der Groß-Türcken Thorhüter werden. Wenn dieſes Geſchlecht ſo unverſchämt oder kühn wäre/ Sich deſſen zu rühmen/ würde man Sie als Rebellen und Verräther halten/ und weiß ich nur ein eintziges Hauß von dieſem Stamm/ welches bey den Türcken in einigen Anſehen iſt: Daſſelbige iſt Ibrahim Han Agleri, welches ſo viel bedeutet/ als die von Sultan Ibrahim herkommen: Ihr Vatter war des Käyſers Schweſter Sohn/ und hatte eine Sultanin geheyrathet/ man hält davor/ Sie kommen von Tartern her/ dieweil aber dieſes Geſchlechts meiſtentheil Weiber ſind/ als ſtehet man ihrentwegen in geringer Gefahr. Sie haben 70000. Thaler Einkünfften/ Sie halten Sich ehrlich/ Sie ſtreben weder nach Aemtern/ noch hohen Dignitäten/ miſchen Sich in keine Staats-Sachen/ und halten ihre Renten wol zu rathe. Durch diß Verhalten haben Sie bißhero ruhig ohne Neid gelebet/ und ihrem Fürſten nicht den geringſten Eifer oder Muthmaſſung verurſachet. Hæc Autor *St. Turc. L. I. c. XVI.* Ratio in iisdem claret; Nec male eam in arcano Dominationis quærit *Beſold. Diſſert. II. De Jur. Ordd. Civ. IX. §. VI.* ut omnes ab uno pendeant Principe, & nemo fiat magnus, niſi per Principem ſolum, ut eo magis Principi ſint devincti. *Verulamii* non diſſimilis eſt, quod NOBILITAS Dignitatem Regalem diluat & vulgi oculos a proſapia Regia aliquantulum avocet: Quæ adverſantur Deſpotico Turcarum Regimini. In Japania *Varenius* NO-

BILES in octavam Ordinum Claſſem refert, & militibus proxime anteponit, quorum tamen partem maximam itidem milites eſſe dicit *Deſcr. Japan. L. I. c. X.*

IX. Reſtant, qui primo ſtatim commemorari debuiſſent, NOBILES Germaniæ noſtræ, illique qui vel ab Imperio dependent, vel Principibus in Imperio ſubjiciuntur; Hos NOBILITATEM mediatam, illos immediatam vocant, item liberos NOBILES, Die freye von Adel / die freye Ritterſchafft / welche ohne Mittel der Käyſerlichen Majeſtät und dem Reich unterworffen/R. I de Anno 1555. § und in ſolchen Frieden. Eorumque tres Claſſes conſtituuntur: Franconica, Suevica, & Rhenana R. J. de Anno 1500. §. Was man mit der Ritterſchafften zu Francken / Schwaben und Rheinlanden handlen ſoll/ quarum ſingulæ iterum in ſpeciales claſſes abeunt; Equites Franconiæ in ſex loca 1. Odenwald/ 2. Steigerwald/ 3. Gebürg/ 4. Altemühl/ 5. die Buchen oder Baunach/ 6. die Rhön und Werr. Suevi in quinque loca, 1. In Hegaw / Bodenſee und Algaw / 2. An der Thonau/ 3. Am Kocher/ 4. Am Schwartz-Wald oder Neckar/ 5. Im Keintzgaw. Equites Rhenani in proprie Rhenanos, & Wetteravicos, *Burgold, Parte I. Diſc. XXII. N. II.* Et *Nolden. c. XVI. n. CXLVII.* Origo eorum hæc communiter perhibetur, quod extinctis Franconiæ & Sueviæ Ducibus NOBILES, qui antea ſubjecti fuerant, una cum Ducatibus ipſis Imperio acceſſerint, eoque ab Imperio immediate dependere cœperint. Inter privilegia eorundem numerant I. Jus liberum Religionis exercitium in diſtrictibus ſuis inſtituendi, & Juriſdictio Eccleſiaſtica. II. Juriſdictio territorialis. III. Jus Auſtregarum. IV. Jus collectandi. V. Bannum ferinum VI. Merum & mixtum Imperium. VII. Jus fœderum. IIX. Ut poſſint abſque veniæ impetratione inſtituere diætas &c. *Burgold. Nolden. cc. ll. Adde Limn. L. VI. c. III.* ubi ſingula Singularum claſſium privilegia ex ipſis Codicillis Imperatoriis fuſiſſime accenſet. Quæſtionem, An Status ſint Imperii, praxis recentioribus Comitiis recepta ſatis negat. Alia eſt, An Status olim fuerint? Quod *Rumelin. Limn. Burgold.* ex fine prooemii Aur. Bullæ, ſibi videntur colligere poſſe, ubi cæteris ordinibus connumerantur. Sed enim verba textus ſunt, *Aſſidentibus nobis omnibus Principibus Electoribus Eccleſiaſticis & Secularibus, ac aliorum Principum, Comitum, Baronum, Procerum, NOBILIUM, & Civitatum multitudine numeroſa.* E quibus ſi neceſſario ſequitur, NOBILES

tunc

tunc ſtatus fuiſſe, eâdem conſequentia texi poſſet, etiam Proceres aliquos in ſpecie ita dictos tunc Status peculiares eſſe oportuiſſe, cum itidem ſeorſim ibi ponantur, quæ res inaudita eſt. Putamus itaque NOBILIUM æque ac Procerum Nomine ibi non peculiares Status, ſed complexum Statuum Superioris NOBILITATIS indigitari; Ut proinde ſaltim in hoc argumento nulla firmitas Aſſertioni huic quæri poſſit. In puncto præcedentiæ, quod inter ipſos & Civitates Imperiales verſatur, pro Civitatibus militat, illis ſuffragium eſſe in Comitiis, quo NOBILES carent.

X. NOBILIUM Mediatorum non una Claſſis; Diverſa etiam Jura, rationibus uniuscujusque Provinciæ, alia atque alia ferentibus. In Tractibus Saxonicis nota eſt Diſtinctio der Schrifftſaſſen ſeu Cantzleyſaſſen & Amtſaſſen. Quorum hi coram Præfectis, To parchis &c. Illi non niſi coram Principe aut Conſiliariis nomine Principis in Jus vocari poſſunt. De origine Diſcriminis hujus *Knichen* exiſtimat, id Principum deſtinatione cœpiſſe; Priſco ſiquidem ævo, tot hoſticis incurſionibus & diffidationibus pullulantibus, Præfecturis erat proſpiciendum pro re nata, ut NOBILES ad requiſitionem Præfecti ſuccurerent. *De Veſtiturar. Pact. P. II. c. V. n. 5. 6.* Rationem à Prædiis ſumtam idem improbat, Quod forte prædia, quæ poſſident, olim fuerint ruſtica, eoque argumento mediate ſubdantur. Nam & in aliis Bonis NOBILITATE veluti ab ævo donatis idem obtinet *ib. n. 3.* Interim Amptſaſſii videntur difficiliori cæteris conditione eſſe, tum quod non tantum ad Domini, ſed etiam ad Præfecti ſive Quæſtoris, qui ipſis præeſt, requiſitionem comparere & ſervire teneantur, tum in eo, quod Immobilium poſſeſſio eos a Satisdatione in Curialibus Judiciis, ſtylo eorum id flagitante, non relevet. *Dan. Moller. ad Conſtit. Aug. p. I. Conſt. V. num. 13. 14.* & ex eo *Stephan. de Juriſd. L. II. P. I. c. VII. membr. II. n. 126. 127.* Adde *Webner. Obſerv. voc* Amtſaſſen.

XI. Affinem his materiam mox ſubjicit idem *Stephani l. c. n. 128. 129. 130.* Rurſus alia differentia eſt Vaſallorum ut maxime in Franconia, ubi alii ſunt Lehnleute/ alii vero Landſaſſen. Hi, die Landſaſſen deterioris ſunt conditionis, quam die Lehenleute. Nam die Lehenleute coram Domino non niſi ratione cauſarum Feudalium comparent: In aliis cauſis habent alios Judices ſingulares, vel Judicium Rotwilenſe, vel alios. At die Landſaſſen indifferenter ratione omnium

omnium Cauſarum etiam Non-Feudalium coram Domino comparere tenentur & aliis modis. Hinc eſt, quod illi, qui ſunt Vaſalli Lehnleute/non libenter fiant Landſaſſii, adeo ut ſæpiſſime Feudum, quod illis Titulo ſucceſſionis Hereditariæ obvenire poſſit, repudient & negligant. Quæ Diſtinctio Nominum in Pomerania ignoratur; Et Vaſalli tenentur non ſolum in Feudalibus, ſed & aliis cauſis citati a Domino in ejus curia comparere & reſpondere. Hæc *Stephani*: Quæ exhibenda duximus, quod non ignoremus ipſa hæc a Generoſa NOBILITATE, cujus Patriæ ille meminit, in uſus ſuos verti.

VII. Enimvero in Pomerania Electorali non diſſimili modo habentur NOBILES, arcium Domini, Die Schloßgeſeſſene. Quo quidem nomine graviſſime hactenus inter eos & reliquam NOBILITATEM diſceptatum fuit, Illis ſingularia Privilegia, eoque Prærogativam ſibi inde vindicantibus. His paritatem aſſerentibus, & nomen der Schloßgeſſenen non niſi ratione Bonorum valere, nec quicquam prærogativæ perſonis addere urgentibus. Rationes priorum ſunt 1. Se in Receſſibus Publicis Titulo der Schloßgeſeſſenen Item der Geſchlechter ſpeciatim honorari. 2. Singularibus literis etiam ad Homagii præſtationem evocari, & in præſtatione ipſa præcedere. 3. Se Subfeuda habere. 4. Se coram ſubordinato Magiſtratu nullo, ſed unice coram Principe ejus Senatu in jus vocari poſſe; 5. Ab eodem etiam ad Conventus Provinciales ſingulariter convocari, cæteris per Judices Inferiores accitis. 6. Ejusdem inſuper Cameræ, aut Ærario Provinciæ Contributionem ſuam inferre, non particulari Ærario unius atque alterius Diſtrictus. 7. Officia primaria ipſumque Directorium a ſe geri. 8. In Conventibus Provinc. Jus primæ Seſſionis primive Suffragii ſe habere. 9. Etiam in Luſtrationibus militaribus præcedere &c. In Contrarium Pars adverſa allegat: 1. In Privilegiis Ducum Pomeraniæ totum ordinem Equeſtrem uno nomine Mann oder Ritterſchafft comprehendi, ſine ulla mentione diſcriminis alicujus. 2. Se nullis juſſu Quæſtorum Servitiis aſtringi, nec ſatisdatione onerari in Judiciis, nulli etiam præfectoratione Judiciorum in rebus arduis ſubjacere: Quæ Onera Amptſaſſiorum Saxoniæ ſint, eoque in deteriorem conditionem eos conjiciant. Se etiam licet in cauſis minoribus ſubinde coram Præfecto compareant, id non oneris, ſed ſingularis Privilegii in loco habere, ne ob cauſam non magnam magno itinere ad Tribunal ſupremum fatigentur.

Sæpe

Sæpe etiam relictum fuiſſe arbitrio Partium, ſi Inferiori tali Judicio renunciare velint, nec ne: Non autem renunciari gravamini, ſed favori ſuo. 3. Ex Titulo der Schloßgeſeſſenen ſplendorem quidem, ſed non majorem Jurium & Suffragii prærogativam ſequi, quam Urbium ſit, quæ ſedem Principi præbent, præ Urbibus aliis. Nec de totis Familiis facta mentione der Schloßgeſeſſenen Receſſus Publicos agere, ſed tantum de iis, qui Arces actu poſſident. 4. Eodem argumento etiam eos, qui Jure Patronatus, Jure venandi &c. præ aliis gaudeant, prærogativam in ſtatu NOBILITATIS habituros, talem tamen a nemine prætendi. 5. Conſtare ex variis Receſſibus nomina Familiarum der Geſchlechter univerſæ NOBILITATI attribui. 9. Specialem Evocationem ſubinde factam, ſed dubitari an facta ſit uniformiter, an ad ſolos Arcium Dominos, &c. Nullam quoque Prærogativam NOBILITATIS ad reliquorum præjudicium inde ſequi. 7. Qua Subfeuda, quemlibet Vaſallum poſſe Subfeuda concedere, qui legitimam Bonorum ſuorum adminiſtrationem habet. 8. Ad officia utramque partem ſine diſcrimine vocari, de Solis Flemmingiis conſtare, eos Dignitate Marſchallatus hereditaria gaudere, nec tamen ideo cæteris Arcium Dominis litem prærogativæ intendere &c.

DISSERTATIO XII.
DE
HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

Dignitates, in quibus hactenus verſati ſumus, fuerunt Reales & Hereditariæ, h. a Parentibus ad Poſteros productæ: Neque enim Rex, Princeps, Baro, Nobilis ſoli Dignitates ejusmodi ſuſtinent, ſed ad Filios quoque, Nepotes & reliquam progeniem eas transmittunt, atque in iis conſervant. Sequitur pro continuando filo noſtro, ut de Dignitatibus Perſonalibus loquamur, quæ in Perſonis ſingulis naſcuntur & cum ipſis intereunt: Quas quidem trium generum nunc proponimus, Sacras, Civiles & Mixtas. Dignitates Sacræ in Hierarchia Eccleſiaſtica elucent ſub nominibus Pontificis M. Cardinalium, Patriarcharum, Archi-Epiſco-

Epiſcoporum &c. Civiles in Equitum unâ, Mixtæ, h. inter Sacras & Civiles mediæ, in altera eorundem parte eaque maxima; Plerique enim Ordinum Equeſtrium partem muneris ſui ex Rebus Eccleſiaſticis excerpunt: Quibus deinde & Dignitates Scholaſticæ Doctorum, Magiſtrorum &c. accedunt, cum & illæ non plane Civiles, nec etiam prorſus Eccleſiaſticæ ſint, ſed utrisque participent. Hierarchiam Eccleſiaſticam hac Methodo tractabimus, ut primo Sacrum Ordinem generaliter in ſuis Principiis & Accidentibus conſideremus, deinde ſpeciali ſingularum in eo Dignitatum Hiſtoriæ accingamur.

CAPUT I.

Hierarchia quotuplex? Hierarchia Angelorum qualis: Hierodiaconia, Hieromonarchici: Tractatus Veteres de Hierarchia, & cui Autori tranſcribendi? Lites circa Hierarchiam Eccleſiaſticam in Germania; Lites Epiſcopalium, Presbyterianorum, Independentium, Browniſtarum, Quakerorum in Anglia: Hierarchia quibus congruat? Cur Anglia durante Interregno tot diſſenſionibus & ſacris & Civilibus confecta fuerit? Autores de ſingulis litium iſtarum ſubjectis: Presbyteri & Epiſcopi Veteris Eccleſiæ utrum iidem fuerint, an diſtincti? Origo Epiſcopalis Dignitatis.

I.

HIERARCHIAM Scholaſtici in genere interpretantur Sacrum Ordinem, indeque occaſionem ſumſere triplicem Hierarchiam introducendi, ſecundum triplicem, ut loquuntur, Subſtantiam Intellectualem I. *Super-cœleſtem*, Trinitatis. II. *Cœleſtem*, Angelorum. III. *Eccleſiaſticam*, Hominum; Et quod Terminis hiſce ac ſimilibus caperentur in Hierarchia Cœleſti ſeu Angelorum, nova ejusmodi quæſivere nomina *Eparchiæ, Meſarchiæ ac Hyparchiæ*, quorum ſingula deinde in ſpecie Nomen Hierarchiæ ferrent: In totidem Claſſes enim, ſeu Terniones Sanctos Angelos diſtribuunt, & *Hyparchiam* Infimis, *Meſarbiam* mediis, *Eparchiam* ſupremis Angelis aſſignant. Qua in re licet probabile ſit Angelos officiis ac gradibus diſtingui ex *Coloſſ. I. XVI. Epheſ. I. XXI.* collat. *cum I. Theſſal. IV. XVI.* Incertum tamen eſt, quomodo diſtinguantur, & utrum relate ad homines tantum; an vero etiam ſuperioritate & ſubjectione inter ſe; vel an officiis cuique peculiariter aſſignatis, an vero promiſcue pro re nata & DEI Imperio modo huic modo illi impo-

impoſitis: Adeo ut ſatius ſit hic ἐπέχειν, quam Diſtinctionibus curioſe incumbere. Vid. pluribus judicioſiſſ. *Voet. Vol. I. Diſp. de Hierarch. Cœleſti* & quos illi ibi paſſim citat. Præterea & *Hierarchiæ Legalis* alicubi mentio fit, h. ut arbitramur, Sacri ordinis inter homines V. T. ac Librum ejusmodi *de Legali Hierarchia* nomine Dionyſii Areopagitæ aliquando citari, meminit *Th. James Eclog. Oxonio-Cantabr. Cat. I. p. 38.* Sed Phraſis hæc minus uſitata eſt, & poſſet Hierarchiæ Eccleſiaſticæ nomine comprehendi. Hierarchiam Eccleſiaſticam vero quod attinet, illa quidem vi explicationis ſuperioris quemvis ordinem ſacrum inter homines importat, ordinarie tamen nunc illum ordinem ſignificat, qui conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris ac Miniſtris, non ordine tantum, ſed gradibus a ſe invicem diſtinctis, quo ſenſu etiam nos illam nunc accipimus: Diceretur Sacer Principatus, aut mollius, Sacrum Regimen, Germ. Kirchen-Staat. Alii non *Hierarchiam*, ſed *Hierodiaconiam*, aut *Hieroduliam* dici voluere, quod nimis imperioſus iſte videretur Terminus, cui lucem mox in ſeqq. affundemus.

II. Concretus Terminus Hierarchæ & Hierarcharum minus frequens eſt, ſed cujus loco a primis temporibus usque alii adhibiti fuere ſacri muneris pariter ac prærogativæ indices: Ut Διδάσκαλοι, *Doctores*, ὑπηρέται τοῦ λόγου, *Verbi miniſtri*, a præcipua docendi, divinique verbi diſpenſandi functione; ἐπίσκοποι, *h. Superattendentes, Inſpectores, Curatores ſeu Curati, Epiſcopi*, a demandata Gregis Cura, ποιμένες, *Paſtores*, ἡγούμενοι, προεστῶται, προϊστάμενοι, *Rectores, Ductores, Præpoſiti*, οἰκονόμοι Θεοῦ, *DEI diſpenſatores*, a Regendi prærogativa, & deinde a morum gravitate & Synagogæ, canicie venerandorum Regiminі ſubditi ſolitæ familiari (quod ex ejus tum primũ ſinu fidelium cœtus emergerent) exemplo πρεσβύτεροι, *Seniores, Majores natu, Presbyteri*, eorumq; Collegium πρεσβυτέριον, *Presbyterium ſeu Senatus. Blondell. præfat. in Apolog. pro ſentent. Hieron. p. 5.* Quæ poſtrema tamen cum grano ſalis accipienda eſſe infra docebimus. Cognata vox eſt *Hieromonarchicorum*, ſed alium ſenſum ferens, qua præcedenti ſeculo in Gallia indigitabant fervidiores Catholicos & alias *Zelotas* dictos, oppoſitos Politice-Catholicis ſeu Politicis, quo Titulo & moderatiores Catholici & Proteſtantes afficiebantur. V. *Marc. Anton. de Domin. in LL. de Rep. Eccl. paſſim, & Thuan. L. XLIV. LII. & XCV.*

III. Circa antiquitatem Termini Hierarchiæ monemus, ejus mentionem primo fieri in *Tractatibus de Hierarchia Cœleſti & Hierarchia Eccleſiaſtica* vulgo circumlatis, quos cum noſtris *Dionyſio Corinthiaco* vel *Alexandrino*, aut certe, quod Valla cum aliis ſuſpicatus fuit, *Apollinari*, eoque Seculo IV. aut V. tranſcribi poſſe arbitramur, ſatis ubere mediocris Antiquitatis cum Teſtimonio; Sed quam Catholici longe profundius quærunt, Tractatusque hos antiquiſſimo ac primi Seculi Patri Dionyſio Areopagitæ attibuunt. V. quæ poſt Bellarmium, Poſſuvinum &c. laborioſe pro eo congeſſerunt *Martin. Del-Rio L. VI. Disquiſ. Magic.* & peculiari Libro contra *Scaliger.* cum Tit. *Vindiciæ Areopagiticæ*, *Matthæus Galenus* Tractat. *Areopagitica*; Et recenter *P. Halloix Illuſtr. Eccl. Orient Scriptor. Vita, in V. S. Dionyſii Q. 11. p. 175.* Contra quem cum noſtris urgemus Autorem hunc in L. de Hierarch. Eccleſ. nimium eſſe in Deſcribendis Templis, Altaribus, Locis Sacris, Choro, Conſecratione Monachorum, Tonſura & raſura Capitum: Quæ omnia primis iſtis ac ſimplicibus Dionyſii Areopagitæ temporibus nondum cognita fuere: In Libro autem de Hierarchia Cœleſti vane prorſus enumerantur Subſellia Angelorum & Cœli ſupellex, ejusque pene Inventarium conficitur: De quo ipſos Catholicos dubitantes Vid. *ap. Voet. cit. Diſp. de Hierarch. Cœl. in fin.* Unde & jam A. DXXXII. Hypatius Orthodoxorum Hyperaſpiſtes Acephalos hunc autorem pro teſte allegantes graviſſima hac cenſura perculit: *Illa teſtimonia, quæ vos Dionyſii Areopagitæ dicitis, unde poteſtis oſtendere vera eſſe, ſicut ſuſpicamini? Si enim ejus erant, non potuiſſent latere B. Cyrillum. Quid autem de B. Cyrillo dico, quando & B. Athanaſius, ſi pro certo ſciſſet ejus fuiſſe, ante omnia in Niceno Concilio de Conſubſtantiali Trinitate eadem teſtimonia protuliſſet adverſus Arii diverſæ ſubſtantiæ blaſphemias? Si autem nullus ex antiquis recordatus eſt ea, unde nunc poſſitis oſtendere, quia illius ſunt, neſcio.* Ex Epiſt. Innocent. Maroniæ Epiſcopi *Blondell. cit. præf. p. 39.* Nec male a Germanis noſtris contra Anathema Concilii Tridentini inferius citandum ſuperiori ſeculo objectum fuit: *Vocem Hierarchiæ inventam a quodam fortaſſe ſatis antiquo, ſed de quo haut plane conſtet, quis aut quando fuerit: Scriptore ceteroqui hyperbolico, quem nec in illius Vocabuli uſu, nec in aliis ab ipſo excogitatis quisquam antiquorum imitetur*; apud *Petr. Suav. Hiſtor. Concil. Tridentin. L. IIX. p. 866.* Confer Voet. *citata Diſp.* item

Scul-

Scultet. *Medull. Patr.* Rivet. *Cathol. Orthodox.* Cocum *Cenſura Patrum &c.*

IV. Rei ipſi, h. Status Eccleſiaſtici in gradus & Dignitates Diſtinctioni, quantæ noſtro & ſuperiori ſeculo lites motæ fuerint, non neſcit, qui negocia Proteſtantium cognita habet, his amplos reditus Sacro Ordini invidentibus, illis Dictaturam ac Dominium in Conſcientias, aliis alia querentibus: Unde ipſam Hierarchiam modo in dubium vocari, & alibi plane tolli oportuit. In Germania noſtra certe notam & reprehenſionem non effugit, cum Decreto Concilii Trident. Aathema ei ſcriberetur, qui dicturus eſſet: *In Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtet ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris:* Hierarchiam conſtitui voce & ſignificatione Sacris literis & conſuetudini primitivæ Eccleſiæ non modo aliena, verum etiam contraria: Quod ſi ſtilum dicendi & modum operandi Chriſti Servatoris noſtri & Sanctorum Apoſtolorum & antiquæ Eccleſiæ ſequi voluiſſent, non Hierarchiam, verum Hierodiaconiam quandam aut Hieroduliam ſtatuendam fuiſſe: Quibus & ſimilibus inter alios Petrus Paulus Vergerius antea Epiſcopus Juſtinopolitanus & Pontificis M. ad Germanos Legatus, cum Proteſtantibus acceſſiſſet, in Valle Tellina Doctrinam Concilii tum impugnavit ap. *Petr. Suav. l. ante cit.*

V. In Anglia eodem fonte oborta Schiſmatica Epiſcopalium & Non-Conformiſtarum, h. Presbyterianorum, Independentium &c. nomine, agitatis primo circa Sacri Ordinis conſtitutionem litibus, atque iiſdem deinde ad alias res pertractis. Sic Epiſcopales Hierarchicum ordinem tutati ſunt, Non-Conformiſtæ ipſum improbarunt, licet non ſemper eodem fervore: Unde Hiſtorici Anglorum trium generum Non-Conformiſtas obſervant: *Antiquos*, tempore Eduardi Reois, qui ſolum veſtitum Epiſcoporum improbaverint: *Medios* ſub Regina Elizabetha, qui præter veſtitum etiam Comitatnm & miniſtros ipſorum imdrobaverint; Et *Novos* ſub Jacobo, & Caroris usque ad noſtra tempora, qui ipſaw rem impugnant ac remotam cupiant. Vid. *Fuller. Church. Hiſtor. of England. L. VII. cent. XVI.* Quodque nec uno modo Hierarchiam impugnaverint, ſecutæ pro varietate opinionum, quas, rejecta Hierarchia, prævalere cupiebant, Presbyterianorum, Independentium, Browniſtarum ſ. Separatiſtarum &c. appellationes docent. Et *Presbyte-*

byteriani quidem, licet æque ac Hierarchici Subordinationem ſeu autoritatem unius in alterum requirant, eam tamen non in perſonis Singularibus admiſſam volunt, ſed aliam, quæ Corporum & Claſſium ſit, adeo ut Eccleſiarum habeantur Presbyteri, h. Rectores tam docentes quam Regentes, hi vero ſubordinentur Synodis Provincialibus, & hæ iterum Synodis Nationalibus. *Browniſtæ* contra & ſubordinationem rejiciunt & Regimen Presbyteriis adimunt, ſed ejus poteſtatem penes totam plebem eſſe volunt, cui etiam ut ſua poteſtas tanto certius conſtet, Presbyteros ſuos Presbyterii negocia non in Conclavi aliquo, ſed inſpectante tota Eccleſia agere jubent. *Independentes* vero tanquam media via ingreſſi Synodos & Regimen Eccleſiæ per Presbyteros quidem agnoſcunt, ſed Eccleſiæ ejusmodi cum alia conjunctionem h. combinatum Claſſico-Presbyteriale Regimen, vel dependentiam aut combinationem Eccleſiarum in Synodos, & harum autoritatem in illas negant. Pro quorum pleniori intellectu addimus Verba diſertiſſimi Poweri jam ante citati, ubi de Independentibus loquitur: *In Purſuance of theſe Principles they pitched on a midle way (as generally the poſture of truth) betwixt Presbytery as to rigorous, imperious & concluſive, and Browniſme, as too vage, looſe ant uncertain. Their main plat form was that Churches ſhould not be ſubordinate, Parochial to Provincial, Provincial to National, as Daughter to Mother, Mother to Grandmother, But coordinate without ſuperiority, except Seniority of Siſters containing no Powerfull influence therein. Thus the Church formerly like a Chain with links of dependences on one another, ſhould hereafter become like an heap of rings each entire in it ſelf, but as they thougt far purer, then was efer ſeen befoore &c. Synods they account uſefull and in ſome caſes neceſſary, yet ſo that their power is but official, not Autoritative; whereby they may declare the thtuth, not enjoyn obedience thereunto.* Or *take it in the language of one of their Grandees:* Actus Regiminis in Synodis debet porrigi, non peragi. *Proſecuturi Principia ſua mediæ cuidam viæ adhærebant inter Presbyterianiſmum, quippe nimis rigoroſum, imperioſum & deciſivum, & Browniſmum utpote nimis vagum ac incertum. Propria illorum forma erat, Eccleſias non debere ſubordinari, Parochialem Provinciali, Provincialem Nationali, ut filia Matri, Mater Aviæ, ſed coordinari ſine ulla ſuperioritate, & excepta ætatis prærogativa, ut inter ſorores, deſtituta ab omni in aliam autoritate:* ſic

Digitized by Google

ſic Eccleſiam, quæ ante viſa fuerit tanquam Catena, cujus ſinguli articuli a ſe invicem dependent, inpoſterum ſimilem futuram acervo Annulorum, quorum ſinguli ex ſe ſolis integri eſſent, ſicque longe puriorem, quam unquam viſa ſit. Synodos utiles eſſe judicant, & quibusdam in caſibus neceſſarias, ſed cum poteſtate non autoritativa, ſed tantummodo officiali, ita ut veritatem quidem declarare poſſint, ſed nullum obſequium injungere, ſeu verbis alicujus e primipilis ipſorum; Actus Regiminis &c. Quibus deinde in Cumulum acceſſerunt *Quakeri*, gens ſine ratione & ordine, quæque tantum abeſt, ut Hierarchiam approbet, ut Presbyterorum pariter ac Plebis poteſtatem ſublatam velit, & proprium unicuique judicium & Regimen attribuat, formatura ita & relictura unice Regnum cœleſte Servatori JESU.

VI. Rationes, quibus ſinguli militant, ut recenſeamus aut examinemus, paginæ hæ ferundo non ſunt, nec ſcopus noſter permittit, qui hæcce talia nobis ad Dignitatum Sacrarum notitiam tantummodo præſtruimus. Si quid tamen homini ſeculari dicendum eſt, cogitari poſſit materiam hanc eodem recidere, quo Politica Quæſtio de Formarum Reip. præſtantia, & utrum Monarchia, an Ariſtocratia, vel Democratia prævaleat; Et quemadmodum pro Ingeniorum varietate alia atque alia Reip. forma commodior eſt, ſic & formam Status Eccleſiaſtici variam fieri variantibus membrorum Eccleſiæ Ingeniis. Sic ubi Status civilis Monarchicus eſt, Hierarchia Eccleſiæ non male quadrat, quia homines ſubjectioni jam aſſueti ſunt: In Rebuspp. Liberis aliæ formæ citius obtinebunt, quia ſinguli e civibus libertatem ſuam penitius norunt. Nec male fecit, qui Schiſmatica iſta nomina ita Regimini civili aſſimilavit, ut Hierarchiam & Epiſcopales cum Statu Monarchico, Presbyterianos cum Ariſtocratia, Independentes & Browniſtas cum Democratia, Quakeros cum Anarchia comparaverit. Cujus rationem nunc reddimus, quia Eccleſia & Reſp. inter Chriſtianos, ſeu in genere Cœtus Religioſorum hominum & Reſpublica in hiſce terris reipſa non differunt, niſi in eo, quod Civitas aut Reſp. vocetur, quatenus conflatur ex hominibus Societatem quærentibus, & Eccleſia ſeu Cœtus Religioſus, dum in Societate ſua rem ſacram aliquam faciunt. Ac proinde Ingenia, quæ in uno liberius agunt, vix poterunt ſine turbarum metu in altero ſtrictius haberi; Aut contra quæ in ſtatu Civili paritioni magis ſe accommodant, non poterunt ſine degeneratione in licentiam liberius in Eccle-

ſia

Digitized by Google

ſia regi. Hinc etiam factum putamus, quod in Oriente a primis temporibus Epiſcopatus viguerint, quia Oriens Regibus & ſubjectioni ſuetus eſt, prout a *Tacito* notatur *Hiſtor. IV. XVII.* ſeu prout de Cappadocibus narrat Juſtinus, munus Libertatis a Senatu Romano ipſis oblatum abnuentes negaſſe gentem ſuam ſine Rege vivere poſſe *Hiſt. L. XXXIIX.* Contra in Belgio & Helvetia Hierarchia res peregrina foret, utpote Liberis Rebuſpp. Et Angli cum Rempubl. Liberam ſuam meditarentur, nolebant ſine mutata Regiminis Eccleſiaſtici forma ad eam tranſire, rati innovationibus ſuis priſtinum ſacrum ordinem non quadraturum. Quanquam illi in eo peccarent, quod eliminato Epiſcopatu non ſtatim paratum haberent ordinem, ad quem Eccleſiæ regerentur, ſed fluctuantes eas diuturna *ἀταξία* jactari ſinerent, unde non potuerunt non omnis generis hæreſes, errores & ſectæ multiplicari ipſæque meliores Eccleſiæ proculcari. Confer *Hoornb. Summ. Controv. L. X. p. 780.* Veluti & Status Civilis Ipſarum tunc eodem malo laborabat, non ſine Divini Judicii teſtimonio, quod cum priſtinum ſtatum evertiſſent, in eam mentis perverſitatem darentur, ut alium quendam certum ſtatum formare non poſſent. Quare & Cromwello rem hanc in commoda ſua vertenti tanto facilius fuit, fluctuantes obruere, & cuncta diſcordiis Civilibus feſſa nomine Protectoris ſub Imperium accipere, prout bene adnotat *Autor Nott. Polit. in V. Cromwelli.* Ad cætera cognoſcenda Directorii loco indicamus *Fuller. L. ante cit. Honorium Reggium*, b. Georg. Hornium de Statu Religionum in Anglia, *Hoornbeck Summ. Controv. L. X. Alex Ros L. de Diverſitate Religion. Orbis:* In quo tamen bona, mala, vera, falſa promiſcue reperire eſt. Pro Hierarchia facit *Dionyſ. Petavius Libris III. de Eccleſiaſt. Hierarchia in T. III. Dogm. Theol. p. 656. & ſeqq.* Idemque reſponſo ad *Walonem Meſſalinum* mox citandum; *Ludov. Cellotius de Hierarchia & Hierarchis Libris IX. Rothomag. MDCXLI. fol.* Franciſc. Hallier *de Hierarch. Eccleſ. Libris IV. Pariſ. MDCXLVI. fol.* Choppinus *de Sacra Politia.* M. Anton. de Dominis *de Rep. Eccleſiaſt. Libris X.* Quanquam ille a quæſita Pontificiorum Monarchia haut parum diſcrepet, unde & Libris ejus prioribus ſe oppoſuit *Nic. Cœffeteau Tr. pro Sacra Monarchia Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ adverſ. Remp. M. Ant. de Dom. Libris IV.* Inter recentes nunc ad manus eſt: *Liturgie a moſt divine ſervice in anſwer to a late Pamphlet, ſtiled commun prayr booke no divine ſer-*

ſervice wherein the Autors 27. reaſons againſt Liturgies are taken away, as alſo his 12. Arguments againſt Biſhops are anſwered by John Barbon. Oxon. 1663. 4°. Contra eam vid. *Walonem Meſſalinum*, h. Claud. Salmaſium; *de Epiſcopis & Presbyteris contra Petavium, Lugd. Bat. M DC XLI.* 12°. Sed cui a Petavio reſponſum fuit, *Eund. Salmaſium Tr. de Primatu Papæ*, Et *Edvard. Didoclavium* h. Davidem Calderwood; *in Altari Damaſceno*, Doctiſſimo Tractatu, quemque in ſqq. pluribus allegabimus. Sed qui in Hierarchiam Anglicanam paulo fervidius invehitur, quemadmodum prima fronte ſtatim Titulus præ ſe fert; *Altare Damaſcenum ſeu Politia Eccleſiæ Anglicanæ obtruſa Eccleſiæ Scoticanæ a Formaliſta quodam delineata, illuſtrata & examinata opera Edvardi Didoclavii, cui Locis ſuis interſerta : Confutatio Pareneſeos Tileni ad Scotos Genevenſis Diſciplinæ Zelotas : Adjecta Epiſtola Hieronymi Philadelphii de Regimine Eccleſiæ Scoticanæ : Ejusque Vindiciæ contra Joh. Spotswoodi Pſeudo-Archi-Epiſcopi &c. Calumnias.* Pro Presbyterianiſmo Joh. Baxters Tr. *Diſputations upon Church Government*, Ej. *A ſheet for miniſtery : A Vindication of the Presbyterian Gouvernment* per miniſtros Synodi Provincialis Londinenſis Anno M DC XLIX. Sam. Rutherfurd *The due right of presbyteries.* Joh. Paget *A defence of Church Government* adverſus Ainsworthum, Davenportium & Cannum (qui Independentes) de Poteſtate Presbyterii, Claſſium & Synodorum &c. (Quos etiam citat Hoornbeck p. 787. Pro Independentiſmo facit Confeſſio eorum A. M D XCVI. edita & Apologia pro eadem contra Doctores Oxonienſes : *Syons prerogative Royal : A ſurvey of the ſumme of Churchdiſcipline &c.* apud eund. *Hoornbeck cit. loc.* De Quakeris paucæ tantum Confeſſiones & Declarationes proſtant, contra quos inter primos adverſarios in Anglia extat ante cit. Baxter. Tr. *A ſheet againſt the Quakers*; Et *The Quakers Catechiſe.*

VII. Porro circa Hierarchiam notamus I. Non potuiſſe ex aliis, quam tenuibus initiis formari; quia dum Eccleſia ſub Cruce & perſecutionibus vivebat, non magnopere licentiam ſuorum metuere habebat, eoque nec de ſtrictiori ac ſolitario Regimine ipſam ſolicitam eſſe opus erat: Cum omnibus ac ſingulis non novationes ſed conſervationem ſui cogitare ſufficeret. II. Eam tum demum exurrexiſſe, cum Eccleſia melius habere inciperet ſub Impp. Chriſtianis, Ingeniis quippe tunc magis in luxuriem inclinantibus. III. Nihil præju-

dicare iſtam per gradus promotionem formatæ ita Hierarchiæ, cum nec in Re Civili Monarchiæ idem ortus ac progreſſus fuerit; & Regna, quorum olim quam plurima ac egena admodum & vix ultra prædia unius Patrisfamilias extenſa extiterunt, longe poſt pauca & Potentiſſima facta ſint, Ingeniis hominum humaniſque neceſſitatibus id ita flagitantibus. Sicque in re Sacra etiam Ingenia, quæ ſub Cruce liberius habebantur, poſtmodum ſolitario eoque ſtrictiori Regimine haberi oportuit, quod major libertatis in licentiam degeneraturæ tunc metus eſſet.

VIII. Cæterum primis Eccleſiæ initiis inter Epiſcopos & Presbyteros (hæc enim nomina tunc ſolum audiebantur) reipſa nullum diſcrimen interceſſiſſe, complura S. Codicis N. T. loca non obſcure indigitant, quibus ambo nomina pro unis iisdemque accipiuntur, ut *Act. XX. XVII. Miſſis nunciis Epheſum acceſivit* Presbyteros *Eccleſiæ* &c. collat. cum v. XXIIX. *Attendite Vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit* Epiſcopos. *Tit. I. v. V. Reliqui Te in Creta, ut conſtitueres per Civitates* Epiſcopos, collat. cum v. VII. *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine, eſſe* 1. Pet. V. 1. Seniores, *qui in Vobis ſunt, obſecro*, Conſenior & *Teſtis Chriſti Paſſionum.* Seniores ibi ſunt πρεσβύτεροι, Petrus vero ſe ipſe vocat συμπρεσβύτερον; Is vero, ſiquidem Epiſcopatus gradus ſublimior fuiſſet, jure merito ſalutandus fuiſſet non Presbyter, ſed Epiſcopus. Quam rem omnem prolixe olim complexus fuit & declaravit *Hieronymus Ep. LXXXV. ad Evagr.* verbis ſeqq. *Audio quemdam in tantam erupiſſe vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, i. Epiſcopis anteferret. Nam cum Apoſtolus perſpicue doceat, eosdem eſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos, quis patiatur menſarum & viduarum miniſter, ut ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus ſanguiſque conficitur? Queris Authoritatem? Audi Teſtimonium; Paulus & Timotheus, ſervi JESU Chriſti omnibus Sanctis, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconis. Vis & aliud exemplum? In Actibus Apoſtolorum ad unius Eccleſiæ Sacerdotes Apoſtolus ita loquitur: Attendite vobis & cuncto gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, ut regatis Eccleſiam DEI, quam acquiſivit ſuo ſanguine. Ac ne quis contentione in una Eccleſia plures Epiſcopos fuiſſe contendat, audiat & aliud teſtimonium, in quo manifeſtiſſime comprobatur, eundem eſſe Epiſcopum atque Presbyterum. Propter hoc reliqui Te Cretæ, ut quæ deerant, corrigeres atque conſtitueres Presbyteros per Civitates, ſicut ego Tibi mandavi,*

Digitized by Google

ſtavi, ſi quis eſt ſine Crimine &c. Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe. Et ad Timotheum: Noli negligere gratiam, quæ in Te eſt, quæ data eſt Tibi per Prophetiam & per impoſitionem manuum Presbyterii. Sed & Petrus in prima Epiſtola; Presbyteros, inquit, qui in Vobis ſunt; precor ego Compresbyter &c. Regite Eccleſiam DEI & inſpicite &c. quod quidem Græce ſignificantius dicitur ἐπισκοποῦντες i. Superintendentes. Unde nomen Epiſcopi tractum eſt. Parva tibi videntur tantorum Virorum Teſtimonia? Clangat Tuba Evangelica, filius Tonitrui, quem JEſus plurimum amavit, qui de Pectore Salvatoris fluenta doctrinarum potavit: Presbyter electæ Dominæ & filiis ejus &c. Presbyter Cajo cariſſimo &c. Quod autem poſtea unus electus eſt, qui ceteris præponeretur, in Schiſmatis remedium factum eſt, ne unusquisque ad ſe trahens Eccleſiam Chriſti rumperet &c. Quid enim facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat? Et in Comment in 1. Epiſt. ad Titum: *Nim. idem erat Presbyter, qui & Epiſcopus, & antequam Diaboli inſtinctu ſtudia vel Schiſmata in religione fierent, & diceretur in populis: Ego ſum Pauli, ego ſum Apollo, Ego autem Cephæ, communi Presbyterum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam autem unusquisque eos, quos baptiſaverat, ſuos eſſe putabat, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris ſuperponeretur omnibus & Schiſmatum ſemina tollerentur.* Quæ loca & Jus Canonicum exhibet *Diſt. XCIII. Can. Legimus XXIV. Diſt. XCV. Can. olim V.* Eaque tanti fecit Doctiſſ. Vir *David Blondell.* ut peculiari tractatu illuſtraverit, *Apologia pro ſententia Hieronymi de Epiſcopis & Presbyteris.*

IX. Mox vero melioris in Eccleſia ordinis gratia Presbyterorum Præpoſitos poni oportuit, dignitate quidem cum iſtis pares, primos tamen eorum, quorum conditionem aſſumimus ex Blondelli L. ante cit. hanc fuiſſe: Primo conſtitutos fuiſſe πρωτοχειροτονηθέντας, h. antiquiores in Chriſto, quos ſingularis quædam inter Collegas prærogativa manſerit: Cum enim ante Legem penes Familiarum primogenitos præcipuum Jus Sacrorum fuerit, ſub Lege ſingularum Tribuum Principatus ætate Primis ceſſerit, Sacertotaliumque familiarum Capita, Seniores quique habiti ſint, Fratrum Principes nequaquam ſpontanea ſuffragiorum collatione facti, ſed nati: Chriſtianam plebem ex Judæorum filiis in ipſo Synagogæ Sacrario ab Apoſtolis gente judæis primum collectam, Patrium morem velut ab ipſa natura ſancitum, indeſinenti uſu confirmatum, quique nihil per

 ſe ini-

ſe iniquum vel abſonum haberet, ſi non faventibus palam, ſaltim non repugnantibus Apoſtolis libere ſuoque jure ſecutam, πρωτοκληθεῖσιν ſeu primo vocatis in unoquoque Sacri Ordinis Conſeſſu πρωτοκαθεδρίαν & primatum aſſignandum putaſſe: Fuiſſeque tunc πρεσβείαν illam Seniorum eique annexam ſingularem quandam & exortem (qualem præſidentium omnium quomodocunque conſtitutorum) poteſtatem, non Presbyterio majorem ordinem; ſed Presbyterio inter ὁμοταγεῖς fungentis Prærogativam ætati debitam, idque proprio natalium in Chriſto Jure; Nec Collegis Presbyteris præfuiſſe Collegii cujuscunque Sacri Præpoſitum, qua Presbyter, vel quaſi in alio ſupra Presbyteros quoscunque ordine conſtitutus, ſed qua Presbyter πρωτοταγὴς & primo ordinatus, eoque natu inter ejusdem muneris conſortes major; Nec eidem alios ceſſiſſe, qua Presbyteri, ſed qua poſt allecti, peculiarique quadam ratione ætate minores. Poſtmodo cum obſervaretur, Indignos hoc modo Dignis ſæpe præponi, ad ſuffragia itum eſſe, & Fratrum Caput ac προεστῶτα non amplius fuiſſe ex veteri more πρωτοχειροτονηθέντα, ſed ex recenti inſtituto ad communem ædificationem inder Collegas potiorem ſive is e primo proximis, ſive e mediis, ſive e poſteris eſſet: Fideles enim iniquum cenſuiſſe, meliores poſthaberi, & iis majorem cultum exhiberi, quibus minora dona obtigiſſent. Nec tamen Electos illos Primates a promotione ſua Presbyteros eſſe deſiiſſe, ſed novum tantum arbitraria fratrum delegatione autoritatis pondus aſſecutos eſſe, eadem ratione, qua nunc inter Proteſtantes in Germania, Polonia; Dania Superintendentes; aut inter Gallos & Belgas Synodorum moderatores ſunt, qui Collegii univerſi eos deligentis capita efficiuntur, ut per eos omnis congregationis actus gubernetur, ac ne quid res Eccleſiaſtica detrimenti capiat potiſſimum caveatur. Sicubi etiam alicujus inter Primates hoſce ſucceſſionis mentio fiat, aut Annorum computatio ab illis petatur, id non aliter ſe habuiſſe, quam Atticorum ἀρχόντων Novem-virale, aut Ephororum & Bidiæorum Spartanorum Quinque-Viralia Collegia, quæ æque a Collegarum primo determinationem ſortita ſint: Eum vero a ſcopo aberraturum, qui ideo ſibi perſuaderet, unicum uno eodemque tempore ſive Ephorum ſive Bidiæum ſive Archontem Magiſtratu functum, quod unius primi nomen Catalogis aſcriptum & conſignandis annis adhibitum inveniatur.

tur. Vid. Blondell. præf. in Apolog. p. 5. 8. 33. 38. &c: Confer *Salmaſ. in Apparat.* paſſim.

X. Sed gliſcente indies longius a veteri more abeundi deſiderio, ſenſim contracta fuit primæva Libertas, non ejus abolendæ, ſed curandi cauſa, ne in vagam Licentiam degeneraret. Et Epiſcopi Clero univerſo præponi, Presbyteri totius Eccleſiæ Decreto ſubdi cœperunt: Quanquam interea communes utrorumque functiones eſſent, nec hi, quæ antiquo jure poterant ſine Epiſcopi autoritate aggrediebantur propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo ſalva pax erat, *Tertull. de Baptiſm. c. VII.* Nec ille in Rebus omnium conſilium & ſententiam ſpectantibus præjudicare, aut ſoli ſibi eam communem vindicare, aut ſe ſolum judicem dare aut ſine Presbyterii conſilio privata ſententia quicquam gerere audebat, ſed apud omnes cauſam dicturos temeritatis ſuæ, quotquot ab officio deſcendebant, proteſtabatur & de eis, quæ vel geſta erant, vel gerenda, ſicut honor mutuus expoſcebat, in commune tractabat. *Cyprian. Epiſt. XIIX. Item XXIIX. & VI.* Procedente dehinc tempore late ſtragem fecit Presbyterorum omnium Status, ſublata Collegas Ordinandi, Neophytos confirmandi, pœnitentes reconciliandi, virgines velandi, Baſilicas conſecrandi facultate. Iterum *Blondell. p. 39.* Sicque tandem plenior Hierarchia emerſit, primum confirmata Canone Concilii Nicæni ſexto in cauſa Meletii Epiſcopi Lycopolytani in Thebaide Ægypti, qui Petro Alexandrino Patriarchæ reſtiterat: *Antiqui mores obtineant, ut qui ſunt in Ægypto, Libya & Pentapoli, Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quoniam illa eſt Romano Epiſcopo conſuetudo. Similiter autem & in Antiochia & in aliis Provinciis Privilegia ſerventur Eccleſiis. Illud autem omnino manifeſtum eſt, quod ſi quis præter ſententiam Metropolitani factus ſit Epiſcopus, hunc Magna Synodus ſtatuit, non oportere Epiſcopum eſſe.* Et Canone VII. *Quoniam conſuetudo obtinuit & antiqua traditio, ut Æliæ Epiſcopus honoraretur, habeat ordinem honoris, Metropolis propria Dignitate ſervata.* Quæ enim cauſa Epiſcopos ſupra Presbyteros evexit, eadem ſupra Epiſcopos unum quoque primum conſtituit, adeo ut quemadmodum in Civitate ſupra Presbyteros Epiſcopus, ita ſupra plurium Civitatum in una Provincia Epiſcopos Metropolitanus vel Archi-Epiſcopus eſſet, ratione habita Civitatum earumque Dignitatis in formandis Epiſcopis & Archi-Epiſcopis in Provinciæ Metropoli. *Hoornbeck. Summ. Controv. L. XI. p. 843.*

CAPUT II.

Poteſtas S. ordinis in Statu Hierarchico: Epiſcopi Angliæ ſunt Proceres Spirituales, Galliæ Conſiliarii Regii, Poloniæ Senatores Regni, Germaniæ Principes Imperii, Antiquæ dignitates Status Eccleſiaſtici: Reditus Cleri in Gallia, Rep. Venetorum, Hiſpania, Anglia, Paupertas Clericorum in Hiſpania: Bona Secularia Sacri Ordinis, Tituli Seculares ejusdem: An e re ſit Sacrum Ordinem tam opimis reditibus locupletari? Titulus Reverendi, admodum Reverendi, Reverendiſſimi, Sanctiſſimi, Beatiſſimi, Exceſſus Titulorum in Sacro Ordine, Humilitas eorundem: Titulus Divina Providentia, Cur Epiſcopi Catbolici ſcribantur DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia.

I.

Circa Poteſtatem ſeu Jura Hierarcharum antiquiſſima eſt Diſtinctio, quod alia Epiſcopos concernant jure ordinis, alia Lege Diœceſana, & iterum alia Lege Jurisdictionis. *V.C. Conquerente XVI. & C. Dilectus 18. de offic. ordin.* Poteſtas Jure Ordinis niſa, vel interna complectitur, ut prædicationem Verbi divini, Adminiſtrationem Sacramentorum, Ordinationem Clericorum, & quæ præterea Epiſcoporum propria dicunt, ut conficere Chriſma, conſecrare ædes Sacras & altaria, benedicere Abbatibus, Abbatiſſis, Sacris Virginibus, tradere Spiritum Sanctum converſis Hæreticis &c. Vel ad effectus externos dirigitur, quod fit per Poteſtatem Clavium, h. Jus communicandi & reconciliandi peccatores. *Lex Diœceſana*, a Διοίκησις, *Adminiſtratio ſeu Diſpenſatio dicta*, complectitur omnia, quæ ratione perſonarum & & Bonorum Eccleſiaſticorum per Diſtrictum ſuum incumbunt Epiſcopo: Qualia *viſitatio*, h. Inquiſitio in doctrinam & vitam Inferiorum Eccleſiæ Miniſtrorum & Bonorum Eccleſiaſticorum Adminiſtrationem, *Poteſtas Concilia & Synodos cogendi, Jus Synodaticum ſeu Cathedraticum percipiendi, Cura atque adminiſtratio Academiarum & Scholarum Inferiorum, Jus Conſtitutiones Eccleſiaſticas ferendi &c.* *Jurisdictionem* Epiſcopus exercet in totum Clerum Inferiorem ejusque cauſas tam Eccleſiaſticas quam Civiles, item Laicos ratione cauſarum Eccleſiaſticarum, ut poteſtatis abſolvendi a Juramento illegitime extorto, diſpenſationis circa gradus prohibitos, cæterarumque cauſarum matrimonialium, Divortii &c.

H. Po-

Digitized by Google

II. Poteſtati huic in cumulum accedunt variæ Dignitates, quibus Sacer ordo, in pleriſque orbis partibus cohoneſtatus eſt. Sic in Imperio noſtro & Regnis Angliæ, Suediæ, Daniæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Poloniæ, Hungariæ peculiarem Statum & ordinem Regni conſtituunt, unde etiam Angli Titulo Eccleſiaſticorum Procerum, *The Spiritual Lords*, afficiuntur: Quamadmodum in Receſſibus Parliamentariis crebram mentionem videre eſt, *of the Lords Spiritual and Temporal*, h. Eccleſiaſticorum & Secularium. In Gallia inter Ordines primum locum obtinent, feruntque ſimul Archi-Epiſcopi & Epiſcopi Titulum Conſiliariorum Regis ſine reali ſeſſione tamen & voto, niſi ad placitum Regis. *Sprenger. Font. J. P. c. IV. p. 51. Ils prenent tous la Qualité des Conſeillers du Roy en ſes Conſeils d' Eſtat & privé, quoi qu' ils n' ayent point droit de ſeance, & q' ils ne ſoient appellez que par commiſſion expreſſe. L' Eſtat de la France L. II. c. 1. p. 453.* Aliqui eorum inſuper ſunt Pares Franciæ, quos recenſuimus *Diſſ. V. c. 1. §. V.* Quanti præterea fiant, diſcere eſt ex *Mercur. Franc. ad Annum MDCXXXV. p. 997. 998.* ubi Ludovicus XIII. eos honorificentiſſime compellat, communicatoque belli contra Hiſpanum propoſito, ut apud DEUM pro ſe intercedant, rogat. Et quod majus eſt, in ambobus hiſce Regnis ordo hic pro fundamento Status Regii colitur. *Les plus Sagis ont tousjours recognu ceſt orde pour le fondement de ceſte Monarchie*, inquit de Gallis ſuis *Mercur. Franc. ante cit. l. p. 1007.* Et in Anglia loco proverbii eſt: *No Biſchop no King.* Epiſcopi ſi abſint, etiam Regem abfuturum: Cujus ratio ex præced. §. VI. petenda erit. In Hiſpania itidem ſunt membra ſecretioris Conſilii & in Polonia Senatores Regni. In Germania noſtra eandem ob cauſam duplicem perſonam ſuſtinent, Epiſcopi & Principes Imperii, ob feuda & alia Regalia, quæ ab Imperio habent, quodque jure ſedendi ac ſuffragandi in Comitiis valeant, quo nomine etiam Imperatori ſubditi cenſentur. Vid. hac de re J. Publ. Scriptores paſſim. Simileque de priſco Danorum Rege Canuto jam olim prodidit *Saxo Grammaticus Hiſt. Dan. L. XI. Sacerdotia gerentes gratiæ nutrimentis proſequebatur: Cumque ab inerti & rudi populo parum juſtam Pontificibus vere rationem haberi conſpiceret, ne tanti nominis potiores inter privatos relinqueret, decretæ circumſpectionis induſtria Principum eis conſortionem indulſit, eisque primum inter Proceres locum perinde ac Ducibus aſſignavit, authoritatem honore concilians. Providit enim*

ne

ne tanti officii pondus æquo minor veneratio caperet, inque Summa Religionis arce poſiti infima cultus conditione vileſcerent. Ap. Baron. *T. XI. ad An. M LXXXI.* Et de Rep. Hebræorum ſcribit *Cunæus*, Sacerdotes Levitasque fuiſſe partem quandam magni Concilii Sanhedrin; Et negocia Regia atque Civilia publice Levitis commiſſa fuiſſe, *de Rep. Hebr. L. I. c. IX.*

III. Dignitatibus adjecti reditus & illi quidem ſatis opimi. Nam quia Dignitate tanta ſunt, neceſſum quoque eſt, ut habeant unde vitam conditione ſua dignam exhibere queant. Ita de Gallia *Lanſius: Pietas Gallorum Charitatem reddidit fertiliſſimam: Ordo Eccleſiaſticus ad tantas ibi pervenit divitias, ut Lanovii Calculo hodie in reditibus annuis poſſideat ducenta centena millia Librarum: Equidem cum Caroli IX. Regis juſſu cenſus ageretur Bonorum Eccleſiaſticorum in Gallia, quater millies Seſtertium annui reditus in cenſum relatum eſt, extra pecuniam & gratuitas oblationes, & illud parce ac tenuiter, ne ex vero cenſu invidia aut periculum ordini crearetur. Nam Alemannus rationum publicarum Prætor Joh. Bodino curioſius omnia conquirenti narrabat, duos* fere trientes agri Gallici ad Sacrum Ordinem poſſeſſione vel Dominio pertinere. *Orat. pro Gall. p. 155.* Confer *Cabinet du Roy* ſuperiori ſeculo accommodatum, ubi inter alia *p. 3. Le baiſemain* (h. ſportulæ ſacræ) *de l' Egliſe Gallicane vault encore chacun an plus de cent millions d' Escus.* Et ſolis Reformatis CXXXXM. Libræ ab Henrico IV. Anno MDXCIIX. aſſignatæ fuerunt, quam tamen ſummam longe minorem eſſe, quam ut omnibus alendis ſufficere poſſet, queſti ſunt Deputati eorum ap. *Contin. Thuan. L. IV. ad Annum M DC XI. f. 171.* Quo majora adhuc ſunt, quæ conſignavit Autor *de l' Eſtat de la France P. II. c. I. que le revenu de l' Eſtat Eccleſiaſtique monte apres de trois cens vingts millions des Livres.* De reditibus Cleri Hiſpanici item Regnorum Portugalliæ & Algarbiorum V. *Damian. a Goes Hiſpan. p. 619.* ubi inter alia refert, Archi-Epiſcopum Toletanum annuo reditu plus minus CLM Aureorum Ducatorum numerare. Et Reip. Venetæ Clerici quotannis CLM. myriades percipiunt *Relat. Seren. Reipubl. Venet. Paulo V. Papæ oppoſ.* In Polonia etiam non ſine divitiis ſunt; iisque Epiſcopi Cracovienſis & Plocenſis cumprimis excellunt. Confer *Sprenger. Font. J. P. p. 52.* In Anglia Cantuarienſis, *of Canterbury*, & Wintonienſis, *of Winchester*, pinguiſſimos Annuos proventus habent, & eos quidem ordi-

narios,

narios, quos vocant *the old Rets*; ſumma VIIIM. Librarum Eſterlingarum,cum extraordinariis v.XXVM. & amplius ejusmodi librarum h. plusquam CM. noſtrorum Imperialium; Eboracenſis IVM. Libras numerat, ſicq; cæteri etiam non multo minora habent. Solorum recentium tenuior eſt conditio,quos Henricus IIX. poſt deſtructionem Monaſteriorum evexerat, Oxonienſis, Peterburgenſis, Ciceſtrienſis, Gloceſtrienſis, Briſtolienſis: veluti Oxonienſis DCC. admodum Libras numerat, & Briſtolienſis,qui tenuiſſima omnium ſorte eſt, tantum circiter quadragintas & quinquaginta. Sicq; olim etiam communiter parcius vivere oportuit, re ſatis nota, cujusq; hoc unum Exemplum de inopia priſcorum Hiſpanorum allegabimus: Legione in Templo Maximo ob anguſtiam rei familiaris Templi miniſtros nudos inceſſiſſe (tam rude ſeculum, inquit Autor, tanta rerum neceſſariarum inopia inter Hiſpanos erat) Regem Ferdinandum M. vero cum id vidiſſet, annuos reditus ad comparandos Calceos deſignaſſe. *Marian. L.IX. Hiſtor. Hiſpan. c. VI.*

IV. Præterea & bonorum Secularium una cum ſeculari poteſtate Largitiones ipſis conceſſæ, quod in Germania & Gallia jam a temporibus Pipini Caroli M. & Ludovici Pii factum. In Polonia Cracovienſis Epiſcopus Rege Boleslao Ducalem nactus eſt Titulum & cum Dignitate Poteſtatem. *Cromer. Hiſtor. L. 5. & 9.* In Hungariæ Regno Archi-Epiſcopus, Epiſcopi & Abbates in ditionibus ſuis omni Jurisdictione ſeculari inſtar Baronum Regni fruuntur, unde & decretis Ladislai poſthumi ſancitum,ut Sacer Ordo de Bonis temporalibus æque ac cæteri Barones Regni Juramentum fidelitatis & obedientiæ præſtare tenerentur. *Decret. Ladislai Anno MCCCCLIII. art. C.* Quod etiam in Gallia obſervatur ubi unicuique Epiſcopatui quatuor Feuda Nobilia cum Titulo Baronatuum adjecta ſunt, eorumque nomine Epiſcopus Juramento Regi obſtringit. *Favyn Theatre d' Honneur L. 11. c. ult.* Accenſet tenorem ejus *Autor de l' Eſtat de La Franc. L. 1. c. IIX. p. 50. Je jure le tres ſaint & ſacre Nom de Dieu, SIRE, & promets a Voſtre Majeſté, que je luy ſeray, tant que je vivray, fidele ſujet & Serviteur, & que je procureray ſon Service & le Bien de ſon Eſtat de tout mon pouvoir, que je ne me trouveray en aucun Conſeil, deſſein ny entrepriſe au prejudice d' eux: Et s' il en vient quelque choſe a ma connoiſſance, je le feray ſcavoir a Voſtre Majeſté. Ainſi me Soit Dieu en aide & ſes ſaintes Evangiles.* Similiter Epiſcopos Angliæ

Tt bona

bona ſua per modum Baroniæ a Rege accipere, & ob id prærogativam præ ſecularibus Proceribus mereri monuimus *præced. Diſſert. X. c. II. §. III.* Unde etiam complures Titulos mere ſeculares gerunt: veluti in Gallia e Paribus Eccleſiaſticis tres ſe Duces, reliqui tres Comites ſe ſcribunt: Ut Archi-Epiſcopus & Dux Remenſis primusque Par Franciæ V. *Diſſert. VII. c. I.* §. *V.* Et in Imperio noſtro Epiſcopus Argentoratenſis inſcribitur *Landgravius Holſatiæ*, Epiſcopus Herbipolitanus *Dux Franconiæ*; Quem Titulum tamen Marchiones Brandenburgenſes ei non tribuunt: Epiſcopus Conſtantienſis *Baro Reichenavienſis*, Epiſcopus Monaſterienſis *Burggravius Strombergenſis*, Archi-Epiſcopus Cameracenſis *Dux Cameracenſis & Comes Cameraceſii S. R. I. Princeps.* Spreng. F. J. P. c. IV. p. 52. In Hiſpania tamen temporali & territoriali Superioritate & Jurisdictione in ſubditos Epiſcopi carent: Unde mirum non eſt, ſi Comes d' Ognati Philippi IV. ad Imperatorem Legatus in Comitiis Ratisbonenſibus de Anno M DC XXX. hanc Poteſtatem Epiſcopis-Principibus Germaniæ noſtræ inviderit, conqueſtus Epiſcoporum Imperii togas æquo longiores eſſe, ideoque Politicis artibus debere præcidi: compoſiturus quippe ad naturam gentis ſuæ noſtram Germaniam. Et in Italia, licet aliquando Sereniſſimi Titulo gaudeant, tamen Civitates & oppida non habent, paucis Abbatibus in Regno Neapolitano exceptis. Plura ad hanc rem facientia V. in *Müller. Archolog. Ord. Imper. c. XVI.*

V. Num e re fuerit, vel hodienum ſit, Sacrum Ordinem tam opimis reditibus locupletari, ſolicite quærunt & queruntur Politici Rerum Eccleſiaſticarum Cenſores? R. Sacrum Ordinem tenaciter haberi non poſſe, ne ipſe timide gelideque ſuo fungatur Miniſterio: Neque enim expectari poſſunt hodie in Cœleſti militia vel Manna e Cœlo, vel Coturnices e vento, vel Panis ſubcineritius & Aqua ab apponente Angelo, inquit *Joh. Prideaux de Decimis p. 92.* Ideo & Hiskias Rex Populum juſſit dare portionem Sacerdotum & Levitarum, ut confirmarent ſe in Lege DEI exequenda I. Chron. XXI. IV. Amplitudo autem ſi juſto major videatur cogitandum erit. 1. Donationes ejusmodi factas, ut eſſent incentivum ſuſcipiendi Sacri Ordinis, idque pro conſervanda & amplificanda Religione, parte non minus neceſſaria in Republica, quam Leges, Judicia &c. Cum Paci internæ Reip. æque conducat Sacram de DEO & rebus divinis doctrinam &

opi-

opinionem foveri, quam LL. Civilibus Meum & Tuum dignoſci; Etiam ſi propoſitis opimis præmiis Rerum Politicarum amantes ad Civilia munera recte alliciuntur, quidni iisdem & rerum Theologicarumcupidos ad Sacra Miniſteria allici juvet? Neque enim Chriſti iſtud: *Vos autem non ſic*, alio directum videtur, quam ut Apoſtolis ſuis opinionem de Regno Terreſtri, quod ipſe erecturus eſſet, excuteret, vel prærogativæ contentiones, quæ tunc inter illos alebantur, dirimeret. Vid. Loca *Luc. XXII. Marc. X. Matth. XX.* Ne quid dicamus *de Didaci Stellæ* Gloſſa: *Vos autem non ſic*, i. e. multo magis dominabimini. II. Donationes iſtas non tam amplas fuiſſe, quam indefeſſa cura percipientium in tantam amplitudinem evectas, eoq; tantummodo diteſcendi occaſionem, non autem ipſas adeo divitias attuliſſe: Et Sacrum Ordinem munere frugi Patrisfamilias functum eſſe, dum Bonis ſemel patris & conſervandis & augendis ſtuduit, quod veluti in Politicis laudatur, ita huic etiam vitio non vertendum erit. Certe miratur *Baron. Ann. T. V. ad Annum CCCXCIIX. f. 63.* In Synodo Carthaginenſi V. in qua CCXIV. Epiſcopi congregati fuere, ſtatutum eſſe, *ut Clericus, quantumlibet Verbo DEI eruditus, artificio victum quærat:* Item: *Clericus victum & Veſtimentum ſibi artificio vel agricultura, absque officii duntaxat ſui detrimento præparet.* Item: *omnes Clerici, qui ad operandum validi ſunt, & artificiola & literas diſcant.* Nosque tantam Sanctorum Patrum humilitatem cum eo miramur; Sed inde colligimus, quia humilia ejusmodi negocia Clericis vitio haud dari ſolent, nec male interpretandum eſſe, ſi plurium etiam & meliorum ſatagant. Avaritiæ quidem communiter inſimulantur, & ſcatent hac re omnis generis libelli, boni, mali promiſcue, neque nos etiam diffitemur, ipſos in rem ſuam intentos eſſe; Sed fieri id putamus, non ut Divitiis, ſed prudentia ſua fruantur, qua illas congeſſerant, experti quippe jam tum, quousque prudentia ſua & ingenio procedere poſſint. Sic & qui literis operam dedere, non deſinunt ideo augere ſcientiam, ſpectaturi ita animi ſui ſui virtutem in ſcientia tanquam in ſpeculo. Et in univerſum omnes inſtitutum, quod elegimus, indies magis excolimus, quantum poſſumus, ipſam hanc ob cauſam, quia magis profecimus, more earum rerum, quæ ſua natura, quo longius, eo velocius ſemper feruntur. Adhæc ea univerſalis generis humani conditio eſt, nunquam appetitu aliquo ſatiari, ſed acquiſita re una ad aliam

Digitized by Google

ſemper tendere, tanquam fulcrum rei antegreſſæ futurum, quæque ſimul novum perfectionis augmentum additura ſit. Cur ergo Sacer ordo non etiam perfectionem ſui anquirat? III. Reditus iſti non profunduntur, ſed manent intra Rempubl. cui etiam non ſemel inde ingentia accreverunt commoda. Hinc Angliæ tam ſplendida Monumenta, Collegia, Bibliothecæ &c. accrevere a fundatoribus Clericis, qui opes ſuas melius impendere neſciebant, quam in Rempubl. quia a publico, quod habebant, acceperant. In Hiſpania olim Biblia Polyglotta Complutenſia, opus ingentium ſumptuum, Anno MDXV. prodiere, procurante Cardin. Franciſco Ximenio Archi-Epiſcopo Toletano, qui & ſumptibus ſuis Exercitum conſcripſit, quo Ferdinandus Catholicus Oranum in Africa cepit; Cujus utriusque rei rationem reddit *Thuanus Hiſtor. L. 1.* Factum eſſe ad immenſarum opum levandam invidiam. Si de Poteſtate Seculari ex bonis immobilibus nata porro quæratur, Reſpondemus cum I. P. Scriptoribus, eſſe Conſuetudini id dandum. Nec temere in dubium vocari debere, quod per tot ſecula a laudatiſſimis Principibus frequentatum fuit. *Muller. Archolog. Ord. Imper. c. XVI. §. VI.*

VI. Titulorum, qui Dignitati ipſorum maxime reſponderent, commodiſſimus hactenus extitit, *Reverendi* Titulus, & accedente gradu majori *Admodum Reverendi* item *Reverendiſſimi* in Prælatis, ob reverentiam Sacro Ordini debitam. Sunt enim *Legati DEI 2. Cor. V. XX. Oeconomi Myſteriorum DEI, 1. Cor. IV. 1.* V. quæ prolixe in laudem eorum congeſſerunt, *Stapleton. T. 1 p 547. & T. 11. p. 465. Beyerling. T. 111. p. 523. Zwinger T. 11 p. 3062.* Adde *Marc. Anton. de Dom. L. 111. c. 111. n. XXXI.* In Anglia, qui infra Epiſcopos ſunt, Doctores, Profeſſores, Decani ordinarie in ſolo Reverendi Titulo acquieſcunt, Epiſcopi vero deinde *the Right Reverend*, admodum Reverendi, Archi-Epiſcopi, *the moſt Reverend*, Reverendiſſimi ſalutantur: Et in abſtracto Titulo *Clementiæ* gaudent, *Mylords grace. Didocl. in Alt. Damaſc. c. II. n. VI.* In Hiſpania & Polonia Epiſcopi inſcribuntur *Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi.* Vid. de illis *Scripta Polonorum paſſim*; Et in Hiſpania præterea honorantur Titulo *Don, Domini*: Olim *Sanctiſſimi & Beatiſſimi* appellabantur, quo Titulo nunc ſolus fere Pontifex M. eminet. Sic Imperat. Juſtinianus: *Epiphanio* Sanctiſſimo & Beatiſſimo Archi-Epiſcopo Regiæ hujus Urbis

bis &c. *L. VII. C. de Summ. Trinit.* & *Nov. VII.* Et: *Mennæ* Sanctiſſimo *hujus* Regiæ *Urbis Archi-Epiſcopo* Nov. LVII. Item vere Sancti: Domine vere Sancte & *ſufficiende Frater. Hieron. ad Riparſ.* Ideo & *Lutherus* vovet *T. VI. Jen. f. 116.* Ich wolte/daß man die Jugend und Pöfel nicht allein gewehnet zu ſagen / würdiger Vater/ſondern auch heiliger Herr / heiliger Vater / Quanquam & Imperatorem *Sanctiſſimum* vocari videris *L. LXXXVII. §. ult. ff. de Legat. 2.* Sanctiſſimus & Nobiliſſimus Imperator. *L. III. ff. de Natal. reſtit.* Sæpe etiam in Exceſſus aliquos Titulis hisce Encomiaſticis itum fuit. Sic Proſper in Epiſt ad Auguſtinum, de reliquiis Pelagianæ Hæreſeos T. VII. Op. Auguſt. *Domino Beatiſſimo Papæ ineffabiliter mirabili, incomparabiliter honorando, Præſtantiſſimo Patrono Auguſtino Proſper.* Et Theodoretus Studita Alexandrinum Patriarcham vocat *Papam Beatiſſimum, Patrem Patrum, Lumen Luminum & verticem Apoſtolorum ap. M. Ant. de Dom. L. III. c. X. num. XXX. ex Baron. T. IX. Anno DCCCXVII. num. XXXI.* Quo reducimus verba Gregorii: *O veneranda Sacerdotum Dignitas, in quorum manibus veluti in utero Virginis Filius incarnatur &c.* Et inter recentes nomen Optimi, Maximi, Theandri, Θεογλώσσου, longe Eminentiſſimi, inter Theologos aliquando ſonantia: Sunt *Heroes Spiritus S.* inquit *Auguſt. Brunnius* Scriptor Theologicus nonnullius famæ in *Libell. Synopt. præf.* Sie ſeyn geiſtliche Sänger und Spielleute / die neben Chriſti Triumpfwagen her lacfeien. *Matthеſ. Hiſt. Chr. part. 11. fol. 109. Lit. A.* quæ & ſimilia non poſſumus ſine magnæ Hyperboles aut ἀκυρολογίας nota transmittere. Confer quæ ex antiquis hujusmodi collegit P. *L'Ancre L. VI. Diſc. 11. p. 425.* Fuit tamen, cum Tituli ejus generis etiam parcius adhiberentur, veluti Gregorius M. cum Eulogio Epiſcopo Alexandrino expoſtulaſſe legitur, quod eum ut Dominum fuiſſet allocutus *Epiſt XXX. L. VII. Ind. 1.* Archi Epiſcopi Bremenſes olim contenti fuere Compellatione: Gnädiger lieber Herr/Würdiger/Ehrwürdiger in GOtt Vater / *Aſſert. Libert. Reip. Brem. p. 108. 713. & ſqq.* Et Leudericum itidem Archi Epiſcopum Bremenſem tempore Ludovici Pii Annales Superbiæ notant, quod ſe nunc Cuſtodem, nunc paſtorem Bremenſis Gregis gloriaretur. Ubi *Cranzius: Vide Temporum ſimplicitatem, ait, quod non paterentur Paſtoris Vocabulum. Quid facerent, ſi noſtræ ætatis Epiſcopos inſonare audirent: Noſtra Gratia, Noſtra Pontificalis Dignitas, & reliqua his etiam glorioſiora: Metrop.*

trop. L. I. c. XXXII. Confer *B. Parent. mei Schediaſm. Philolog. p. 33. 34.*

VII. Titulum cum Secularibus Proceribus communem habent, *DEI gratia*, ſeu *Divina providentia*, quo Pontifex M. fere uti ſolet: *Pius Divina Providentia Papa IV. Innocentius Divina Providentia Papa X. Alexander Divina Providentia Papa VII. &ſſ.* V. Bullas & Brevia Pontificum paſſim: Cui deinde Archi-Epiſcopi & Epiſcopi Catholici Gratiam Sedis Apoſtolicæ adjiciunt: *Ego Fabius DEI Sacræ Sedis Gratia: Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Dnus N. DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus &c.* Cujus rationem reddimus, quia Autoritate Pontificis M. tanquam ſupremi in Republ. Eccleſiæ Catholicæ Monarchæ perſonam ſuam gerere cenſentur, eoque merito per Gratiam Sedis Apoſtolicæ ſe promotos agnoſcere poſſunt. An vero τὸ *DEI Gratia* æque quadret, dubitari poſſit, quia a ſuperiori præter DEUM dependent: ſuperior enim ille ſeu Rex, ſeu alius, quicunque Summam Poteſtatem habet, demum ab autoritate Divina dependet, ſeu juris Divini eſt. Regum ergo & ſummorum Imperantium ſolorum fuerit in Titulis habere, DEI Gratia Rex, Princeps &c. Sacri Ordinis eſt per Gratiam Regis, Principis, Pontificis, Archi-Epiſcopus, Epiſcopus &c. V. *Hobbes Leviathan c. XLII. p. 265.* Cætera quæ ad Illuſtrationem hujus Tituli faciunt, prolixe expoſuimus *L. I. Diſſ. I. c. III. §. III. IV. V.*

IIX. Ultimo loco de Titulis inanibus ſacri ordinis tria Verba facienda ſunt: Veluti enim Eccleſiaſticum Regimen ad normam regendarum rerum Civilium inſtitutum eſt, ita, cum in Statu Civili aliquando vacui Tituli reperiantur, quales Reges Cypri, Hieruſalem, Ducis Athenarum &ſſ. in L. I. Diſſert. III. paſſim prodidimus, mirum non eſt, ſi Sacer ordo hæc etiam imitatus fuerit. Sic enim hodienum Patriarchæ, Archi-Epiſcopi, Epiſcopi Orientis, ut Alexandriæ, Antiochiæ, Corinthi, Joppæ, Smyrnæ, Calchedonis e Throno Romano egrediuntur, perſoniſque Catholicis ſuæ jurisdictionis affiguntur, licet interea illi nullam Jurisdictionem in loca talia ſeu Temporalem ſeu Spiritualem aut habeant, aut affectare etiam audeant, obſtante Imperio Turcico & Orientalium proprias tales perſonas ſibi conſtituentium pertinaci ab Eccleſia Romana diſſenſu. Similiter in Boruſſia Epiſcopus Culmenſis inſcribitur Epiſcopus Pomaſaniæ & Epiſcopus Varmienſis ſimul Epiſcopus Sambienſis (von

Sam-

Samland) cum tamen & Sambiæ & Pomaſaniæ tractus ad Sereniſſimum Electorem Brandenburgicum pertineant. Neque multum diſcrepare videntur ejusmodi Epiſcopatus ab Epiſcopis ſine Titulo, quorum mentio fit *Diſt. LXX. c. II.* Quo pertinet Theodorus Epiſcopus, Photii Cliens, qui cum Epiſcopatu careret per ludibrium vocatus fuit *Epiſcopus Aphantopoleos*, h. Civitatis Inviſibilis. *Baron. T. X. Ann. ad Annum DCCCLXXIIX. f. 546.*

DISSERTATIO XIII.

DE

PONTIFICIBUS MAXIMIS.

CAPUT I.

Directorium Autorum Hiſtoriæ Pontificalis, Vetus Liber Pontificalis an ſit Anaſtaſii? Initium Tituli Pontificis Maximi, Origo Vocis Papæ Nomen, ejus uſus, Germanorum Pfaffe: *Primatus Ordinis aſſignatus Pontifici Romano: Primatus Poteſtatis Eccleſiaſticæ ab eodem quæſitus: Poteſtas Temporalis ipſius exercita in Imperatores Germaniæ, Reges Galliæ, Angliæ &c. Alia Poteſtatis Temporalis Indicia, Generalis obſervatio de ea; Origo & progreſſus poteſtatis Pontificum in Ditionibus Italiæ ipſis ſubjectis: Donatio Conſtantini M. Tituli Pontificales.*

I.

IN ſerie Dignitatum Sacrarum exponenda prima eſt Dignitas PONTIFICIS MAXIMI: Quam antequam tractemus pro Hiſtoriæ PONTIFICALIS noticia indicamus *Martini Poloni Chronologiam*, quo deſinit in Clemente IV. An. MCCLXIIX. *Baptiſtæ Platinæ Hiſtoriam de vitis Pontificum Romanorum* usque ad Paulum II. & A. MCCCCLXIV. cum *ſupplemento Pontificum Onuphrii Panvinii: Johannem Stellam de Vitis Pontificum*, usque ad Julium II. ad Annum MDIII. *Onuphrium Panvinium Epitome Pontificum Romanorum* usque ad Paulum IV. *Papyrium Maſſonum Libris ſex de Epiſcopis Urbis*, qui Romanam Eccleſiam rexerunt rebusq; geſtis eorum. *Hiſtor. Pontifical.* Hiſpanice T. I. ab initio Pontificum ad Benedictum XI. T. II. a Clemente V. ad Gregorium XIII. ſcriptus a *Goncalo de Illeſcas. T. III.*

a Gre-

a Gregorio XIII. ad Innocentium IX. ſcriptus a *Ludovico de Bavia.* T. IV. de Clemente IIX. Leone XI. & Paulo V. a *Marco de Guadalajara.* *Vitam & Res geſtas Pontificum Romanorum* & S. R. E. Cardinalium ab initio naſcentis Eccleſiæ usque ad Urbanum IIX. Autoribus M. *Alphonſo Ciaconio*, *Franciſco Cabrera*, *Andrea Victorello* recenſet, ab *Hier. Alexandro JC. Rom. M DC XXX.* Add. Laërtii Cherubini JC. Romani Bullarium Romanum, quo præter Bullas & Conſtitutiones Pontificum eorum Vitæ & Icones exhibentur. Eodem faciunt Conciliorum & ſummæ ex iis excerptæ Editores, quorum plerique res geſtas Pontificum ſimul exhibent, ut *Bartholom. Carranza Summa Conciliorum & Pontificum Lugd. MDC.* Franciſc. Longus *Breviario Chronologico Pontificum & Conciliorum Lugd. M DC XXIII.* Item Conciliorum ipſorum Editiones Biniana & Regia. Alios Bibliothecarum Scriptores dabunt. De *Veteri Libro Pontificali* Moguntini judicant Autorem eſſe *Anaſtaſium Bibliothecarium in Edit. A. M DC II.* Idem facit *Bellarminus A. M DC XIII.* isque etiam comparet in *Corp. Hiſtor. Byzant. T. IIX.* Sed hunc Autorem non eſſe, in eo liquido claret, quod Anaſtaſius vixerit ſeu inclaruerit circa A. DCCCLXXVI. & amplius, ipſiſſima vero Scripti illius verba jam exſcripſerunt Walafridus A. DCCCXLIX. & antequam Anaſtaſius inclareſceret, denatus, L. de Reb. Eccleſ. Capit. XX. XXI. XXII. XXIII. &c. Amalarius circa Annum DCCCXXXV. e vivis ſublatus de Eccleſ. Offic. L. I. c. XXVII. L. II. c. XXVI. &c. Alcuinus An. DCCIV. mortuus L. de Eccleſ. Offic. nomini ejus inſcripto c. VII. XXXII. Iſidorus Hiſpalenſis defunctus Anno DCXXXVI. Epiſtola ad Redemptum Diaconum, & alii, quos citat *Blondell. præf. in Apolog. p. 26. 27.* Sed addit, potuiſſe huic antiquiſſimo licet rudi manu ſcripto opuſculo varios varia ſuo tempore attexere, idq; poſtremo omnium ab Anaſtaſio interpolari. Veriſimile etiam eſſe ejus temeritati deberi, quæcunq; in eo a veritate aliena Moguntini Editores jure accuſaverint. Primum priſcorum Urbis Paparum Catalogum Irenæo Lugdunenſium Epiſcopo deberi idem docet *p. 25.*

II. Titulus PONTIFICIS MAXIMI jam inter priſcos Romanos receptus, ac Principi Sacerdotum tributus fuit, de quo videantur Antiquitatum Romanarum Scriptores. Inde ad Imperatores tranſiit, tanquam ſupremos Rerum Sacrarum pariter ac Civilium Arbitros, ſeu διὰ τὸ τῆς ἀξίας ὑπερέχον, propter Dignitatis excel-

excellentiam, ut ratiocinatur *Zoſimus in Gratian. & Theodoſ. pag. 761.* Καὶ ἔτυχε τούτου, inquit porro, Νουμᾶς Πομπίλιος πρῶτος, καὶ πάντες ἑξῆς, οἵτε λεγόμενοι Ῥῆγες. καὶ μετ' ἐκείνους Ὀκταβιανός τε αὐτὸς, καὶ οἱ μετ' ἐκεῖνον τὴν Ῥωμαίων διαδεξάμενοι μοναρχίαν. Ἅμα γὰρ τῷ παραλαβεῖν ἕκαστον τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν, καὶ ἱερατικὴ στολὴ παρὰ τῶν Ποντιφίκων αὐτῷ προσεφέρετο καὶ παραχρῆμα Ποντίφιξ Μάξιμος ἀνεγράφετο ὅπερ ἐστιν, Ἀρχιερεὺς Μέγιστος. *Primus Numa Pompilius hunc bonorem adeptus eſt, omnesque deinde, qui Reges appellati ſunt, ac poſt illos Octavianus ipſe, quique poſt eum in Romano Imperio ſucceſſerunt. Simul enim atque Summum Imperium quisque conſequebatur, amictus ei Sacerdotalis offerebatur a Pontificibus & continuo Pontificis Maximi Titulus ei tribuebatur.* Unde Heliogabalus cum Aquiliam Severam Summam Sacerdotem Veſtalem ſibi matrimonio junctum iret, cauſatus eſt, id fieri, ut ex ipſo Summo Pontifice & ipſa Summa Pontifice divini Liberi gignerentur; Ἵνα δὴ καὶ θεοπρεπεῖς παῖδες ἔκ τε ἐμοῦ τοῦ Ἀρχιερέως, ἔκ τε ταύτης τῆς Ἀρχιερείας γεννῶνται. *Xiphilin. in Avito ſeu Heliogabalo. p. 445.* Et ipſos Imperatores Chriſtianos non puduit hujus Tituli, cujus rei rationem reddidimus *Libr. 1. Diſſ. I. c. IV. §. V. & Diſſ. II. c. I. §. VII.* Hinc vero colligunt noſtri, Papam non potuiſſe Titulum Pontificis M. ſibi arrogare, quia adjunctus Imperatoriæ Dignitati fuerit. V. Morn. *Myſter. Iniq. p. 50.* Origo e Ponte petita, eoque feſtive alluſit Autor Satyrici nonnullius, *Videns Propheta in Ecſtaſi*, amoliturus ſpem Sereniſſimæ Principis Religionem Catholicam in patriis Regnis disſeminandi:

Si mare Balthicum non admittit Pontes,
Forte nec Pontifices.

Rationem Nominis iterum a *Zoſimo* accipimus, tanquam Viro rerum ſuarum peritiſſimo, & in quo veluti ultimus conatus expirantis Gentiliſmi eluxit: Cum nec dum homines cultum, qui per imagines exhibetur, intelligerent, prima in Theſſalia Deorum Simulacra facta eſſe, quodque ne Sacraria quidem adhuc eſſent, imagines divinas in Penei fluminis ponte collocatas, indito illis vocabulo, qui Sacris præficerentur, ut a primo Simulacrorum poſitu Gephyræi ſeu Pontani dicerentur; Hoc a Græci Romanos accepiſſe, & eos qui in Collegiis Sacerdotum apud ipſos Principem locum obtinerent, Pontifices appellaſſe. Τῶν ἀνθρώπων οὐδέπω διὰ

τῶν ἀγαλμάτων ἐπιτεταμένων τιμὴν ἐν Θεσσαλίᾳ πρῶτον ἐδημιουργήθη θεῶν δείκηλα. Ἑδῶν δὲ οὐκ ὄντων (ἄγνωστος γὰρ ἦν καὶ τούτων ἡ χρεία) τὰ τῶν θεῶν ἐκτυπώματα τῇ κατὰ τὸν Πηνειὸν γεφύρᾳ καθίδρυσαν, τοὺς ἱερᾶσθαι τοῖς θεοῖς λαχόντας ἐκ τῆς πρώτης καθιδρύσεως Γεφυραίους ἐξονομάσαντες. Τοῦτο παραλαβόντες ἀφ' ἑλλήνων Ῥωμαῖοι, τοὺς πρώτην τὴν παρ' αὐτοῖς ἱερατικὴν ἔχοντας τάξιν, Ποντίφικας προσηγόρευσαν. Alia complura ejusmodi V. ap. *Martin. in Lexic.* & *B. Parentem meum Origg. LL. V. Pontifex.*

III. Ἰσοδύναμον Nomen eſt PAPÆ, a Syrorum *Abba*, h. Pater, Unde & *Pa. Pa.* per compendium aliquibus dictum videtur, quaſi *Pater Patrum.* Primusque inter Epiſcopos Romanos, quem nomine hoc uſum Conciliorum Editiones meminerint, fuit Hyginius *Epiſt. II.* Scripta ad Athenienſes: *Hyginius* Papa *Athenienſibus Salutem. V. T. I. Concil. Edit. Regiæ. f. 218.* Sed Nomen hoc Patriarcha Alexandrinus ſibi æque vendicat: Ideo & Alexandriæ *Papæ* nomen primo auditum tradit Eutychius in Annal. *Alexandrinis T. I. p. 332. Mortuo Demetrio ſuffectus eſt Heraclas Patriarcha Alexandrinus, qui Epiſcopos conſtituit viginti &c. Cum vero homines audirent Epiſcopos vocitare Patriarcham* Abba ſeu *Patrem, inter ſe dixere, Nos Epiſcopum quemlibet* Abba, *ſeu Patrem, appellamus; Et appellant Epiſcopi Patriarcham* Abba, *Unde ſane oportet, ut vocemus nos* Papam, i. Avum, *cum ſit Pater Patrum. Ita a tempore Heraclæ, Patriarcha Alexandrinus dictus eſt* Papa, *Avus*; ſicque adhuc ex præcedenti ſeculo proſtant literæ Joachimi Patriarchæ Alexandrini: Ὁμολογῶ ἐγὼ Ἰωακεὶμ, Παπᾶς καὶ Πατριάρχης τῆς μεγάλης πόλεως Ἀλεξανδρείας: *Fateor Ego Joachimus, Papa & Patriarcha magnæ Urbis Alexandrinæ* apud *Cruſ. Turcogræc. L. III. p. 229.* Aliquando vero etiam aliis inſignioribus Eccleſiæ Epiſcopis communicatum legitur. Vid. *Mornæum de Eccleſ. c. IX. p. 361. 362.* Unde & Germanicum noſtrum Pape/ aut Dialecto Franconica Pfaffe/ toti Clero olim tributum fuit, licet nunc in contemptus notam abierit, nempe ab origine iſta honeſtiſſima ductum, quod Pape dictus ſit, quaſi *Papa, Pater.*

IV. Reipſa ſignificari primam Sacri Ordinis in Eccleſia Dignitatem notum eſt, quemadmodum Muftii eſt prima Religioſa Dignitas in Muhammediſmo, Dairi in Gentiliſmo Japanenſium, Summi Sacerdotis in veteri Religione Judaica. Quid audem Primatu importetur, id non æqua interpretatione ab omnibus in Eccleſia receptum

ptum

ptum fuit. Primatum Ordinis nos agnoſcimus in *Conſtantinopolitano I. & Oecumenico II. Canone III.* quo in cauſa prærogativæ Patriarchæ Conſtantinopolitani primatus ipſi ita aſſertus fuit, ut loco tamen cederet Epiſcopo Romano, primusque poſt hunc demum collocaretur. Τὸν μὲν τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν Νέαν Ῥώμην. *Epiſcoporum Conſtantinopolis habere prærogativam Honoris poſt Epiſcopum Romanum, quia illa ſit Nova Roma.* Cui confirmando etiam primus in hoc Concilio ſubſcripſit Nectarius Patriarcha Conſtantinopolitanus, tum Timotheus Alexandrinus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Meletius Antiochenus. Idemque confirmatum fuit Decreto Concilii Calchedonenſis: *Omnem quidem Primatum & honorem præcipuum ſecundum Canones Antiquæ Romæ Deo amantiſſimo Archi-Epiſcopo conſervari: Oportere autem Sanctiſſimum Archi-Epiſcopum Regiæ Conſtantinopolis Novæ Romæ eisdem Primatus honoribus & ipſum dignum eſſe.* Ubi cum æqualis Poteſtas ἴσα πρεσβεῖα utrique tribuatur, Romanus tamen Conſtantinopolitano ordinis gratia præponitur. Poſtmodo acceſſit Synodus Trullana ſeu Quiniſexta Canone XXXVI. *Renovantes quæ a Sanctis CXL. Patribus, qui in hac DEI obſervatrice & Regia Urbe convenerunt, & DCXXX. qui Calchedone convenere, conſtituta ſunt, decernimus, ut Thronus Conſtantinopolitanus æqualia privilegia cum Antiquæ Romæ Throno habeat, & in Eccleſiaſticis, ut ille magni fiat, ut qui ſit ſecundus poſt illum; Poſt quem magnæ Alexandrinorum Civitatis numeratur Thronus &c.* Et Imperator *Novell. CXXVI. c. II. De Ordine ſedendi Patriarcharum: Sancimus ſecundum earum,* (quatuor Synodos univerſales intelligit) *definitiones ſanctiſſimum Senioris Romæ Papam primum eſſe omnium Sacerdotum: Beatiſſimum autem Archi-Epiſcopum Conſtantinopoleos Novæ Romæ ſecundum habere locum poſt Sanctam Apoſtolicam Senioris Romæ Sedem; Aliis autem omnibus Sedibus præponatur.* Unde & inter hodiernos Proteſtantes non pauci eodem inclinant, ut Melanchthon in Conſilio de pace Eccleſiæ Catholicæ ad Guilielm. Bellajum dat. MDXXXIV. *Concedunt noſtri Politiam Eccleſiaſticam rem licitam eſſe, quod videlicet ſunt aliqui Epiſcopi, qui præſunt pluribus Eccleſiis; Item quod Romanus Potifex præeſt omnibus Epiſcopis. Hanc Canonicam Politiam, ut ego exiſtimo, nemo imprudens improbat, neque improbare debet, ſi intra ſuos*

fines manet &c. In Goldaſt. *Polit. Imper. N. XXIIX. p. 1277.* Et Calixtus in Reſponſ. oppoſita Moguntinis in fine, ubi alloquitur Electorem Moguntinum: *Quod Primatum Ordinis ſeu Dignitatis & Jus humanum attinet, dudum profeſſi ſunt noſtri, poſſe Romano Pontifici propter Pacem & communem tranquillitatem Chriſtianorum, qui jam ſub ipſo ſunt, & inpoſterum ſub ipſo erunt, Superioritatem in Epiſcopos, quam alioqui habet Jure humano, etiam a nobis permitti, ſi Evangelium admiſerit, i. ſi patiatur nos credere, quod D. N. J. C. pro noſtra ſalute mortuus ſit &c.* Confer *Goldaſt. Conſtit. Impp. præfat. ad Imp. Matthiam, Et in præf. ad T. III. Monarchiæ S. R. Imperii:* Item qui alias in Pontificem M. ſatis iniquus eſt, *Salmaſ. Appar. de Primat. p. 172.* Quibus ſi rationes jungendæ ſunt tres haſce ex Guicciardino redderemus, I. Quæ toties nunc allegata fuit, Quod Romana Civitas ob ſuam antiquam Dignitatem tanquam reliquarum Caput & Princeps Imperii Nomen Majeſtatemq; retinebat. II. Quod illinc in bonam Europæ partem Religio Chriſtiana diffuſa erat. III. Quia Conſtantinus a Silveſtro ritu Chriſtiano aquis initiatus ejusmodi Autoritatem in eo atque in ejus ſucceſſoribus libenter agnoſcebat *L. IV. Hiſtor.* Quæ omnia ſi non ſine ſpecie probabilitatis ſunt, ideo tamen minus conſulta nobis videntur, quia perpetuus ille mos fuit Sedis Romanæ, ut acquiſitis nova addi voluerit. Primatu Ordinis ergo obtento facile gradum aliquem admovebit obtinendæ Poteſtati, quantilla etiam initio ſit, in Sacris, huicq; progreſſus cum tempore & deinde ſupremum iſtud faſtigium apud poſteros noſtros rurſus accedet, a quo ut dejiceretur, tantum ſanguinis impenderunt Majores noſtri.

V. Sed quod non tantum Primatum Ordinis, ſed etiam Jurisdictionem aliquam & Primatum Poteſtatis Pontifices maximi in cæteros Epiſcopos exercere vellent, non potuerunt non prolixis litibus implicari; Veluti jam in Veteri Eccleſia Patriarchæ Conſtantinopolitani hoc nomine cum ipſis controverſati fuerunt, qui æqualem ſibi Dignitatem vindicabant, Διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν Νέαν Ῥώμην, quia Conſtantinopolis Nova Roma erat *ante cit. Can. III. Concil. Conſtant.* Neq; enim tunc aliud fundamentum Primatus Eccleſiaſtici allegabatur, quam ſplendor Urbis, non ratio a Vicariatu Petri aut ſs. rebus petita. Conſtantinopolis autem Veteri Romæ æqualis habebatur *V. L. VI. C. de Sacroſ. Eccl. & C. de Privil. Urb. Conſtant.* Indeque totam diſſenſus inter Græcos & Latinos cauſam pependiſſe fatetur inter

inter ipſos Catholicos *Bellarmin. præf. ad Libr. de Rom. Pontifice: Primi, qui ſerio Primatum Romani Pontificis oppugnarunt, videntur fuiſſe Græci.* Similiterq; *Bzovius Annal. T. XVI. ad An. M CCCC XXXIIX.* initio, *quod Eccleſia Conſtantinopolitana Romanæ Sedis poteſtatem ſemper æmulata fuerit*; Et peculiari Libro id evicit Nilus Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis, de Cauſis Diſſenſionum Eccleſiaſticarum. Quæ quidem res poſt aliquot ſeculorum concertationes in apertum diſſidium erupit ſub Nicolao I. P. M. & Scriptis ſuis hodienum celeberrimo Photio Patriarcha Conſtantinopolitano circa A. DCCLXI. eo quod Photius inconſulto Nicolao a Michaele Imperatore Ignatio exautorato Patriarchæ ſurrogatus eſſet, ac præterea Conſtantinopolitani Bulgaricas Eccleſias ad ſe traherent, quia Græcis Sacerdotibus uterentur, cum Romani eas ſibi adjudicarent, quoniam a Sede ſua Doctores & Doctrinam petiiſſent. Ac tandem ſecuto Seculo XI. & Anno M LIII. admodum ad Anathemata itum fuit, Leone IX. Michaelem Cellarium Patriarcham Conſtant. & Leonem Archi-Epiſcopum Acridanum excommunicante ob cauſam priori plane ſimilem, quam legere eſt in Epiſt. VI. Leonis ad Michaelem iſtum data: *Credimus enim, propter quod & loquimur, atque conſtanter profitemur: Romana Eccleſia adeo non eſt ſola, vel ſicut Tu putas una, ut in toto Orbe Terrarum, quæcunque Natio diſſentit ſuperbe ab ea, non ſit jam dicenda vel habenda Eccleſia aliqua, ſed omnino nulla, quin potius Conciliabulum Hæreticorum aut Conventiculum Schiſmaticorum & Synagoga Satanæ. Nam nos cum pertinacibus & in errore ſuo permanentibus pacem aliquam habere non poſſumus. Ceſſent ergo hæreſes & Schiſmata & diligentibus Legem DEI, non erit ſcandalum, ſed pax multa. Quicunque gloriatur Chriſtiano nomine, ceſſet Romanam* Sanctam & Apoſtolicam Eccleſiam maledicere & laceſſere. Prolixiorem hujus rei enarrationem, atque ipſius Anathematis tenorem habes in *Hoornbeck Summ. Contr. L. XI. p. 898. & ſeq.* Sicque poſtmodo utrinque continuatum fuit, nec hodie deſiſtitur, veluti Orientales etiam nunc octava die poſt Paſcha in omnibus Eccleſiis quotannis & ſolenniter anathema promulgant verbis talibus: *Anathema, Anathema Apoſtaticæ Eccleſiæ Romanæ.* Eadem ſerra deinde a Waldenſibus, Huſſitis & noviter Proteſtantibus aſſumpta & hucusque cum Throno Romano reciprocata fuit, quæ res nemini ignota eſt. Videri poterunt Quæſtiones: *An Pontifex M. jure divino habeat ſupremam & Monarchicam Poteſta-*

tem ſupra omnes in toto Orbe Eccleſias & Eccleſiaſticos. An P. M. aut Epiſcopi habeant Vim coactivam, ut poſſint Leges condere in Conſcientia obligantes? An Papa in decidendis ac docendis rebus Fidei ſit infallibilis, nec poſſit errare? in Scriptis Eriſticis utriusque partis ventilatæ.

VI Quodque ne Eccleſiaſtica quidem Poteſtate contenti eſſent, ſed Temporalem inſuper in omnes Chriſtianiſmi & Orbis Politias quærerent, longe graviores contentiones ſuccrevere, non verbis tantum, ſed ferro & ſanguine excuſſæ, Pontificibus minus obſequioſos Principes Excommunicatione & mox armis terrentibus, Principibus contra pro Jure ſuo retinendo conſtanter reluctantibus, non tamen pari ſemper fortuna. Italiæ cauſa, quam Pontifices ſpecie Religionis videbantur ſibi ſubdituri eſſe, pro imperio noſtro Henricus IV. ſe oppoſuit Gregor. VII. & poſt eum Paſchali II. ſed infeliciter. Videantur Scripta Eriſtica *Goldaſti & Gretſeri* hanc ob cauſam edita: *Jac. Gretſeri Apologia pro Gregorio VII. Ed. cum Tom. II. Controv. Bellarm. MDCIX. S. Imperii Principum Apologia pro D. N. Imp. Henrico IV. Ed.* a Goldaſto *MDCXI. Vetera monumenta contra Schismaticos* Ed. a Sebaſt. Tengnagel. *cum J. Gretſeri gemina Defenſione adverſus Goldaſtum Ingolſt. MDCXII.* Adde Gerhoum Reicherſpergenſ. *Syntagmate de Henrico IV. & V. Impp. & Gregorio VII. nonnullisque conſequentibus Romanis Pontificibus.* Urſtiſii *Scriptorum Germaniæ Tomum &c.* Idem fecit Henricus V. Henrici IV. Filius, ſed itidem ſuccubuit. Et Fridericus I. ſeu Barbaroſſa; ſed quem Alexander III. tam indigne habuit, ut proſtratum pedibus calcaret, quod Venetiis factum, cum pacis ineundæ cauſa Imperator eo veniſſet: Quam Hiſtoriam tamen Baronius in dubium vocat, Sigonius præterit, Veneti Scriptores vero aſſerunt. *P. Juſtinian. L. II. Rer. Venet. Sabellic. L. VII. Dec. I. De Rebus Venet.* quibus utpote rem in patria ſua geſtam & quidem de Amico Reip. ſuæ, qualis erat Alexander, ſcribentibus non poſſumus fidem derogare. Alios, qui ex ipſis Catholicis id tradunt, vide magno numero in *Mornæi Myſter. Iniq. p. 721.* Otto IV. deinde & Fridericus II. ſurrexerunt, ſed quos Innocentius III. depreſſit. Poſt hos Ludovicus IV. ſeu Bavarus Johannem XXII. & Benedictum XII. inimiciſſimos habuit. V. pro Johanne *Alvarum Pelagium* Pœnitentiarium ipſius *Libris II. de Planctu Eccleſiæ pro Johanne XXII. P. M. contra Marſil. Patavium, Guilh. Ockamum,*

mum, *&c.* Pro Ludovico: *Marſilium de Menadrino*, *M. Henricum Chalenium Cancellarium Imperialem &c.* in Tom. III. Mon. S. R. I. Goldaſti, & poſt hos *Joh. Georg. Herwartum Cancellar. Bavariæ Libro: Ludovicus Imperator defenſus*, *Bzovius injuriarum poſtulatus &c.* Et *Nicolai Burgund. Conſil. Cæſar. & Bavar. Hiſtoriam Bavaricam ſeu Ludovici IV. Imp. Ingolſt. M DC XXXVI.* Dn. & Carolum V. in numerum venire oportuit, ſed tam feliciter, ut Roma occupata & Clemens VII. captivus redditus fuerit, in quem eapropter non inſulſe jocatus fuit, qui aſſeruit, nunc demum veritate comprobatum, *Pontificem M. non poſſe errare*, h. (non prava ratiocinia inſtituere,) ſed obambulare, aut egredi. Cæſar quidem cum direptæ Urbis & capti Pontificis nuncium accepiſſet, dolorem aliquem animi externis ſignis teſtatus fuit, juſſis etiam ceſſare ludis & ſpectaculis, quæ propter recens natum ei Filium d. XII. ejus menſis Valladoliti celebrabantur: *Sed Religionis pietatisque ſuæ*, addit P. Suavis, *multo majorem omnibus feciſſet fidem*, *ſi ſuis ſimul imperaſſet*, *ut Pontifex libertati reſtitueretur. Verum cum ille totos VI. Menſes ab eo tempore in Cuſtodia detentus fuerit*, *facile omnes perſpiciebant*, *quantum inter veritatem & fucum intereſſet.* Hiſt. Conc. Trid. L. 1. Docet etiam Cl. V. ὁ ςῦνα, Autor Tr. de Seditionibus, Carolum edi curaſſe Librum adverſus Technas Romanas, cui Titulus: *Somnium* Viridarii, qui etiam nunc legatur. Sed gravius hoc eſt παρόραμα, quam quod in Virum Rerum Germanicarum adeo peritum cadere debeat. *Somnium Viridarii* Antiquus Liber eſt, & materiam quidem continet, quam ille tradit, Caroli V. auſpiciis etiam editus, ſed Regis Galliæ, non Imperatoris, eoque totis fere CC. Annis hoc antiquior. Quod liquido claret in præfat. Libri, isque extat *T. 1. Mon. S. R. J. Goldaſt. p. 58.* Sed in viam revertimur: Neque alio ſpectaſſe putamus factum P. M. Innocentii X. dum Bulla ſua Pacem Germaniæ noſtræ abrogatum ivit: Alterius ſeu utriusque Pacis hujusmodi Articulos cæteraque in dictis inſtrumentis contenta, quæ Catholicæ Religioni, Sedi Apoſtolicæ, ac Ordini & Statui Eccleſiaſtico &c. quomodolibet officiunt, ipſo jure nulla, irrita, invalida, injuſta, damnata, reprobata, inania, viribusque & effectu vana omnino fuiſſe, eſſe, & in perpetuo fore, neminemque ad illorum & cujuslibes eorum, etiamſi juramento vallata ſint, obſervantiam teneri &c. Qui certe Anathematis fulmen addidiſſet, niſi Autoritatem Pontificiam nunc tantam, ut olim, in Germania non

eſſe

eſſe cogitaſſet, ideo in ſola hac contractione acquievit. Sed Bullam iſtam Notis ſuis caſtigarunt *Cl. V. Johann. Hoornbeck* in Belgio, & in Germania *Doctiſſ. Conring. Libris II. De Pace perpetua inter Imp. German. Ordines religione diſſidentes ſervanda.*

VII. Quid in Regno Galliæ actum ſit, brevi ſumma comprehendemus. Inter Reges Galliæ Philippus Bonifacium IIX. tam acerbum expertus fuit, ut non tantum excommunicatus fuerit ab eo, ſed & verba *Regnante Philippo* ex actis Publicis tolli, & loco eorum, Regnante *Jeſu Chriſto,* inſeri juſſerit, Regnum Galliæ Sedi Apoſtolicæ ita ſubjectum pronuncians. V. *Contin. Thuan. L. IV. ad Annum MDCXI.* ſed cui Comitia trium Ordinum conſtanter obſtitere, Summiq; Pontificis Legatum Archi-Diaconum Narbonenſem acerbe increparunt, mox ad Cardinales ſcripſerunt in hæc verba; *Nos Prælati, Abbates, Priores, Decani, Præpoſiti, Procuratores Capitulorum, Conventuum, Collegiorum, Univerſitatum, Urbium &c. Ab omni tempore dicitur Galliæ Regnum DEO uni ſubditum in Temporalibus, quod omnibus notum eſt &c.* Ludovicum XII. Julius II. proſcripſit, ſed qui inanes iſtas diras *contraria obnunciatione generoſe revicit, cuſo etiam aureo Numo, qui Titulos Regis Franciæ Regnique Neap. cum effigie ſua ex una parte & Inſignia Franciæ ex altera referebant, cum hoc Elogio:* Perdam Babylonis Nomen. *Thuan. L. I.* Et Sixtus V. Henricum IV. tunc Navarræ Regem & Principem Condæum excommunicavit, ſed qui Anno MDLXXV. Reclamationem ſuam affigi curarunt, cumque Gregorius XIV. ſimiles Conatus contra Regem Henricum & Miniſtros ejus foveret, ac tandem Excommunicationem per Nuncium Landrianum adderet, graviſſimo Arreſto Turonenſi & Catalonenſi correptus fuit, Bulla Carnifici comburenda tradita, Nuncio comprehenſio decreta, & ſ. quæ Vid. *in Bedæi Jure Regni. c. VI.* Nec unquam Galli iſtam Pontificis M. Poteſtatem Temporalem ferundo fuerunt, & Comitiis Generalibus Anno MDCXIV. ideo adhuc Communi Decreto ſancitum fuit: Quod Rex Galliæ unius DEI Beneficio regnet, quod neminem in Temporalibus agnoſcat &c. Quæ, quidq; ea propter inter Tertium Ordinem & Clerum actum ſit, V. ap. *Gramond. L. I. p. 62. & ſeqq.* Sicque etiam cum Alexander VII. P. M. Anno. MDCLXV. Cenſuras Sorbonæ in Librum Jac. de Vernant: *La defence de l'Authoritè de N. S. P. Le Pape, de Nos Seigneurs Les Cardinaux, &c.* Et in Librum Amadei Guimenii, *Opuſcula ſingula-*

gularia univerſæ fere Theologiæ Moralis &c. uti Præſumptuoſas, Temerarias atque ſcandaloſas Autoritate Apoſtolica Bulla Publica damnaſſet, eodem A. d. XXIII. Junii Arreſto Parliamentario juſſu Regis ſancitum fuit, ne quid Bullæ, Brevis aut ſimilis rei ex Aula Romana reciperetur, diſtraheretur, aut à Bibliopolis venderetur, niſi Rege prius in conſcientiam aſſumpto.

IIX. Non aliter Pius V. Anno M D LXX. cum Elizabetha Angliæ Regina egit, quam, prout verba Bullæ ſonant, ut omni *Regni jure, nec non omni & quocunque Domino, dignitate, privilegioque, privatam, item Proceres, ſubditos & Populos Regni ac cæteros omnes, qui illi quomodocunque juraverint, a juramento hujusmodi ac omnis prorſus Dominii fidelitatis & obſequii debito perpetuo abſolutos* vellet. Sed pleriq; Indigenæ pariter ac exteri vanum hunc fragorem ſpreverunt. Vid. *Camden. Ann. Eliz. ad d. A.* Sic antea etiam Alexander III. Henricum II. Angliæ Regem, Gregorius VII. Boleslaum Poloniæ Regem, alii alios excommunicaverunt & Poteſtate ſeculari privatum ivere; Suntque porro quæſitæ univerſalis Poteſtatis Temporalis indicia: Quod Curia Romana Acta alleget, quæ probent, Feuda Sedis Apoſtolicæ eſſe Regna Granatæ, Portugalliæ, Caſtellæ, Leonis, Irlandiæ, Utriusq; Siciliæ, Balearium, Hungariæ, Norvegiæ, Suediæ, Daniæ, Angliæ, Syriæ &c. Quod Galliæ Regnum a Childerico in Pipinum tranſtulerit: Septem Imperii Electores conſtitutos ſibi attribuat, quam ob cauſam & contra Octavum Bulla ſua Innocentius X. proteſtatus fuit: Novum Orbem inter Portugallos & Caſtilianos diſtribuerit: Regnum Navarræ prioribus Dominis ademptum Regi Hiſpaniæ contulerit &c. quæ etiam ex parte attigimus: *L. I. Diſſ. I. c. I. §. VII.* Quæque omnia poſt alios faſtuoſa hac ſumma complectitur *Alex. Carerius Patavinus L. II. de Poteſt. Rom. Pontif. c. XIX. Hac igitur in re Itali maxime ſe divino munere extollant, quod habeant* Principem Cœleſtem, *Pontificem ſcil. Romanum &c. qui Reges & Imperatores maximos ſolio dejecerit, aliosque ad illud evexerit: Ita ut nemo ex ulla orbis parte unquam tot ac tam magnis ditionibus imperantes vel iis exuerit, vel ad eas promoverit; Et eidem per tantum tempus maxima regna tributum ſolverint, quantum nulli hac in re evenit; Opes porro tantas inter ſuos partiatur, quantas nullus unquam Rex vel Imperator.* Confer *Voët. Vol. II. Diſp. de Temporali Poteſtate Papæ,* & quos ibi magno numero in utramvis partem laudat: Maxime vero,

qui inſtar omnium erit, *Goldaſtum totis Tom. III. de Monarchia S. R. I.* quibus pleroſque Autores, qui ad ſua usque tempora iſtam materiam tractarunt, exhibet. Nobis in genere obſervari ſatis eſt, inter potiſſimas Regulas Pontificis Maximi eſſe, Autoritatem ſuam obtentu Libertatis Eccleſiæ ſartam tectam ſervare: Quodque Cardinalis Armeniacus notat apud *Thuanum Libr. I. Vit.* ipſius: Aulæ Papali illud Ingenium eſſe, ut exquiſita ſeveritate, cum occaſio ſe offert & impune licet, in exteros utatur, eamque ſeveritatem eo usque valere, quousque vel infirmitate, vel Religionis metu tolleretur: Et ſi quis Princeps exiſtat, qui neutro attineatur, caute ſumma Diſſimulatione ab ea ſeveritate diſcedi. Adde *Trutin. Stat. Europ. p. I. Diſc. IV. Grot. de Imper. Summ. Pont. circa Sacra p. 214. 215. & ſeqq.*

IX. Secularis Poteſtatis, quam Pontifex M. in Italia exercet, Originem & incrementa Scriptores Catholicæ Religionis complures a Donatione Conſtantini Magni petunt; Sed quam alii ipſis ὁμόψυχοι graviſſime refutant, quos magno numero exhibet ſæpe cit. Doctiſſ. *Voët. Vol. II. Diſp. de Donatione Conſtantini n. IV.* E quibus indicamus *Laurent. Vallam* Oratione in Donationem hanc edita, *Hieron. Paulum Barcinonenſem* Cubicularium Alexandri VI. *in Practica Cancellar. Apoſtol. p. 92.* Antonin. *part. 1. Hiſtor. Tit. IIX. c. II. IIX.* ubi teſtatur *c. Conſtantinus Diſt. XCVI.* non haberi in antiquis Decretis, & poſt reliquos omnes ſtudioſiſſimum Rei Pontificiæ *Alciatum L. VII. Parerg. Jur. c. XIX.* His adde e Proteſtantibus *Anonymi* h. Marq. Freheri *Comment. in hanc Donationem*, *Raynoldi Colloq. cum Hatto p. 233. &c.* quos V. *eod. loco Voëtii n. V.* Autorem ficti hujus Diplomatis aliquem multi ſtatuunt fuiſſe *Johannem Diaconum* Cognomento *ſedigitum*, quem poſtea Papam factum & Johannem IX. dictum fuiſſe teſtatur Platina; idq; præeunte Diplomate Donationis Ottonis III. cujus verba ſunt: *Hæc ſunt commenta*, quibus Donationem Conſtantini indigitat, *ab illis ipſis inventa, quibus Johannes Diaconus &c. munitus præceptum aureis literis ſub Titulo Conſtantini Magni longa Mendacii tempora finxit:* Quam Donationem V. in *ante cit. Commentar. Freheri.* Et quia occaſio Donationis a Conſtantini Lepra profecta fuiſſe allegatur, *Alciatus l. c. & Platina in Hadrian. I.* ſuſpicantur ipſam de Lepra fabulam ex Hiſtoria Conſtantini Copronymi, qui leproſus fuit, natam fuiſſe. Plura V. in citt. Autt. & ex iis *Voët. l. c.*

X. Sed

X. Sed melius agunt, qui in memorabilis uſurpationis & poſ-ſeſſionis Titulo rem hanc munitam malunt, quam debili talis Diplomatis præſidio; Et Paulus III. cum de Poteſtate hac inter familiares aliquando mentio incidiſſet, *ſolebat illos ridere ut Scholaſticos & rerum rudes, qui a Chriſto eam tam anxie repeterent, cujus ſe poſſeſſionem* vel ſolam optimum & firmiſſimum Titulum *habere dicebat, quam viribus opibusque ſummis, Civitatibus munitiſſimis & Principum ſibi conjurantium auxilio tueri ac defendere poſſet.* Monit. Polit. ad *Imperii Principes de immenſa Curiæ Romanæ potentia moderanda pag. 36.* Cui ſi quid addendum eſt, ſumma hæc erit: Primam viam Pontificum potentiæ Imperii Conſtantinopolitani translatione patefactam fuiſſe, imminuta ſenſim Imperatorum in Italia autoritate per continuam abſentiam, & debiles vires contra gentium Barbararum invaſiones; Inde Pipinum & Carolum M. Ditiones Longobardis ereptas ipſis donaſſe: Tunc Ottonis III. Donationem interveniſſe; Secutam mox ſubmiſſionem Roberti Guicciardi, qua Apuliæ Calabriæque Principatum in Feudum ab Eccleſia Romana aſſumſit, ſimulque Benevento eandem donavit; Acceſſiſſe Donationem Mathildis Illuſtris in Italia Principis Fœminæ Georgio VII. factam; Demum ipſos Romanos adjectos A. MCCCC. Bonifacio IIX. P. M. cui ceſſerunt intuitu quæſtus ex Anno Seculari capiendi, cum antea ſpreta Pontificum autoritate, proprium Magiſtratum, quem Bandereſium vocabant, ſibi conſtituiſſent, ſed interim in paupertatem aliáſque confuſiones delapſi eſſent. Plenam hujus rei Hiſtoriam vide in Fr. *Guicciardini* Leonis X. Secretarii *Hiſtor. L. IV.* Sed ea parte, quæ in Antiquis exemplaribus impreſſis non extitit, poſtmodo autem in MSo Exemplari Guicciardini reperta ſeorſim extenſa fuit cum aliis duobus locis ex *Libr. III. & X.* Cujus cauſa eſſe potuit, quæ omnis mutilationis ab Indicibus Expurgatoriis factæ eſſet ſolet, quod iſta Hiſtoria Pontificio Statui non usquequaque congruere cenſita fuerit, veluti etiam, ut inter infinitos alios Nobili huic Hiſtorico ſimilem Rerum ſcientia pariter ac fortuna tali jungamus, *Thuanus* non integer prodire potuit, donec *Thuanus Emendatus* prodiret, Scriptum Amſtelodami editum Anno MDLXIII. 12°. quo Curioſus Veritatis Amator ea ex MSo exhibuit, quæ in Editionibus ſtudio omiſſa viſa fuerant: Cui antedicta Hiſtoriæ Guicciardini pars Latine adjecta, quam & Goldaſtus eadem Lingua exhibet *Tom. III. Monarch. S. R. I.*

 n. II.

L. n. II. Anglice extat annexa Hiſtoriæ Concil. Trident. Petri Suavis; Et præterea quoque Lingua Gallicâ, Belgicâ & Germanica varie prodiit.

XI. Reſtat, ut de Titulis Pontificiæ Dignitatis aliqua adjiciamus, quæ ex parte jam præc. Diſſ. & alibi ſparſim tradidimus, hic repetenda & pluribus illuſtranda. Titulus, quem ipſe P. M. in Reſcriptis ſuis hodie ſibi tribuere ſolet, hic fere eſt; Innocentius, Alexander, Clemens &c. *Epiſcopus*, *Servus Servorum DEI.* Poſterioris: *Servus Servorum DEI*: fundamentum videtur quærendum eſſe in juſſu & imitatione Chriſti, cujus vicariam poteſtatem Pontifices M. gerere ſatagunt. *Matth. XX. XXVI. Quicunque voluerit inter Vos magnus fieri, ſit veſter* miniſter, *& qui voluerit inter vos primus eſſe, ſit veſter* Servus: *Sicut filius Hominis non venit, ut ſibi* miniſtraretur, *ſed ut ipſe* miniſtraret. Invehitur tamen in eum *Salmaſius, in Appar. de Prim. p. 290. Ficta & mimica humilitas Epiſcopi Romani, qui ſe* Servum Servorum appellat, *cum ſe eſſe intendat Monarcham Monarcharum.* Sed alterius fervorem talem nos noſtrum non facimus. Confer *L. I. Diſſ. III. c. III. §. ult.* Prioris, *Epiſcopi*, Nomen cum aliis e ſuperiori Clero commune eſt, ſed huc, prout videtur, per Eminentiam tranſlatum. Sicque non noſtro tantum ſeculo, ſed aliquam multis ſuperioribus ſcribi voluerunt, veluti Leonis III. Epiſtolæ ad Carolum conſtanter ita habent: Leo Epiſcopus, Servus Servorum DEI, quas edidit *Cl. V. Herm. Conringius* & Primitivi Papæ *Epiſcopi* nomen admiſerunt, ut Anacletus, Pontianus, Cornelius &c. quorum Epiſtolas, ſi vere ipſorum ſunt, ſparſim exhibet Conciliorum Editores. Similiter Leo I. *Ep. V. ad Anatolium*: Leo Epiſcopus Anatolio Epiſcopo. Et *Ep. VII. ad Pulcheriam*: Leo Epiſcopus Pulcheriæ Auguſtæ. Alii tamen *Archi-Epiſcopi* dici maluerunt, ut Sixtus I. *Sixtus, Romanæ Eccleſi* Archi-Epiſcopus *T. I. Concil. Ed. Reg. p. 198.* Quo Titulo etiam Teleſphorum, Pium I. Soterem uſos legimus. Idem vero Sixtus I. & *Univerſalis Epiſcopus* dici gaviſus eſt: Sixtus Univerſalis Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopus, omnibus Epiſcopis in Domino Salutem. *Epiſt. II. cit. T. I. Conſil. p. 201.* Quem poſt hac & Victorem, qui tempore Pertinacis & Severi vixit, ſibi ſumſiſſe Commentator in Epiſtolas haſce ex ſeqq. Tertulliani verbis colligit: *Audio*, inquit Tertullian. L. de pudicit. c. I. *etiam Edictum poſitum & quidem peremptorium, Pontifex ſc. Maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dicit*: *Ego*

& Mœ-

Digitized by Google

& Mœchis & fornicationis delicta &c. cit. *T. I. Conc. p. 303. ad Epiſt. II. Sixti.* Atque addit: His Titulis non omnibus in rebus uti conſueviſſe, ſed tum demum, quando in Univerſali Eccleſia publice aliquid dicendum eſſet, itaque fuiſſe decretum hoc de recipiendis in Eccleſiam fornicariis pœnitentibus promulgatum. Eodem Zephyrinum, Octavum a Sixto, uſum docet *p. 268.* Quæ omnia tamen ſuſpicione non carere facile conjicere poteſt, qui humilem iſto tempore Eccleſiæ adhuc ſub cruce jacentis Statum expenderit. Poſtmodum vero in concilio Calchedonenſi frequentiſſime Univerſalis Archi-Epiſcopi Nomen Romano Papæ tributum, idque tum verbis ipſius Concilii, tum Libris Concilio exhibitis: Sic Libelli Theodori Diaconi Alexandrini contra Dioſcorum initium eſt: *Τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ θεοφιλεστάτῳ Οἰκουμενικῷ Ἀρχιεπισκόπῳ καὶ πατριάρχῃ τῆς μεγάλης Ῥώμης Λέοντι* &c. Idem habet Libellus Iſchyrionis Diaconi Alexandrini contra Dioſcorum, & Athanaſii Presbyteri Alexandrini in *T. IIX. Concil. Reg. p. 462. 470. &c.* Quam rem non negamus, monemus tamen in eodem Concilio & Conſtantinopolitanum Patriarcham vel tricies Epiſcopum Univerſalem appellari. Temporis igitur hæc cerimonia fuit, non peculiare Privilegium Pontifici Maximo a Synodo datum: Tanto minus ut cum *Commentatore ſæp. cit. in Tom. IX. Conc. p. 419* cogitemus ex ſolenni ritu oblatum Titulum Sedem Romanam tunc uſurpare cœpiſſe. Qui enim rem uni ſoli ſolenniter collatam dicemus, qua alter æqua libertate utitur? Addimus deinde Gregorium I. ſeu Magnum fine ſeculi V. adhuc plane abhorruiſſe ab hoc Titulo, quod in verbis ejus liquido claret *Epiſt. L. VII. XXX. T. XIII. Conc. Reg. p. 613.* *Judicare quoque veſtra Beatitudo ſtuduit, jam ſe quibusdam non ſcribere ſuperba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt, & mihi loquitur dicens: Sicuti juſſiſtis. Quod verbum juſſionis peto a meo auditu removete, quia ſcio, quis ſum, qui eſtis: Loco enim mihi fratres eſtis, moribus patres. Non ergo juſſi, ſed quæ utilia viſa ſunt, judicari curavi. Non tamen invenio Veſtram Beatitudinem hoc ipſum, quod memoriæ veſtræ intuli perfecte retinere voluiſſe. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid ſcribere debere. Et ecce in præfatione Epiſtolæ, quam ad me ipſum, qui prohibui, direxiſtis, ſuperbæ appellationis verbum* Univerſalem me Papam dicentes *imprimere curaſtis. Quod peto dulciſſima mihi Sanctitas veſtra ultra non faciat, quia vobis ſubtrahitur, quod alteri plus quam ratio exigit præbetur.*

Ego enim non verbis quæro proſperari, ſed moribus. Nec honorem eſſe deputo, in quo Fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco. Meus namque honor eſt honor Univerſalis Eccleſiæ. Meus honor eſt Fratrum meorum ſolidus vigor. Tunc ego vere honoratus ſum, cum ſingulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim Univerſalem me Papam *veſtra Sanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe, quod me fatetur univerſum. Sed abſit hoc: Recedant verba, quæ vanitatem inflant & caritatem vulnerant. Et quidem in Sancta Chalcedonenſi Synodo atque poſt a ſubſequentibus Patribus hoc Deceſſoribus meis oblatum veſtra Sanctitas novit;* Sed tamen nullus eorum uti hoc unquam Vocabulo voluit, *ut dum in hoc mundo honorem Sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem DEUM cuſtodirent ſuum.*

XII. Titulorum, qui ei ab aliis tribuuntur ordinarius complexus eſt: *Sanctiſſimus D. N.* (Alexander, Clemens) *Divina Providentia Papa VII. X.* vel quocunque alio aut nomine aut numero ſit. De Titulo Divina Providentia vid. *præcedente Diſſertat. I. c. II. §. VII.* De Sanctiſſimmi Titulo *ibid. §. VI.* Ut proinde nova hic attexi non opus ſit. Ad Abſtracta Nomina referimus Nomen Sedis Apoſtolicæ Sedis Romanæ nunc paſſim uſitata. Ab Aliis *Throni* Vox eodem ſenſu adhibita. Sic *Novell. CXXXI. c. III.* τῦ ἀποςολικῦ ῥώμης θρόνυ *& c. II.* μετὰ τὸν ἁγιώτατον ἀποςολικὸν θρόνον. Interim ſæpe numero in vaſtiſſimos exceſſus hic itum fui, & Potificem M. tanquam omne hamanum faſtigium egreſſum in medium produci oportuit. Sic Paulum V. *Immortalem, ſimulacrum DEI* & ſim. nuncupatum notavimus *L. I. Diſſert. III. c. III. §. I.* Item *Paulo V. Vice-Deo, Chriſtianæ Reip. Monarchæ invictiſſimo & Pontificiæ Omnipotentiæ Conſervatori accerrimo*, in Frontiſpicio Libri Benedicti de Benedictinis Anno MDCIIX. Bononiæ excuſi citante *Morn. præfat. in Myſter. Iniq. Et a Carerio dictum Principem Cœleſtem* introduximus *§. IIX.* Julius II. in Concilio Lateran. ultimo, oratione in Seſſ. I. habita vocatur *Totius orbis Princeps.* Et Seſſ. IV. *Alter DEUS in Terris.* Papa eſt Sponſus Eccleſiæ, ut Chriſtus jam Rivalem habeat. *Bellarm. L. II. c. XXXI. De Rom. Pont.* Quod tamen excuſari poſſit, omnes enim Epiſcopi dicti Sponſi Eccleſiarum, *Crakanthorp c. XXII. p. 141. ex Evariſt. Ep. II. & ap. Durant. L. II. de Ritib. Eccleſ. c. IX. num. 39.* Id vero demum grave eſt, ipſum P. M. Nicolaum I. in Epiſt. ad Michaelem Imperatorem ſcribere: *Satis evidenter oſtenditur a Seculari poteſtate nec ligari prorſus nec ſolvi poſſe Pontificem, quem conſtat a pio*

Prin-

Digitized by Google

Principe Conſtantino (quod longe ſuperius memoravimus) DEUM appellatum, nec poſſe DEUM ab hominibus judicari *manifeſtum eſt. C. Satis VII. Diſt. XCVI.* Gravius, quod Gloſſatores ad c. quanto D. de Translat. Epiſcop. *Non enim homo, ſed DEUS ſeparat:* Baldus: *Papa eſt Deus in Terris.* Gomezius; *Quæ facit Papa, facit ut Deus, non ut Homo.* Sic Claud. Seiſſelius *contra Waldenſes Anno M D XX. p. 36. Quantiscunque culpis alioquin ſit irretitus*, Angelus DEI *eſt*, & *eo amplius, Apoſtolorum Succeſſor* & *Chriſti Vicarius, dicam amplius imo* & *Chriſtus.* Siculi Anathemate percuſſi, cum res ſuas in extremum abductas viderent, Martino IV. ſupplices acciderunt, eminusque proſtrati conclamarunt: *Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, dona nobis Pacem!* Quæ repetit ex *Paul. Æmilio Morn. Myſt. Iniq. p. 910.* In Concilio Lateranenſi ultimo, Seſſione VI. Leo X. appellatur *Leo de Tribu Juda, Radix David, Sponſus Eccleſiæ. Seſſ. IIX. Ceu Leo Rex quadrupedum, Tu alter Leo, Hominum non Alter Rex tantum, ſed Regum Rex* & *Orbis Terrarum Monarcha.* Graviſſimum autem, quod in eod. Concil. ad Leonem legitur, *Seſſ. IX.* Divinæ Majeſtatis Tuæ *conſpectus. Et: In Te uno vero atque legitimo Chriſti* & *DEI Vicario Propheticum illud debuit rurſus impleri, Adorabunt eum omnes Reges Terræ, omnes Gentes ſervient*, & Sciopp. denique in Claſſico Belli Sacri c. IV. p. 29. Papam *Deum Deorum* appellat, citante *Tub. Pacis p. 162.* Quæ an ſine adulatione & ſola Diſtinctione inter DEUM eſſentia & DEUM participatione Catholici excuſaturi ſint, ipſi viderint. A noſtris certe hæc Clava ipſis jamdudum exorta fuit, quos inter videndus *Jac. Capellus Sedis Romanæ Poteſt. c. XXV.* Plures ejusmodi Phraſes & Formulas vide in *Calixt. Reſp. I. ad Mogunt. §. XCVII.* & *XCIIX. Morn. Myſter. Iniq.* paſſim, præprimis vero *Franciſc. Hotoman. in Bruto Fulmine Cap. II.* ubi de arrogata Divinitate agit, qui & in reliquis locis hujus capitis Lectorem ſufficientiſſime inſtruet.

CAPUT II.

Autores ad Caput hoc pertinentes, Lis de loco Conclavis, Cardinalium Factiones, Perſonæ Eligendæ conditio, Imp. Maximilianus I. aſpiravit ad Papalem Dignitatem: Modus Electionis, Vaticinia Symbolica S. Malachiæ de futuris Pontificibus, Exempla Cardinalium, qui Dignitatem Pontificiam abnuerint: Veſtitus Pontificius, Modus publican-

Digitized by Google

blicandi Novum Pontificem, primus cultus Novo Pontifici a Cardinalibus exhibitus: Pallium Pontificale; In Inauguratione Papali Textus Sacros Græce ac Latine legi oportet, Pompa Equeſtris, Oblatio Codicis Hebraici V. T. a Judæis facta: Numorum cupreorum erogatio; Quid de Sella Stercoraria? Cultus Pontifici M. exhiberi ſolitus, Ejus Formulæ ex Cerimoniali Romano: Pedilavium, quo Pontifices quotannis Pauperes dignantur; Ejusdem cerimoniæ in aliis Regnis: Canonizationis origo, Cauſæ, Circumſtantiæ: Inſignia Pontificia; Fontes Redituum Pontificiorum: Memorabilia circa mortem & Exequias Pontificum: Reformationem Aulæ Romanæ a Proteſtantibus fruſtra ſperari.

I.

SEquuntur Extrinſeca Dignitati Pontificiæ annexa, Electio, Inauguratio, cultus, Reſervata, Exequiæ, aliorumque Specialium farrago, quibus omnibus præſens h. caput dandum erit. Electionem deſcribunt *Autor della Corte di Roma*, *Sprenger. Rom. Nov. L. I. c. I. & Jur. Publ. L. II. c. XXXVI. &c.* Circumſtantias intervenientes *Diar. Europ. Contin. XVII. M. Maj. & Jun.* Adde *Julium Lavorium Protonot. Apoſtol. Variar. Lucubrat. T. 1.* ubi N. I. *De comitiis profanis Antiquis & Eccleſiaſticis recentioribus in Novendiali Parentatione P. R.* Et N. III. *De Conclavi, Conclaviſtis & eorum privilegiis, & de iis, quæ fiunt Sede vacante &c.* Myſteria Electionis pandent *Relationes de Conclavibus Pontificiis* hactenus editæ. Locus ipſi deſtinatus, ſeu Conclave eſt ad D. Petri in Vaticano: Fuit tamen Sede Alexandri VII. vacante, cum diſputaretur, utrum iſthic in Vaticano, an in monte Cavallo inſtituendum eſſet? Sed pro Vaticano tunc pronunciatum fuit. V. *c. l. Diar. Eur. p. 70.* Perſonæ eligentes ſunt Cardinales, iique deinde in factiones diviſi, Hiſpanicam, Gallicam, ſingulis commoda Regum ſuorum in eligendo Pontifice attendentibus, quibus interveniunt, quos *Esquadre volante* vocat. Perſona Eligenda communiter eſt e medio Cardinalium, niſi affectus aliquando Eminentiſſimos hosce Fratres extra ordinem ſuum rapiant, quod vero noſtris hisce ſeculis viſum non fuit. At certe è Sacro Ordine eſſe requiritur, quippe Sacro Regimini admovendus: Imperator Maximilianus I. tamen etiam ad hanc dignitatem animum adjeciſſe legitur, facto memorabili, quove quaſi proluſit mox emerſuris Proteſtantibus: Qua de re extant Literæ ipſius ad Paulum a

Lichtenſtein datum XVI. Septembr. An. MDXI. ubi inter alia: Nun finden wir in uns ſelbſten / auch im Grunde alſo iſt / uns nichts ehrlichers / höhers oder beſſers zuzuſtehen / als berührt Pabſtthum zu überkommen / und dieweil ꝛc. haben wir demnach in uns ſelbſt entſchloſſen / von berührtem unſerm Fürnehmen ſo viel müglich iſt / nachzukommen / und dermaſſen handeln und procediren zu laſſen / damit wir zu dem gedachten Pabſtthum kommen mögen: Und darauf ietzo dem Cardinal Adrianus / ſo eine Zeitlang / wie du weiſt / heraus bey uns in Teutſchland geweſen / die berührte Sachen vorgeſchlagen / der uns denn gäntzlich dazu rathet / und vermeint / es ſoll kein Mangel an den Cardinälen haben / und an ſolchem Zuhören vor Freuden geweinet. Et mox: Aber nachdem ſolches ohne eine merckliche Summa Gelds / die wir darauf legen / uns geſtehen laſſen müſſen / nicht wol beſchehen mag / haben wir demnach angeſchlagen / zur Nothdurfft vorberührtes unſer Fürnehmen / uf Zuſagen und Verſprechen den Cardinälen / und etlichen andern Perſonen in dieſen Sachen zu verhelffen / bis in die dreymal hundert tauſend Ducaten zu gebrauchen / ꝛc. Literas has legere eſt in *Goldaſti* Reichs-Handlungen *fol. 96.* De Nationibus quæ, quos, & quo numero a primis usque temporibus Pontifices ſuppeditarint, V. *Sprenger. Append. ad Perſpic. Chriſt. Orb. p. 311. & ſeqq.* Noſtro tempore ſolos Italos hunc Honorem manere notum eſt, neque poſt Alexandri VI. tempora alius quiſpiam intervenit, ſolo Adriano VI. excepto, qui natione Ultrajectinus erat: Unde Satyricus nonnemo, quando vacante Sede Alexandri VII. Cardinales pro obtinendo Pontificatu precantes & Reſponſa accipientes introducit Cardinales, Hiſpanos, Gallos, Germanos, Heſſenſem, de Thun, de Harrach, Vendosmium, de Rez, Arragonium &c. una opera comprehendit, & ſententia ex Pſalmo XCI. dimittit: *Cadent a latere veſtro mille, & decem millia a dextris veſtris*, ad vos autem non appropinquabit.

II. Abſolvitur Electio per Scrutinium & acceſſum: Utrisque vota ferunt, ſed iſto ſuum proferunt, hoc alteri aſſentiuntur; unde & nomen Acceſſui. Schedulas, quibus vota ferunt, complicitas & ſigillo, quod tamen proprium Cardinalium eſſe non debet, munitas ad altare in Sacello Sixti IV. perferunt, & in calicem altari impoſitum conjiciunt. Intercedunt & vaticinia, quibus alii rem gerunt, & Pontificem ſibi in anteceſſum deſignant, eaque peti ſolent e S. Malachiæ Prophetica Symbolorum Supellectile de futuris Pontificibus; Quam-

quam eligentibus hæc res parum curatio ſit: Interim obſervatum fuit, nunquam defuiſſe, quin aliquid in Pontificis vel nomine, vel Inſignibus, vel moribus, fuerit, quod reſponderit Symbolo eodem numero, quo Pontifex in ordine eſſet, poſito: Cujus rei ut pleniorem noticiam Lectori propinemus, adducimus verba *Thuldeni* in Electionem Alexandri VII. commentantis. *p. 1. L. IV. p. 20. De Fabio Chiſio omnium optime loquebantur, ac licet alii ante illum in electionem hanc venerit; illi tamen Pontificatum ſervari haut vani vates animo præſumebunt, quod inter futuros aliquando Pontifices a S. Malachia Divi Bernhardi temporibus noto Epiſcopo* Cuſtos Montium *poſitus fuiſſet. Omiſſis enim Symbolicis illorum Pontificum nominibus, qui pridem obierunt in Catalogo Malachinæ vaticinationis poſt Jucunditatem Crucis, quod Symbolum ad Innocentium X. jam ante inclinaverant, non dubitabant, qui illius Catalogi noticiam aliquam habeant, quin ſequenti Symbolo deſignaretur Chiſius, cui ſignum erant* Montes accumulati, *& ſuper eos quercus Arbuſcula, ſuis ſibi implexa ramis: Neque inepte* Cuſtos Montium *Fabius intelligi poterat, cum pro inſigni geſtaret montes, &* Giſi, *quorum neſcio lingua, aut Cuſtodem aut Ducem notaret.* Omnibus deinde aut duabus partibus in eligendum conſentientibus, Prior Epiſcoporum ipſum nominat & reliquorum acceſſum poſtulat: Inde rogatur, ut Dignitatem ſuſcipiat, cui ille præmiſſa gratiarum Actione annuit. Abnui rarum eſt, niſi quod Sprengerus *Carolum Borromeum* alleget, qui Dignitatem hanc recuſarerit, & autor fuerit, ut Gregorius XIII. Pontifex crearetur: Cui *Reginaldum Polum* Cardinalem ſuperiori ſeculo Regio Anglorum Sanguine natum addimus, qui ſimili modeſtia honorem hunc abnuit. Quemadmodum & Cardinalem Bellarminum ferunt ad acceptandam Dignitatem Cardinalitiam non niſi metu Excommunicationis adigi potuiſſe. Adde ſeqq. *Diſſ. XV. C. 1. §. 11.*

III. Suſceptam Dignitatem Papalem ſequitur, ut Novus Pontifex primo Nomen ſuum mutet. Quam cerimoniam explicuimus *præced. Diſſ. V. c. II. §. I.* Deinde a Cardinalibus Diaconis duobus in Sixti IV. Sacellum prope aram deductus habitum Pontificium induit, qui eſt: Calcei, quos Aurea crux ornat: Subucula tenuis ex holoſerico: Hyperendyma Carbaſinum, Crambophyllidion & galerus aures ſimul integens e Serico villoſo, prout recenſentur a Thulden. cit. p. I. L. 4. in Coronatione Alexandri VII. Indutus in ſedem ante altare

tare poſitam concedit & Cardinales pedem, manum dextram & os primo oſculatum admittit. Tunc fit Publicatio & electum Novum Pontificem Prior Diaconorum e Feneſtra conclavis Populo annunciat: *Papa Habiamo N.* ſeu quam Formam Thuldenus tradit: *Ecce Annuncio vobis gaudium magnum, Pontificem habemus Eminentiſſimum & Reverendiſſimum N. qui ſibi Nomen impoſuit N.* Denique in templum Vaticanum deportatus in medio Altaris maximi ponitur, atque iterum Cardinalium adorationem excipit. Sed Alexander VII. ſellam a medio in Evangelii latus depoſuit, & cum a Magiſtro cerimoniarum moris priſtini ac loci conſueti commonefieret: *Melius ego*, reſpondit, *quam vos rem Cerimoniarum teneo, ſcio quid me Dignum ſit: Non patiar ibi me hominem collocari, ubi Corporis & Sanquinis Domini conſecratio adminiſtratur atque perficitur.* Thulden. l. c.

IV. Sunt hæc veluti proludia ſecuturæ Inaugurationis, quæ proximis diebus poſt ſuſcipitur, cujus ſingulas circumſtantias V. in *Cerimoniali Romano*, Thulden. *de Inauguratione Alex. VII. loc. ſæp. cit. Relat. della Corte di Roma in Inauguratione Innocentii X. p. 188. & ſeqq.* Notabiliores, quæ intercedunt, ſunt: Accenſio Faſciculi ſtupæ, de qua egimus *Diſſ. VI. c. II. §. IIX.* De triplici Corona V. *Diſſ. IV. c. III. §. VI.* De Clavium porrectione *eand. Diſſ. IV. c. IV. §. VI.* Pallium Pontificale accipit, dum Rei Sacræ accingitur, idque hac formula: *Accipe Pallium, Sanctam plenitudinem Pontificalis Officii, ad honorem omnipotentis DEI, & glorioſiſſimæ Virginis Mariæ ejus Matris & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.* Hoc Pallium tres Acus habet aureas ternis unionibus luculentiſſimis ornatas, quarum prima ad pectoralem decuſſim, altera ad humeri dextri cruciformem Lineam, tertia in tergo ſedet: *Thuldenus.* Rem Sacram dum peragunt, Epiſtola & Evangelium primo Latine, deinde Græce canuntur, cujus ratio in Oecumenico Papali Regimine, eoque ad ipſas Græcorum Eccleſias extendendo latet. Ita docet *Thuldenus: Non id propter Græcos fieri, qui huc veniant aliquando, aut venerint, ſed ut Chriſtiani Cœtus univerſi, ſive is in Latio, alibive Terrarum, ſive in Græcia ſit, unum Caput vice Chriſti cogitetur.* Poſſeſſionem ædis Lateranæ Equeſtri Pompa adiri ſatis erit, ſi indicaverimus, in qua tamen magna pars ſplendoris ad Inaugurationem pertinentis ſita. Pompam hanc vero dum peragunt, atque Pontifex M. ad Mon-

Digitized by Google

tem Jordanum pervenit; Rabbinus aliquis Judæorum nomine Volumen Sanctum offert, Hebraica Voce Legem deprædicabundus, ipſumque hortabundus Pontificem, ut Legem Sanctam venerari & in honore habere velit: Cui reſpondet Pontifex: *Sanctam Legem, viri Hebræi & laudamus & veneramur, utpote qui ab omnipotenti DEO per manus Moſis patribus veſtris tradita eſt. Obſervationem vero veſtram & vanam interpretationem damnamus atque improbamus: Quia Salvatorem, quem adhuc fruſtra expectatis, Apoſtolica fides jam pridem adveniſſe* docet, ac prædicat Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c. *Iterum* Thulden. l. c.

V. Volunt & Humilitatis aliquod Teſtimonium poni: Ideo Numi, qui primum ſparguntur, non alii ſunt, quàm Cuprei, additurque dictum: *Hæc do Vobis, qui Aurum & Argentum non habeo.* Simile eſt, quod in *Sella Stercoraria* ponatur, admonendus ita humilitatis & mortalitatis ſuæ: Ideo & adjici ferunt: Suſcitat de pulvere egenum & de ſtercore elevat pauperem, ut ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat. Quod ex Ceremoniali Romano inter alios adducunt *Bellarmin. De P. R. L. III. c. XXIV & Val. Chimentellius in marmore Piſano de Honore Biſſellii.* Eumque uſum prudentiores Catholici hodierni ſellæ huic afferunt, & Experientia eundem confirmat. Vulgo tamen creditur, explorando Paparum Sexui adhibita fuiſſe, idque jam ante CLX. Annos ita ſcripſit *Guilb. Brevinus De Septem Eccleſ. Princ. In Capella Servatoris,* inquit, *ſunt duæ & plures Cathedræ de Lapide marmoreo & cupro cum foraminibus in iis ſculptis, ſuper quas Cathedras, ut audivi ibidem, eſt probatio Papæ.* Et e Græcis idem tradidit *Laon. Chalcocondylas*: Καθίζουσι δὲ τὸν αἱρεθέντα ἐπὶ σκίμποδος ὀπὴν ἔχοντος, ὥστε καὶ τῶν ὄρχεων αὐτοῦ ἐπικρεμαμένων ἅπτεσθαί τινα τῶν προσταχθέντων, ὥστε καταφανῆ ἄνδρα εἶναι τοῦτον. Sed nititur totum hoc negocium narrationibus de Johanne IIX. Papa Fœmina, quarum fides plane ſuſpecta eſt. Immo vero ne perforatum quidem eſſe, uti communiter volunt, monet ante *cit. Chimentellius*: Ut proinde veriſimile non ſit, talem aliquem ipſius uſum fuiſſe.

VI. Cultus una pars eſt pedum Oſculum, quod ſalutari ſolent Pontifices Maximi, quam materiem prolixe expoſuimus *Diſſert. VI. c. II. §. VI. & ſeq.* Cui vero & manuum & oris Oſculum eminentiores adjiciunt, quemadmodum de Cardinalibus monitum fuit præc.

§. III.

§. III. Idemque a Regum & Principum Legatis fieri ſolet. Epiſcopos ad genuum oſcula admitti, in ſcriptoribus horum rituum videre eſt. Majus eſt, Pontificem M. coram nullo Regum aut Principum ſurgere: *Nemini omnium mortalium Papa reverentiam facit aſſurgendo, manifeſte aut caput inclinando, ſeu detegendo: Tantum Romanorum Imperatori, poſtquam illum ſedens ad Oſculum Pedis & manus ſuſcepit, aliquantulum aſſurgit, adque oſculum mutuo charitatis amplexu illum benigne recipit.* Sunt Verba Cerimonialis Romani *L. III. ſect. I.* Sed quibus longe duriora ſunt, quæ jubentur *L. I. S. III. c. III. Quando Papa per Scalam aſcendit equum, major Princeps, qui præſens adeſt, etiamſi Rex eſſet, aut Imperator, Stapham Equi Papalis tenere debet, & deinde ducere equum per frenum aliquantum. Si Imperator aut Rex ſoli eſſent, id eſt, non eſſet alius Rex, ſoli Equum ducerent cum dextra manu. Sin vero eſſet alius Rex, Dignior dextra, alius a ſiniſtra frenum teneret: Si vero Pontifex non equo, ſed ſella veheretur: etiamſi Imperator aut Rex adeſſet, ſellam ipſam cum Pontifice humeris portare aliquantulum debent. Et Sect. XII c. V. Princeps Civitatis quam Papa intrabit, etiamſi eſſet Rex, ducet Equum Pontificis freno; Vel ſi Pontifex vehitur Sella, ſubit ſellam cum ſuis Proceribus dignioribus per aliquot Paſſus, deinde jubente Pontifice Rex aſcendit Equum, & equitat ſuo ordine. Libr. I. Tit. II. Quod ſi ita placeat Papæ, ut non Equo, ſed ſella vehatur, tunc Imperator vel Rex, ſiquis adſit, debet ipſam ſellam ſuis humeris ſuſtinere.* Eod. Tit. *Imperator in convivio aquam Papæ manibus ad lotionem præbere debet.* Eod. Tit. *In Papali convivio Imperator vel Rex Romanorum debet portare primum ferculum.* Quæ & ſimilia Vid. ap. *Hotoman. Brut. Fulm. c. IX. & ex eo Lanſi orat. Pro Italia p. 522.* Sed juſſa hæc tam obſequioſos noſtro ſeculo repertura Principes credibile non eſt: Licet interdum non defuerint ingentis humilitatis edita ſpecimina, veluti Legatus Henrici IV. Regis Galliæ Anno MDCIIX. legitur, poſt exhibitum oſculum pedis geſtaſſe Syrma Pontificium. V. *Contin. Thuan. L. I. p. 26.* Et Franciſcus I. Gallorum Rex, ut Clementi VII. Papæ Maſſiliam ad ſe venienti teſtaretur humilitatem ſuam, non modo quicquid ad tantum hoſpitem excipiendum neceſſarium vel honorificum exiſtimabatur, regio ſumptu magnificentiſſime apparavit, ſed & ab urbe paulo longius deflectens biduum aut triduum intranti & ab itinere ſe recolligenti dedit Pontifici, antequam ipſe Rex ingrederetur, & illi adventum gratula-

tularetur, Eundemque honorem primi introitus exhibuit, & Imperator Carolus V. eidem Clementi VII. Bononiæ, cum ille Romani Imperii coronam accepturus huc profectus eſſet. *Lanſ. cit. loc.* Nequid vetera exempla Juſtiniani, Pipini &c attingamus, quæ vid. ap. *Steuchum de Donat. Conſtant. M. L. II. c. LXVI. & ex eo Hotoman. cit. cap. IX.*

VII. Sed hanc ſublimitatem ſuam Pontifices Maximi iterum alio humilitatis ſpecimine temperant, quod eſt famoſum iſtud *Pedilavium,* quo egenos quotannis dignantur, & finito eo ad menſam adductis inſerviunt. Dies eſt Feſtum ſeu Dies Cœnæ Domini. Perſonæ XII. quarum ſelectum Alexander VII. ex egenis Presbyteris inſtituit. Thuldeni de hoc ritu ſunt verba ſequentia *P. II. ad An. MDCLVII. p. 29.* verbis ſeqq. Ad Cœnæ Domini diem, qui eſt ſanctæ hebdomadis quartus, ventum erat, cum ampliſſimi Cardinales, Legati Regum Ducumque, Prælati, Principes divinæ celebritati Romæ intereſſent, qua Sacrificii a Chriſto inſtituti memoria concordibus agitur animis: Tum Alexander Pontifex duodecim pauperes viros, qui Apoſtolorum hoc Actu perſonas gererent, nudis pedibus adeſſe ſibi in cœnaculo fecit, eos pedes officioſe in pelvim aqua infuſa cum abluiſſet, Mantili ſuperinjecto deterſit, epulis in menſa proxima diſpoſitis admotos pauperes ita comiter & hoſpitalem in modum habuit, ut ipſe miniſtraret, menſamque vigilanter obiens invicem nunc panem nunc vinum præberet &c. Abeuntes a cœna Pontifex muneribus etiam proſequebatur: Numi erant argentei atque aurei ab una parte Virginis Deiparæ Jcunculam impreſſam gerentes cum Inſcriptione: MARIA DE BONA SALUTE; altrinſecus Alexandri Pontificio in ornatu effigiem referentes; His donati ſunt pauperes dimiſſique. Conf. *Sprenger. Nov. Rom. L. III. c. VII.* Eſt tamen, quando Cardinalibus hoc negotium datur, veluti cum A. LXVII. Alexander VII. illa die decumberet, Cardinalis Anton. Barbarinus id expedivit. *Diar. Eur. Contin. XVI. p. 225.* Nec Ritus hic ſolorum Pontificum Maximorum ita proprius eſt, quin ab Imperatoribus, item Regibus Angliæ & Galliæ etiam eadem Die peragi ſoleat. De Auguſto Leopoldo noſtro adhuc Rege Hungariæ & Bohemiæ V. eund. *Thuld. p. III. p. 221.* De Regibus Galliæ circumſtantias aliquas enarrat Autor *Diarii Europ. Contin. XI. p. 436.* Am Grünen Donnerſtage Frühemorgens verrichtete der König in dem groſſen Guard-Saal das Abendmal/

mal/ und nach der Predigt wuſch S. Majeſtät / dero Monſieur aufwartete / 12. Armen die Füſſe / und bediente ſelbige auf gewöhnliche Weiſe. Hierauf giengen der König / die Königin / und Monſieur nach den Fevillanten zur hohen Meſſe / und wohnten der angeſtellten wichtigen Proceſſion bey. Nach dieſem ließ die Königin zu Hauſe predigen / und wuſch folgends zwölff jungen Dirnen die Füſſe / denen ſie auch zu Tiſche diente / die Speiſen aber trugen auf die Hoch-Fürſtl. Princeſſin von Alencon / die Fürſtin von Conde / die Fürſtin von Baden / und viele andere vornehme Frauen. Plura de hiſce talibus qui deſiderat, conſulet *Gretſerum* integro *Tr. de Pedilavio.*

IIX. Reſervatum Pontificiæ Majeſtatis eſt Sanctorum Canonizatio ſeu Apotheoſis, plane ſimilis juri Dignitates conferendi in Regalibus Politicis, & tanto quidem major, quod non humana Dignitas conferatur, ſed Divinæ Aulæ Proceres creentur, quæ oculatiſſimi Monzambani Phraſis eſt *de St. Imp. Germ. c. IIX.* Fieri ſolet ad Inſtantiam Magnorum Principum, nec ſine magnis ſumptibus: Unde cum Henricus VII. Anglorum Rex pro Henrico VI. Anteceſſore ſuo apud Julium P. M. interceſſiſſet, neque res illa ad finem perduceretur, creditum fuit, Julium Papam rem nimio precio æſtimaſſe, Regemque noluiſſe eam tanti emere. Quanquam alii judicarent, Julium utpote honoris Sedis Romanæ & Actorum ejus Studioſiſſimum id non intermiſſurum fuiſſe, niſi ſciviſſet Henricum iſtum ubique pro homine ſimplici & minus capaci habitum fuiſſe, eoque metuiſſe, ne honor is vileſceret, facta admiſſione hac & diſcrimine non ſervato inter Innocentes & Sanctos. *Verul. Vit. Henr. VII. p. 1122.* Cauſæ allegantur Merita & Miracula non ſeparata & alterutra, ſed conjuncta; Perſonæ aptæ ſunt Martyres, & Confeſſores. Primus, cui honor hic exhibitus, Germanus fuit, *S. Suitbertus ſeu Svibertus* Epiſcopus Verdenſis, quem Leo III. Anno DCCCIII prid. Non. Sept. Verdæ ſolenniter inveſtivit. Inter Poſtremos nunc eſt *Franciſcus de Sales*, quam Alexander VII. Anno MDCLXV. d. IX. XIX. April. creavit, & ante eum Anno MDCLIIX. d. I. Novembr. *Thomam de Villa Nova* Archi-Epiſcopum Valentinum, idque ad petitum Philippi Hiſpaniarum Regis. Clemens IX. Sanctitatem decrevit *Magdalenæ di Palcy* Florentiæ, *Ludovico Beleramo* Ordinis S. Dominici & *Petro d' Alcantara* Ord. S Franciſci Anno MDCLXIIX. d. XIV. Sept. Oportetque Procuratorem Apotheoſeos coram Throno Pontificio petere talem

lem

lem N. in numerum Sanctorum recipi idque ter iterate: Cui primo reſpondetur, in genua procumbendum eſſe, ac divinum auxilium in re tam gravi & ſeria Pontifici exorandum. Quo peracto & petitione iterata iterum reſpondetur, Spiritus S. opem impenſius invocandam eſſe; Deinde tertio facta petitione reſpondetur affore jam tempus petitioni ejus ſatisfaciendi, & Pontifex in Throno ſedens tergemina infulatus mitra Librum tenente Cardinali primo Epiſcopo, allucentibus illi utrimq; Cereis, de N. in Divos relato ſententiam exaudientibus omnibus recitat. Mox poſtulatur & decernitur Apoſtolicum Diploma ſuper Apotheoſi. Inde invocatur, *Ora pro nobis Sancte N.* Tandem munera offeruntur cerei, aves, panes, vinum, aqua. Sic in Canonizatione Thomæ Villanovani Cardinalis Sachettus duos ingentes inauratos cereos, Canonicus quidam metropolitanus Valentiâ, cereum minorem inauratum, calathiſcum auro obductum, in quo duo turturilli inerant, obtulere. Cardinalis Columna duos panes, unum argento, alterum auro tectum, quos familiæ ejus accenſi portabant, cum Auguſtinenſium Vicarius Generalis Pater Petrus Lanfrancus minorem cereum, cum ciſtella deargentata duas columbas includente. Cardinalis Coſtacutus vaſcula duo, alterum inauratum vini, alterum deargentatum aquæ plenum, quæ a famulis deportabantur, obtulit. Hiſpaniæ Aſſiſtens Andreas Aznar ex ordine S. Auguſtini Eremitarum, argento cicumductum obtulit calathiſcum, in quo diverſi generis aviculæ fuerunt. Quæ & alia de Canonizatione Thomæ iſtius prolixe narrat curioſus Rituum Catholicorum Obſervator ſæp. citatus *Thulden. p. III. ad A. M DC LIIX. p. 342. & ſeqq.* Pleniorem noticiam Actuum talium dabunt *Bellarmin. de Beatitud. Sanctor. in T. I. Controv. & Angelus Rocha peculiari Tr. de Canonizatione Sanctorum Rom. M DC X. 40.*

§. IX. De reliquis Actibus Pontificiis, Collatione Pallii & Conſcratione Lanæ, indultu Cruciatæ, Benedictione Agnus-Dei, trina Benedictione Populi, excommunicatione Acatholicorum, Piratarum & Regis Hiſpaniæ, hujusque ſtatim annexa receptione & abſolutione, quæ quotannis fieri ſolent, Benedictione Gladii, quo Reges ac Principes, & Roſæ, qua Reginas & Principiſſas donant, Jubilæi Cerimoniis &c. legi poterit *Sprenger. N. Rom. L. III.* Nec Inſignia Pontificia etiam prolixe commemorari indigebunt, cum Pontifices M. inſignia familiæ retineant, impoſito tantum Tiara Pontificio. In

Sigil-

Sigillis vero Signatura Plumbi ab una parte imaginem SS. Petri & Pauli, ab altera Pontificem habet. De Reditibus addimus, eorum fontes quatuor haberi, unum Temporalem, e quo manant Ordinarii reditus ſtatus Eccleſiaſtici, & tres Spirituales, Indulgentias, Diſpenſationes & Beneficiorum Collationes. Quo referimus annuas oblationes munerum, quales, penſio XM. Aureorum a Duce Parmenſi Vigilia S. Petri & Pauli ſolvenda, & Equa Alba cum VIIM. Aureorum, quæ Rex Hiſpaniæ pro Regno Neapolitano eadem die mittit. Sic Pictores M. Januario Pontifici M. ſolenniter cereos afferunt, quorum ſpecimen de An. LXVII. V. in *Diar. Europ. Contin. XVI. p. 88.* Dieſe Lichter Ceremonie war dißmahl über Gewohnheit ſchön / und darbey eine Machina oder aufgeführtes Gebäue zu ſehen/ beſtehend in ſechs Bergen / mit Eichbäumen beſetzt / welche brandten und doch nicht verzehret worden / vorbildende den Buſch Moſe / welcher baarfüßig unten an den Bergen ſtand / und ſich verwunderte über das Wunderwerck / als Er den Stern ſahe mitten im Liechte / welches über die Berge hervor ragte. Et veluti etiam erogari aliqua munera oportet, ſic Pontifici M. ſingulare eſt Feſto Annunciationis Mariæ quadringentis egenis virginibus dote proſpicere, de quo iterum V. *Diar. Europ. Cont. XIV. p. 190.*

X. Circa mortem Pontificum M. notamus: Quod in Articulo ejus videantur aliquando pati, ut ſepoſito Nomine Pontificatus priſtino nomine privato denuo appellentur: Quanquam Alexander VII. id non ita ferundo fuit: Als der Pater Oliva ſich bey ihm im Zuſprechen ſeines vorigen Namens Fabii gebrauchen wolte / antwortet Ihm der Pabſt: Wir ſeynd ja noch Alexander der VII. und nicht Gio Baptiſta Pamfilio, damit zu verſtehen zu geben / daß Pabſt Innocentius X. ſeinen Reſpect allzu wenig beobachtet / wann Er vor ſeinem Ende ſich mit ſeinem Tauffnamen Gio Baptiſta vergnügen laſſen. *Diar. Europ. Cont. XVII. p. 65.* Inſtituunt & morituri Pontifices Orationem ad Sacrum Collegium, ita dictum, h. Cardinalium, qualem decem diebus ante mortem habuit Innocentius X. ap. *Thuld. p. II. p. 8.* Alexander VII. quatuor ſeptimanis ante; Et ſumma earum commonefactione fragilitatis humanæ, colendæ Concordiæ, eligendi digni ſucceſſoris, deinde deprecatione errorum anteactorum fere comprehenditur. Pabſt Alexander VII. hielt ihnen vor / daß auch die Päbſtliche Würde und Hoheit dem Tode unterworffen / welches er ſo

vielmehr mit ſeiner eigenen Perſon darthun könte / als der bißher eine ſo langwierige und hefftige Kranckheit ausgeſtanden hätte: Neben dem ermahnte er ſie auch / daß ſie einen ſolchen Pabſt nach ihm erwehlen wolten / welcher mächtig wäre / ſeine eigene Fehler zu verbeſſern / ſo er einige begangen / ſonſt wären die jenigen deren zu beſchuldigen / die ihn zum Pontificat und auf den Päbſtlichen Stul erhoben / als worzu er niemals einige Hoffnung gemacht hätte. Kürtz / er beſchloſſe dieſe Rede mit ſolchem Geiſt und Ernſte / daß ihrer viel ſich der Thränen nicht enthalten konten / welches den Cardinal Barbarino ſelbſten / als Decanum, betraff / daß er in ſeiner Antwort nicht fortkommen konte: So ließ auch der Cardinal von Eſte nicht weniger Empfindlichkeit in dem Stücke von ſich ſpühren. Damals wurde / wegen ſolcher ſehr groſſen Schwachheit des Pabſtes / in unterſchiedlichen Kirchen das 40. ſtündige Gebet angeordnet / und dem Don Agoſtino / um ihn zu tröſten / vom Pabſte 150000. Kronen geſchenckt / im Caſtell aber bey dem Vorrathe des Sixti V. 200000. zu laſſen befohlen. Iterum *Diar. Europ. Contin. XVI. p. 406.* Quæ propter unam atque alteram circumſtantiam intervenientem recenſenda duximus. Huc referimus, quod de tumba Silveſtri II. prodit Magnum Chronicon Belgicum a Joh. Piſtorio editum Francof. MDCVII. p. 94 *Qui autem Tumba ejus guttas quaſi Lacrimas emittat, quando Papa aut Magnus Cardinalis moriturus eſt, ſatis probatum eſt & ſatis vulgatum.* Et *Martin. Polon.* præterea tumultum oſſium in ea excitari teſtatur *L. IV. p. 348.* Quod nos in medio relinquimus. *Verumne hoc ſit an ſecus,* inquit Platina, *ipſi Pontifices viderint, ad quos pertinet.* Occaſio verò inde forſan ſumpta, quod Silveſtrum Magiæ & pacti cum Diabolo initi communiter reum peragant, qui nobis tamen non alius quam Vir rerum Naturalium & Moralium peritus fuiſſe videtur, unde in ſiniſtram illam ſuſpicionem facile adduci potuit. Is enim temporum iſtorum Stupor erat, ut quamvis ſingularem doctrinam in Naturalibus, Matheſi aut Moralibus Naturæ viribus majorem, eoque divinam aut Diabolicam, prout Affectus illud ſuppeditabant, crederent. Confer quæ pro defenſione Silveſtri hujus congeſſit Boxhorn. in *Hiſt. Univ.* qua vitam ejus attingit. Mortem ſequitur Æris Campani a Capitolio ſonitus: Poſt celebrantur novemdiales Exequiæ & totidem Congregationes Cardinalium, quibus de rebus ad Ingreſſum conclavis & conſervandam Sede vacante Tranquillitatem publicam neceſſariis deliberatur: Prima Congregatione frangitur a Camerario Eccleſiæ

Annu-

Annulus Piſcatoris & Sigillum Plumbeum: Mediis diebus etiam Habitus & Corona Pontificia circa erectum Caſtrum Doloris a Cardinalibus geſtatur & Corpus Pontificium reconditur. Denique die decima ingreſſui Conclavis & Novi Pontificis Electioni ſe accingunt: Quæ omnia V. plenius enumerata in *Diar. Eur. Contin. XVII. p. 67. 68. & ſeqq.*

XI. Ultimo de Reformatione Aulæ Romanæ agendum duximus, quam ad placitum Proteſtantium expectari non poſſe autumamus, idque rationibus *Franc. Soderini Cardinalis Volaterrani*, quas olim Adriano VI. propoſuit, cum ille ſtudium Reformationis aliquod præ ſe ferre videretur. I. Quia minime ſperandum ſit, Proteſtantes per emendationem ejusmodi imminutum, ſed potius exiſtimationem eorum confirmatum iri. Ita enim fieri rebus humanis, ut cui in aliqua poſtulatione ſatisfiat, is poſtulata poſtulatis accumulans, omnia impetrare velit, & ſuo ſibi jure debere credat. Plebem itaque comperto ſemel ex emendatione cœpta Pontificum Eccleſiæ gubernationem parte aliqua jure reprehenſam, facile ſibi perſuaſuram, non minus juſtas cauſas aliarum rerum proponendas eſſe, quæ ſimilem requirant emendationem. Ipſosque Autores horum motuum in uno aliquo victoriæ compotes nunquam congrediendi & coarguendi finem facturos. II. Neminem Pontificum reformandi viam tanquam rebus ſuis utilem ſecutum, ſed adhibitis primo monitis & præceptionibus continuo Principes ad Eccleſiam protegendam acciviſſe: Licet conſtet, omnes hæreſes, quæ Eccleſiæ Romanæ autoritatem vellicaverint, corruptos Curiæ Mores conatibus ſuis obtendiſſe. Excitatas olim eum in finem Cruciatas, Principibus & Populis Crucis ſigno notatis: Sic Innocentium III. Albigenſes in Gallia Narbonenſi oppreſſiſſe, & eum ſecutos Pontifices Valdenſes, Picardos, Pauperes de Lugduno &c. Eodem modo in præſens populum Indulgentiis & peccatorum expiationibus oblatis ad ſuccurrendum invitandum eſſe. III. Nullam Reformationem inſtitui poſſe, quæ Reditus Eccleſiaſticos non inſigniter diminutum eat; Quorum quatuor fontes ita ſe habere, ut nullus poſſit obturari & occludi, quin derepente de cenſu Eccleſiaſtico pars quarta decedat. Vid *Petr. Suav. Hiſtor. Concil. Trident. L. I. p. 26.* Ad quæ ingemuit poſtmodo Adrianus, & miſeram Pontificum Conditionem eſſe profeſſus eſt, quod recte faciendi facultate careant, etiamſi maxime velint, & in

 id

id operam ac diligentiam impendant. Quibus verbis Caput hoc concludimus: Plura horum talium qui volet, leget *Monzamban. de St. Imp. Germ. c. IIX.* & e Superiori Seculo, *Simonem Heſſum*, qui ſe Protonotarium Sedis Apoſtolicæ vocat, Scripto, *quo cauſas Luthero oſtendit, quare Lutherana Opuſcula a Colonienſibus & Lovanienſibus combuſta ſint*, in *Goldaſti Polit. Imp. p. XXIV. p. 1085.* Cumprimis v. cit. Librum prudentiſſimi *Petr. Suavis*, qui ludes oculis Romanæ Aulæ hactenus extitit, donec poſt irritos aliorum conatus calamo Cardinalis Pallavicini ſolidius impeteretur, an ſufficienter non dixerimus, cum inter Catholicos ipſos Jeſuita *Auguſtinus Aldovini* extiterit, qui aliqua ejus carpere potuit, ſed quem libertatem hanc ſuam Pœna Carceris luere oportuit, cui addictus fuit juſſu Alexandri VII. Anno MDCLXVII. M. Martio.

CAPUT III.

De priſco Cyriaco Papa monitum, de Johanne IIX. Papa-Fœmina, Occaſio hujus Fabulæ: Gregorius VII. non credidit præſentiam corporis Chriſti in Cœna; Amavit Mathildem Principem: Clemens II. fuit Marchicus, de Urbano IIX. Innocentio X. Donna Olympia, Alexandro VII. Hujus tria vota, Affinitas cum Imp. Turcico, de Clemente IX. Nepotiſmus, Cardinalis Regens.

I.

Reſiduum quod eſt paginarum miſcellaneis Relationibus de Vita Pontificum impendemus, e quibus prima noſtra materies erit Papatus Fœmineus Johannis IIX. & Cyriaci: Quorum hic creditur Seculo III. & An. CCXXXVII. admodum vixiſſe inter Antherum & Pontianum, atque commemoratur a *Jac. Phil. Bergom. Chron. Suppl. IIX. p. 192. Ed. Pariſ. 1535.* his verbis: *Cyriacumq; Papam Pontiano huic ſucceſſiſſe, unoq; anno & tribus menſibus ſediſſe multi ferunt: Sed quia contra Patrum Voluntatem Papatui ceſſit, atque cum XI. Virginum millibus, quas fere omnes baptiſaverat, Agrippinam Urbem conceſſit, in Pontificum Catalogo poſitus non eſt, cum tamen & ipſa Virgo exiſtens cum Virginibus illis martyrio coronatus ſit:* Quæ & legere eſt ap. *Joh. Stellam De Vit. Pontif. p. 20.* Sed ipſa verba, quia ſenſum ambiguum ferunt, Hiſto-

riam hanc merito nobis ſuſpectam faciunt: Catholicorum aliqui etiam plane non extitiſſe Cyriacum aſſerunt, quales Gobelinus Perſona, Baronius, Lindanus, Petræus &c. Sed agnoſcit eum Gloſſ. in *VI, Decretal. L. I. Tit. VII. de renunciatione Cap. Quoniam:* Atque addit ex *Chronico Martini Poloni ad Annum CC XXXIIX.* ex Catalogis expunctum fuiſſe, *quod creditus eſſet a Cardinalibus, non propter devotionem, ſed propter oblectamenta virginum Papatum reliquiſſe.* Conf. *Voët. T. III. Diſp. de Sanctis Chimænicis. pag. 488.*

II. De Papiſſa Johanna prolixe ab aliis actum eſt, eamque extitiſſe hodierni Catholici conſtanter negant, & e noſtris Doctiſſimus Hiſtoricus David Blondellus, *Anacriſi de Johanna Papiſſa:* Quem quidem Cl. Vir *Sam. Mareſius* refutavit Tr. *Joanna Papiſſa reſtituta;* Sed iterum petitus Calamo Anonymi Ultrajectini, & a P. Labbe Libro: *Cenotaphium Johannæ Papiſſæ everſum & Virgidemia Sam. Mareſii* edit. cum Libro ejus de Scriptoribus Eccleſiaſticis *Pariſ. M DC LX. 8°.* Rationes ipſorum generales ſunt: I. Nullum Autorem coætaneum ejus mentionem feciſſe, & totis ducentis & amplius annis poſt demum dubiæ fidei vocabulis, ut ajunt, ferunt, &c. primo commemoratam. II. Inter Leonem IV. & Benedictum III. inter quos Johanna iſta media ponitur, Sedem biduo tantum vacaſſe, eoque nullum Johannæ relinqui ſpacium. III. Circumſtantias de re iſta allatas incertas & ex parte plane falſas eſſe. Sic enim Sellam Stercorariam non explorando ſexui, ſed in commonefactionem humilitatis adhibitam docuimus præc. c. II. §. 5. Statua, quam ferunt hunc in finem erectam, non potuit Johannæ eſſe, quia non repræſentavit mulierem cum infante, ſed puerum ſatis adultum, quaſi præcedentem famulum referentem: Sicq; facile potuit Statua Sacerdotis Ethnici ad Sacrificandum parati eſſe, quem Miniſter ſuus præcederet. Quodq; Statua hæc poſtmodum ſublata ſit, cauſa fuit, vel quia antiquitate collapſa fuit, vel ne amplius occaſionem errori ſuggereret. Ajunt viam, in qua facinus hoc editum ſit, ideo in Pontificiis Proceſſionibus declinari. Sed verior ratio eſt, quia anfractuoſa eſt, eoq; Comitatui Pontificio incommoda. Onuphrius teſtatur præterea, fuiſſe, qui non ſemel per hanc ipſam viam iter fecerint. Quarum diductionem paginæ hæ non capiunt, neque aliud etiam quam actum agere mus. Occaſionem erroris ex Baronio aſſumimus, quod ſucceſſor Adriani & Nicolai Johannes IIX. ſeu vulgari Computatione IX. cum

Photio Conſtantinopolitano Patriarcha, quem Anteceſſores ejus tantopere perſecuti fuerant, mitius egerit, eoq; ob nimiam animi facilitatem & mollitiem non Papa, ut Nicolaus & Adrianus, ſed Papiſſa contemtus loco dictus fuerit, utpote qui nec reſiſtere ſciret Eunucho, quique vinceretur a ſemiviro, non vir, ſed fœmina potius, nuncupandus eſſet, & ſic Nomen Contumeliæ tranſierit apud poſteros rerum inſcios in veritatis opinionem. *Ad Annum DCCC LXXIX. §. V.* Cui addimus ex Blondello eundem & Germanis, apud quos primum audita Johannæ mentio, inviſum fuiſſe, *quod calcata ſcripti a Ludovico II. Imp. in gratiam Ludovici Patrui Conſobrinorumque Germaniæ Regum teſtamenti Religione, Caroli Calvi temere partes ſecutus, legitimos heredes Ludovicum, filiosque Carolomannum Ludovicum & Carolum, qui poſtea Craſſus dictus eſt, excluſerit Italia.*

III. De Gregorii VII. cum Henrico IV. Imper. litibus actum c. I. §. VI. Hic ad Doctrinam ejus notamus, eum, quantuscumque fuerit Romanæ Sedis aſſertor, videri dubitaſſe, de præſentia Corporis Chriſti in cœna, ſeu, *ſi illud, quod ſumitur in Dominica menſa, ſit verum Corpus & Sanguis Chriſti*, quæ verba Engelberti Trevirenſis Archi-Epiſcopi allegat Uſſer. *de Succeſſ. Chriſtian. Eccleſ. c. VII. n. XXXIII.* Et eundem ut *Catholicam & Apoſtolicam fidem* (ſic tum vulgo habitam) de Corpore & Sanguine Domini in quæſtionem ponentem, Hæretici Berengarii antiquum Diſcipulum &c. a Synodi Brixienſis Epiſcopis condemnatum idem docet ex Chron. *Abb. Urſperg. ad Annum MLXXX. Sigon. de R. Ital. L. IX. Panvin. V. Gregor. VII. &c.* & Binius quidem in Contrarium *urget nott. in Concil. Rom. VI. Tom. XXVI. Conc. Reg. p. 560.* Extare inter Epiſtolas Gregorii unam primo A. Pontificatus ejus ad Mathildem ſcriptam, qua evidenter profiteatur, ſub ſpeciebus Panis & Vini vere ipſum Corpus & Sanguinem Domini contineri; Eamque ſufficere ad fidem Gregorii demonſtrandam. Sed verba hujus hæc tantum ſunt: *Ejus ibi Corpus ſumitur, ejus caro populi ſalute partitur, ejus Sanguis non jam in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur. L. I. Epiſt. Gregor. num. XLVII. p. 70. in cit. T. XXVI.* Quæ, an adeo clara ſint, alius judicet. Quæ de Vita ejusdem in utramque partem diſputantur, nos in medio relinquimus: De Mathildis, cujus Donationem commemoravimus c. I. §. X. furtivis amoribus V. quæ ex Autore Apologetici de Unitate Eccleſiæ conſervanda & Lambert. Schafnaburg. prolixe enarrat

idem

idem *Uſſer. c. V.* Et Lamberti Schafnaburg. quidem verba ſunt ad Annum M LXXVII. *Hæc vivente adhuc viro ſuo quandam viduitatis ſpeciem, longiſſimis ab eo ſpatiis excluſa prætendebat, cum nec ipſa maritum in Lotharingiam extra natale ſolum ſequi vellet, & ille Ducatus, quem in Lotharingia adminiſtrabat, negociis implicitus vix poſt tertium vel quartum annum ſemel Marcham Italicam viſeret. Poſt cujus mortem Romani Pontificis lateri pene comes individua adhærebat, eumque miro colebat affectu. Cumque magna pars Italiæ ejus pareret Imperio, & omnibus, quæ prima mortales ducunt, ſupra cæteros Terræ illius Principes abundaret, ubicunque opera ejus Papa indiguiſſet, ocyus aderat, & tanquam Patri vel Domino ſedulum exhibebat officium. Unde nec evadere potuit inceſti amoris ſuſpicionem, paſſim jactantibus Regis fautoribus & præcipue Clericis, quibus illicita & contra ſcita Canonum contracta Conjugia prohibebat, quod die ac nocte impudenter Papa in ejus volutaretur amplexibus, & illa furtivis Papæ amoribus præoccupata poſt amiſſum Conjugem ultro ſecundas nuptias contrahere detrectaret.*

IV. Clementem II. Marchia dedit, quare & commemoratum hic volumus. Natus fuit Nobili Meiendorfiorum familia nomine *Svidgeri a Meiendorf*, & primum Epiſcopus Bambergenſis, deinde Cancellarius Imperatoris, deniq; Papa factus Clementis II. Nomen tulit An. M XLVII. Quod referimus ex Iconibus & Elogiis Virorum Illuſtr. March. Edit. a CI.V. Mart. Frid. Seidelio. Inter Recentes Pontifices Urbanus IIX. e Barbarinorum Familia vel ſola Regiminis diuturnitate memorabilis eſt, quod in Annum XXI. usq; protendit. Innocentii X. regimen famoſum reddidit Donna Olympia Maldachina, Fratria ipſius, incomparabilis prudentiæ Fœmina, cui nimium indulſit, ejusq; Actionum ſpecimina peculiari *Scripto de Vita ipſius* comprehenſa ſunt. Obiit A. Ætatis LXXXII. Pontificatus undecimo. In Alexandri VII. Charactere obſervant mixturam Politicæ comitatis & ſeveritatis ac ædificandi ſtudium. In oneribus Publicis imponendis modum vel ipſum vel cognatos ſaltim non tenuiſſe communiter notum eſt. Fertur initio Regiminis ſui tria vota concepiſſe, ſe I. Pacem in Chriſtiano orbe promoturum. II. Populum Romanum ſublevaturum, & III. Cognatos ſuos Romæ non admiſſurum; Quæ, qui iniquius eum aſpexere, ita interpretati ſunt. I. Eum Porticum *Eccleſiæ Pacis* ædificaſſe. II. Eccleſiam Mariæ de Populo, quam Titulo Cardin. Presbyteri adhuc poſſidebat, inſtauraſſe. III. Agnatos ſuos non

Romæ

Romæ quidem, ſed tamen in proximo Caſtello Gandolfi recepiſſe. Qui cognationem aliquam inter ipſum & Imperatorem Turcicum obſervarunt hanc Arborem Conſanguinitatis efformant:

NANUS MARSILIUS.
Nobilis Senenſis.

Leonardus Marſilius.	*Margarita Marſilia, quæ a Turcis A. MD XXV.*
Cæſar Marſilius	*in Diſtrictu Senenſi capta Imperatori Turcico*
Alexander Marſilius	*Solimano nupſit ipſiq; genuit Selimum II. Filium.*
Laura Marſilia	*Hinc Amurathes III. & noſtro tempore*
Fabius Ghigius Nomine Alexandri VII.	*Amurathes IV. tum Ibrabim, ac deniq; Ahmed hodiernus Imperator Turcicus.*

Confer *Sprenger. N. R. L. I. c. II.* Clemens IX. Princeps æqui & Boni amans ſtudiisq; populi imprimis exceptus non ſine dolore plerorumque obiit poſt II. Annorum cum dimidio Regimen ſine præc. Anno LXIX. *Nepotiſmus* h. complexus proximorum Cognatorum Pontificiorum, horumq; evehendi ſtudium quantum noſtro ſeculo valuerit, docent adhuc ditiſſimæ Principum & Cardinalium Barberinorum, Pamfiliorum, Ghiſiorum Familiæ, quæ omnes per Pontifices M. ſuæ Familiæ emerſerunt. Neque officia extantiora aliis quam ſolis hisce committuntur: Sic Marius Ghigius Generalatum Militiæ ſtatûs Eccleſiaſtici gerebat tempore Alexandri VII. qui Frater ejus erat, Et Camillus Roſpiglioſi tempore Clementis IX. Veluti & Cardinalis Regens, *Il Cardinal Padrone*, e proximis agnatis eſt, quod usq; a tempore Johannis XVI. receptum fuit. Et ſolus Innocentius X. Cardin. Camillum Pamfilium, qui poſtmodum Aldobrandinæ amoribus illectus Dignitate Cardinalitia ceſſit, hoc honore non affecit, cujus rationem putant fuiſſe, ne ut ille a Barberinis ita & ſuus Succeſſor ab agnatis ſuis adminiſtrationis rationem poſcere, eoq; prætextu proximos ſuos excoriare poſſet. *Spreng. N. R. L. I. c. III.* Vocatur & Superintendens Generalis Status Eccleſiaſtici, committunturque ejus curæ univerſa ſumma negociorum, adeo ut ſubſcribat edicta Pontificis directa ad Principes, Nuncios & alios, ſignet reſcripta Gubernatorum, Præſidum, & aliorum Officialium Status Eccleſiaſtici. Hinc & apud Cardinales ac Legatos non minori in veneratione eſt, ac ipſe Pontifex, illoq; inſalutato ab aula recedere pro indecoro habent, nec inconſultum ducunt Actionum ſuarum rationem illi reddere. *Sprenger. ibid. c. V.*

DISSERTATIO XIV.

DE

DIGNITATIBUS SACRIS SUBORDINATIS.

CAPUT I.

Cardinalis Nomen Etymologia, Cardo, Titulus quid ſit: Origo Cardinalium, Boxbornii ſententia de Notariis Eccleſiæ: Incrementa Dignitatis Cardinalitiæ, Prærogativa præ Archi-Epiſcopis & Epiſcopis, Querelæ ea de re, Tituli Cardinalium, Prærogativæ cum Regibus ac Principibus contentio, Rationes Cardinalium, Contentio Cardinalium, & Parium Franciæ, Eorundem & Principum Sanguinis Franciæ, Legati Cæſarei & Cardinalis Tridentini, Cardinalis Colonnæ & Principum Hiſpaniæ: Officia Cardinalium, Cardinales Protectores, Legati a Latere, Nuncii Apoſtolici: Cardinalium Creatio hodierna, Habitus, Cultus, Privilegia eorundem, Contentio cum Baronibus Romanis: Ordo & numerus Cardinalium, Specimina abdicatæ hujus Dignitatis.

I.

DIgnitatum Sacrarum Subordinatarum nomine comprehendimus Dignitates Cardinalium, Patriarcharum, Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum, & quæ his adjungi poterunt. Atque a *Cardinalium Dignitate* ut inchoemus, primo circa nomen notamus, id apud veteres Latinos idem ſignificare, quod *præcipuus*, *principalis*. Sic enim quos *Sacerdotes Cardinales* vocat Leo Decr. Gregor. L. I. Tit. XXIV. c. II. atque Archi-Presbyteri curæ ſupponit, Gloſſarium ibidem *Principales* exponit. Similiter Præfectus Prætorio Aſianæ Diœceſis & Præfectus Prætorio Africanæ Diœceſis *Cardinales* vocati, haud dubie quod cæteris Officiariis Militaribus illuſtriores eſſent. Sic *Caſſiodor. L. VII. Formul. XXXI.* Urbis Romæ *Princeps Cardinalis.* Spelmann. *Gloſſar. Voc. Cardinalis*: Nequid Phyſicorum *Ventos Cardinales*, & Ethicorum *Virtutes Cardinales*, h. præcipuas adducamus. Confer *Franciſc. Duaren. de Sacr. Eccleſ. Miniſter. ac Benefic. L. I. cap. XIII. pag. 1548.*

II. Origo Vocis a *Cardo*, cujus communes ſignificationes notiſſimæ. Neque etiam Leonis IX. Etymologicus luſus prolixam diductionem meretur *Epiſt. ad Mich. c. XXXII.* qua dicit, *Clericos Romanæ Eccleſiæ Cardinales vocari, quod Summo Pontifici proxime adhærent, qui eſt velut Cardo totius Eccleſiæ. Nam ut in Cardine oſtium vertitur & regitur ac ſuſtentatur, ſic etiam a Summi Pontificis Providentia & firmitate tota Eccleſia pendet.* Sed accipi hic videtur pro *inſigniori Eccleſia DEI* aut *parochia*, quemadmodum dicitur in Capitulatione Caroli ab Anſegiſo collecta *L. I. Can. CXXXIX. Diaconos in Cardine conſtitutos in urbe Roma, niſi XXXVII. teſtibus non damnari.* Quod a Synodo Romana ſub Sylveſtro I. Anno CCCXXX. deſumptum legitur: *Presbyter Cardinalis niſi XLIV. teſtibus non damnabitur &c Spelmann. c. l.* Et Synonymum ipſi erat *Titulus Cardinalis*, quomodo Romanis dicebantur Inſigniores Parochiæ, iisque qui præficiebantur Presbyteri Cardinales; Communiter enim Titulus ſignificabat omnem memoriam Martyrum ſeu Eccleſiam, idque quia in loco ubi erat Eccleſia erigenda Crux ponebatur in Titulum. Sic *l. ult. de pagan. Cod. Theod. & l. decernimus C. de Epiſc. & Cleric. Nov. CXVII. c. VII. C. Nemo Eccleſiam de Conſecrat. Diſtinct. I. ex Concil. Aurelianenſi & in Capitularibus Franc. L. V. c. CCXXXIX. Ord. Rom. c. de Ædific. Eccleſ. p. 107.* Item Prudentius Hymn. V. Periſteph. de S. Vincentio:

> *Jam nunc & Oſſa extinxero,*
> *Ne ſit ſepulchrum funeris,*
> *Quod plebs gregalis excolat,*
> *Titulumque figat Martyris.*

Et Hymn. XII. de Paſſion. Apoſt.

Parte alia Titulum *Pauli via ſervat Oſtienſis. Vid. Baron. Martyrol. ad XXVI. Julii. Weitz. not. in cit. l. Prudent.*

III. Titulo Cardinali itaque, ſeu, cardini qui præerant, cæteroſque in eo regebant, *Cardinales* dicti, & ratione muneris ſui in ſpecie *Cardinales Presbyteri*: Qui allegendi erant dicebantur *Incardinari*; Actus allegendi *Incardinatio. V. Baron. T. II. ad An. CCLIII. n. XCV. M. Anton. de Dominis de Rep. Eccleſ. L. IV. cap. VI.* quæ quidem antiquiſſima origo hujus Dignitatis videtur: Cui acceſſere deinde per XIV. Urbis Regiones diſtributi Diaconi, quorum primo ſeptem erant, & ſinguli binis Urbis Regionibus præpoſiti, Deinde creſcen-

ſcente fidelium numero XIX. eoque pro ſingulis Regionibus ſinguli, denique plures etiam & incerto numero in unaquaque Regione, quorum primus *Diaconus Cardinalis* nominatus fuit. *Boxbornius* ſimile quid petit a Notariis Eccleſiæ per Urbis Regiones diviſis, qui geſta Martyrum olim ſcripſere, incertum quo fundamento, cum nuſpiam Cardinalium nomen ipſis attributum legatur. Verba ipſius tamen adjicienda duximus: *Non eſt mihi dubium, quin ad eos Notarios referenda ſit Cardinalium Eccleſiæ Romanæ, qui nunc ita appellantur, origo. De nominis ratione Autores non conſentiunt. Cæterum haud ambigendum eſt, quin ita appellati illi ſint a Regionibus Urbis, quarum cura ſingulis eſt demandata. Ut enim Cœli Cardines i. Regiones, ita & Urbis Cardines i. Regiones dicebantur ac iis præfecti Cardinales. Horum autem Notariorum Eccleſiæ Romanæ, qui & Cardinales eam ob cauſam, quam diximus, appellati ſunt, autoritas majora indies accepit incrementa Hiſt. Univerſ. ad Annum CI. p. 167.*

IV. Incrementa Cardinalium cum creſcente ipſa Sede Pontificia paria fuerunt: Cum enim illi Principatus temporales accederent, Pontifices ope Conſiliariorum multo ſæpius quam antea egebant; Adhibiti itaque tunc eam in rem Cardinales, omiſſis paulatim Conciliis Epiſcopalibus, quibus antea cura rerum Eccleſiaſticarum commiſſa fuerat. Potuiſſe enim hoc fieri inde confirmat *Bellarminus*, quia Pontifex M. non teneatur hos potius, quam illos in conſilium admittere. De *Clericis L. 1. c. XVI.* Sicque ipſis Epiſcopis & Archi-Epiſcopis præferri cœperunt, cum antehac Cardinalatus gradus ad Epiſcopatum eſſet, quod ſub Clemente IV. vel Alexandro III. factum putatur. Eamque ob Cauſam Archi-Epiſcopus Bracarenſis in Concilio Tridentino aliquando graviſſimam querimoniam inſtituit: Epiſcopalem autoritatem ad nihilum redactam eſſe, introducto ordine Cardinalium Epiſcopis ſuperiore, Eccleſiæ antiquitus ignorato. Qui primis temporibus reliquorum Presbyterorum & Diaconorum numero habiti, non ante X. ſeculum ſupra debitum conditioni ſuæ gradum ſeſe extuliſſe, nec tum quidem in tantum, ut ſe Epiſcopis adæquare ſuſtinuerint, quibus impares habiti fuerint usque ad Annum MCC. Ex eo tempore non modo pari cum Epiſcopis jure vixiſſe, ſed etiam tam longe ſuperiores, ut eos jam in ædibus ſuis pro ſervis habeant: *De reformatione Eccleſiæ nihil ſpei eſſe reliquum, donec Epiſcopi & Cardinales ad ſibi quisque debitum redierint*

locum. Petr. Suav. Hiſtor. Concil. Trid. L. VII. p. 688. Et Seculo XII jam tum Bernhardus ad Eugenium: *Frivolum ſatis,* inquit inter alia, *unde maxime obtinere id volunt; Nos ſumus, inquiunt, qui in omni celebritate Domino Papæ conjunctiores aſſiſtimus, ſedenti propiores, Priores ſequimur præcedentem. Hoc totum non Dignitatis Privilegium, ſed ſedulitatis debitum eſt &c.* Demum vero Principibus etiam anteferri, ac Regibus quæſiverunt. Unde non tantum Titulum *Reverendiſſimi* cum Archi-Epiſcopis & Epiſcopis, & *Illuſtriſſimi* cum Principibus communem antehac geſſerunt, ſed etiam, cum illi non amplius ſufficerent, Novum hodieque uſitatum *Eminentiſſimi* aſſumſerunt, in prærogativæ ſuæ diſcrimen & teſtimonium, quod contigit Anno MDCXXX. M. Junio. Vid. *Mercur. Gallo-Belg.* ad dictum annum, ubi ſummam Decreti a Conſiſtorio lati hanc refert: Cardinalibus ſolis aſſignari Titulum *Eminentis* & *Eminentiſſimi*, nec cuiquam ejus uſum permitti, niſi Regibus aut Imperatori, cæteris nomine *Illuſtriſſimi* contentis vivendum eſſe. Quo Titulo autem alias Grotius Regem Galliæ ſalutat: *Regum Eminentiſſime:* præf. in L. de J. B. & P. & Patricii membra Senatus Auguſti olim *Eminentiſſimi* dicti. V. *L. 1. C. de Veteran.*

V. Atque vi hujus prærogativæ jam Cardinales, ſi a Legatis Regiis in propriis etiam palatiis inviſantur, dextrum latus retinent, nec diſcedentes ulterius quam ad ſcalæ caput comitantur, cum e contrario Legati Cardinales usque ad Carrucam comitentur. *Sprenger. J. Publ. L. II. C. XXXV. Nov. Rom. L. IV. c. 1.* Rationes ipſorum quod attinet, eas fervidisſime urſerunt, cum in Prærogativæ contentionem cum Paribus Galliæ veniſſent Anno MDCXIV. Antiquitus *ipſis Principibus Sanguinis præpoſitos Cardinales: Carolum IIX. poſtquam ingenti Pompa Romæ exceptus fuerat ab Alexandro VI. vocatum, in Collegii Purpurati Conclave ceſſiſſe prima ſede Cardinalium Decano, quod confirmet plane poſitos ſupra omnes Dignitates Cardinales. Pares etiam in Parliamento Principibus e Sanguine Regio cedere ſolitos, nec ipſos negaturos, & patere ex Ordinatione Henrici III. Anno MDLXXVII. vulgata. Si itaq; Principibus cedant, E. & Cardinalibus, quorum ante Principes ſedes ſit, aut eſſe debeat. Feudis ſecularibus, quibus omne Imperii jus annexum ſit, ſuos eſſe Principes, quibus vacua Dignitas, & ſine effectu Principatus, extra fines ſuos poſitis. Eccleſiæ Principatui non eſſe terminos, niſi quos habeat univerſus Orbis, cui det Eccleſia*

Legem:

Legem: Ea ratione Cardinalium jura valere in omni loco. Parum e Dignitate Epiſcoporum eſſe, quod in Principes ſuos contendant; Lethalem fore victoriam, ſi per vana honorum aucupia vis Eccleſiaſtici Principatus reſolvatur. Romanæ Sedis hoſtium plus æquo eſſe, in Petri Cymbam omni ex parte conſpirantium, quam ut debeat civili inter Fratres diſcordia concuti. Si Cardinales Eccleſiæ Principes eſſe non diffiteantur Epiſcopi, quid controverſiam de Sede moveant? Ita in caput rebellatura humani corporis membra. Hoc uno, quod e Sacro ipſorum Collegio Summi Pontifices eligantur, prævalere infinitis ſpaciis omni Dignitati ap. Gramond. L. 1. p. 55. Quibus & prævaluerunt, placitoque ſolenni Cardinalibus prima ſedes data: Sed quod Eccleſiaſticis Paribus tantopere diſplicuit, ut Senatu ea die abſtinuerint. Principibus Sanguinis vero jam præcedenti ſeculo cedere coacti ſunt, Sanctiori Concilio in Comitiis ad Eſiæ pontem continuatis contra illos pronunciante, & Caſtellioneo ac Armeniaco Cardinalibus acquieſcentibus, & ſtatim infra Principes aſſidentibus; Turnonius tamen Lotharingus & Guiſius indignati Collegarum facilitatem maluerunt e Comitiis diſcedere. *Petr. Suav. L. V. p. 525. Thuan. L. XXIIX. ad Annum MDLXI.* Qua de re eodem diſcurſu, cujus partem modo citavimus, adhuc expoſtularunt: Ipſis etiam Regii Sanguinis Principibus anteire ſolitos Cardinales, donec nova Conſtitutione poſtponerentur: Legem inique dictam per contemptum Eccleſiæ, quo tempore Reformatis ſummum jus in Aula fuerit: Eam eſſe Principum e Sanguine Regio prærogativam, ſed pravo uſu, contra Jus vetus, & nemini ante conceſſam. Neq; ſub Annum MDLXI. convocatis Comitiis Galliæ generalibus, quibus per infantiam Caroli IX. ageretur de Regni regimine Navarro propiori e maſculis aut Medicææ parenti deferendo vocatos una cum Principibus Regii Sanguinis Cardinales, motaque de Sede controverſia Borbonium Cardinalem Condæi Fratrem, poſtquam fratri Principibusq, e Gente ſua reliquis anteiverat, poſtpoſuiſſe Sanguini Sacrum Characterem, declaratione publica, quâ notum fecit, ut Principem anteire ſe Principibus Sociis, non ut Cardinalem. Indignatos Lotharingum, Guiſium & Turnonium Cardinales ſtatim abſtitiſſe, ne præſentia ſua autorarent factum: Cardinalem Colignium, qui præſens affuerit Borbonio aſſenſiſſe, nec mirum, prævaricatum eſſe contra jura Eccleſiæ, quia Calviniſta fuerit ap. eund. *Gramond. l. c.* Sic & in Concilio Tridentino Jacobus Men-

doza Cæſareus Orator cum Cardinali Tridentino de honoratiori loco contendit, cauſatus ſibi, qui repræſentaret Cæſarem, eum locum deberi, in quo ille eſſet conſeſſurus, h. proxime Legatos Pontificios. *Sed ne iſta contentio actionem interrumperet, repertus eſt modus, quo uter eorum præcederet, non erat facile dignoſcere. Petr. Suav. L. II. p. 127.* Nec Hiſpaniæ Proceribus etiam placere hanc prærogativam Cardinalium apparuit in frigida exceptione Cardinalis Colonnæ, cum Anno MDCLXV. ad audientiam in Aula Regia admitteretur: Es hatte der Herr Cardinal Colonna endlich bey dem König Audientz/ doch ſonder alle Pracht/ eines Theils/ weil S. Eminentz mit den Groſſen am Hofe beſſer nicht können überein kommen/ als welche nicht mehr mit dem Admiranten von Caſtilien wolten umgehen/ da er den Herrn Cardina nach Hofe begleiten würde: Der Streit war um die Oberhand/ die der Herr Cardinal / nach Italiäniſcher Gewonheit/ woſelbſt faſt alle Printzen die Cardinäle oben an gehen laſſen/ haben wolte/ wozu ſich aber dieſe nicht verſtehen konten/ ſondern ein Unterſcheid zwiſchen Madrit und Rom machten. *Diar. Europ. Contin. XI. p. 439.*

VI. Officium Cardinalium ex *Bellarmino cit. L. 1. de Clericis. c. XVI* notamus eſſe. I. Quod communes habent cum Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis cæteris: *Omnes enim Cardinales*, inquit *Bellarm. aut Epiſcopale, aut Presbyteriale, aut Diaconale officium habent.* II. Officium Eligendi Summum Pontificem, quod ex Sorbonæ ſententia ideo fit, quia Cardinales ſunt totius Catholicæ Eccleſiæ Procuratores & Commiſſarii, qui nomine hujus Papam eligunt; Æquum enim eſſe, ut qui Univerſali Eccleſiæ præſit, ab Univerſali Eccleſia quoque eligatur, ap. *M. Anton. de Dom. L. IV. c. V. n. XCV.* III. Perpetuo eidem aſſiſtere, eumq; in regenda Univerſali Eccleſia conſilio & induſtria adjuvare. Qua de re jam præcedenti numero ſparſim actum. Et fatetur ipſe Bellarminus, duo poſteriora officia ſero attributa fuiſſe Cardinalibus. Singularia ipſorum munera ſunt, Regionum & Ordinum Protectoratus & Legationes a Latere. Sic Cardinalis Chiſius factus Protector Ordinis Fratrum S. Stephani Anno MDCLXVII. M. Januar. Card. Urſinus Protector Portugalliæ, Card. de Medices antehac, nunc Cardin. Sforza, Protector Hiſpaniæ, Card. Colonna antehac Protector Imperii, Cardin. d'Eſte Protector Galliæ &c. Quo quidem in munere ſuo negotia Regnorum proponunt, & beneficiorum vacantium & concedendorum curam gerunt.

Legationes a Latere conſiſtunt I. in Gubernatione Provinciarum, cum exercitio Spiritualis & Secularis Poteſtatis: Tales ſunt Legatio Avenionenſis, Bononica, Ferrarienſis II. In expediendis negotiis Aulæ Romanæ apud alios Reges vel Principes. Differuntque in eo a Nunciaturis Apoſtolicis, quod illæ, alias ratione functionis & rerum expediendarum cum Legationibus eædem, committantur non Cardinalibus. Talem in Hiſpania cum laude geſſit Clemens IX. antequam ad Pontificatum perveniret, & Alexander VII. tempore Innocentii X. in negotiis Pacis Monaſterienſis. Quibus addi poſſunt ſpeciales functiones Epiſcopatuum & Archi-Epiſcopatuum, Canonicatus & c. quorum magno numero gaudent. Cardinales vero utpote Familiares Pontificis M. eidem a Latere eſſe dicuntur. Ita jam pridem Ivo Carnot. *Ep. ad Paſchalem P. M. C. I X. Cum enim a Latere veſtro mittitis ad nos Cardinales veſtros tanquam Filios uterinos* &c. Et mox: *Dicunt Apoſtolicam Sedem ſuam aut* laterialium *ſuorum quærere commoditatem.* Et ipſo Ivo *Ep. X X X V I. Literæ Domini Papæ, quibus dictandis* a latere *interfuimus.* Non ſemel enim Ivo Romæ fuerat, eratque familiaris Urbani Papæ. V. *Juret Obſerv. ad Ivon. Epp. f. 583.* Nunciaturam vero præterea civilibus functionibus adhiberi (quod tamen & cæteri Sacri Ordinis gradus habent) docuit exemplum Mercurii Herborei Gatinaræ Cardin. qui Cancellariatus officio in Aula Caroli V. functus fuit, Ant. Gravellani Supremi Miniſtri apud Philippum II. Regem Hiſp. Cardinalium Richelii & Mazarini Supremorum Miniſtrorum in Regno Galliæ. Ipſa militaria munera ſubiiſſe patuit in Octavio & Alexandro Farneſiis, ambobus Cardinalibus & Pauli III. nepotibus, quos ille Belli adverſus Proteſtantes moti Duces conſtituit, ut aliorum ejusmodi Sacrorum militum exempla tranſeamus: Namque Juſtitiam talis militiæ peculiari ſcripto defendit *Henr. Ludov. Caſtaneus Epiſc. Pictavienſis Apologiâ pro Clericis Bellatoribus Anno 1615. Gallice.* Quod ſi ita eſt, certe Zwinglio profectio in Bellum, licet ea bellandi cauſa non eſſet, vitio verti, aut Luthero inter Catholicos picturâ habitus militaris toties illudi non debuit, cum æqualitas Ordinis aqualia etiam inter omnes jura requirat.

VII. Unum inter Officia Cardinalium reſtat, & illud quidem, quo hodie potiſſimum eminent: Nimirum quod Sacra eorum Congregatio ſeu Sacrum Collegium (his nominibus enim hac in re utun-

tur) omnes rerum Eccleſiaſticarum Deciſiones expediat, eoque ultimam analyſin omnium controverſiarum tam Theologicarum quam Canonicarum nunc præbeat. Oracula enim Romæ ceſſarunt & Pontifices M. raro aut fere nunquam definiunt, uti etiam obſervavit Jeſuita Valentia Tr. de Analyſi Fidei. Conſenſum tamen decernentibus adjiciunt, ſicque tum res pro ea, quæ de fide ſit aut pro infallibili ſaltim habenda eſt. Dixeris Regimen quoddam Monarchico-Ariſtocraticum eſſe (ſiquidem talis aut ſimilis forma regendi mixta in Principiis Politicis admittenda eſt) Pontifice M. partem, partem Cardinalibus ſibi vendicantibus, & neutro ſine alterius voluntate rem ratam eſſe cenſente: Plane ad eum modû, quo Imperator ſine Ordinibus res imperii tractare non poteſt, nec Ordines quicquam definire geſtiûnt, non accedente Imperatore. Sicque ne res exemplo careat, jamdudum exceperunt Pontificii Aſtronomi, cum ſententia aliquorum ſui Ordinis de terræ motu in Sacra Congregatione damnata eſſet; primo ſub Paulo V. Anno M DC X V I. deinde ſub Urbano IIX. Anno M DC XXIII. nihilo ſecius nondum de fide eſſe Solem moveri & Terram ſtare, quia licet Congregatio Cardinalium ſeorſim ſumpta ita cenſuerit, nondum tamen acceſſerit Pontificis Definitio. V. *Ricciol. Almag. T. I. P. I. p. 50.* Deciſiones ejusmodi Sacræ Congregationis Cardinalium ſuper interpretatione Concilii Tridentini videre eſt in Editione Decretorum Concil. Trident. Anno M DC XXXIII. & ſeqq. item in Auguſtini Barboſa Collectaneis Bullarii & Deciſionum &c. An. M DC XXXVII. Vid. *Voet. Polit. Eccleſ. P. I. L. I. p. 342.* Poteritq; illud ipſum quæſitæ ipſorum prærogativæ genuinum, ſed domeſticum, fundamentum eſſe. Nam ſi Optimates ſunt, h. membra Imperantia Reipubl. Ariſtocraticæ vel Monarchico-Ariſtocraticæ, jam ſubditis ſuperiores ſunt; Et vero ſubditi hujus Reipubl. Laici omnes, maximi, medii, infimi. E. & Principes &c. Sed hæc ex hypotheſi aliena, quibus facile ſe expediet, qui Rempublicam & Eccleſiam non differre, aut Eccleſiam eſſe in Republ. non Rempubl. in Eccleſia cogitaverit.

VIII. Creatio Cardinalium a Pontifice M. fit, idque vel proprio motu, vel ad nominationem Capitum Coronatorum, quæ inter & Reſp. Veneta numeratur. Ritus V. ap. *Spreng. J. P. II. c. XXXV.* Inter quos memorabilis eſt, quod in primo Conſiſtorio jubeantur vo-

to

Digitized by Google

to & Congregationibus abſtinere, in ſecundo autem vel tertio demum ipſis a Pontifice M. os aperiatur, quæ peculiaris in hoc Actu Phraſis eſt, ſignificatque conceſſam voti ferendi libertatem. Habitum eorum partiatim recenſitum V. ap. *eund. p. 310.* In colore variant tripliciter juxta tempora: Habentque Rubrum, purpureum & medium inter utrumque, quem nominant *il color de Roſe Secche*, quique non niſi quarta quadrageſimæ, qua benedicitur Roſa a Pontifice M. & tertia Dominica Adventus uſurpatur; In cæteris coloribus variant juxta tempora de quibus V. *Lunadoro de la Corte di Roma*, ubi tractat de Coloribus, hoc obſervato, quod ſingulis diebus Veneris utantur Colore Purpureo, quem *Pavonazzo* appellant, illoque etiam tempore Luctus veſtiantur. *Id. ib.* Cultus partem dedimus §. *IV.* quando ipſis Legatis Regiis latus dextrum præripere narravimus: Cui ſimile eſt, quod Iisdem ad Audientiam publicam admiſſis tecto adſint Capite, cum illos aperto Capite cauſam ſuam proponere oporteat. Addimus in viſitationibus, ſi Cardinales, Legati, vel Principes a Cardinalibus diſcedant, Campana ſignum dari. Requirunt & Ignis Prælationem, quo nomine inter Barones Romanos & illos aliquando contentio nata, de qua *Diar. Europ. Contin. XVI. p. 88.* Deßgleichen entſtund auch zwiſchen dem Cardinal Raſponi und dem Don Lelio Orſino einige Unluſt: Denn dieſer gab jenem / dem Cardinal / die Viſite / aber ohne brennende Fackeln / als welche Ceremonie und Ehrbezeigung die Römiſche Baronen den Cardinälen durchgehends nicht geſtehen wollen. Wie nun der Cardinal ſich deßhalben beym Papſte beſchwerete / ſo ward dem Don auferleget ſolches alſo zu thun / und ſich zugleich abbittend zu entſchuldigen / welches dieſer zwar alſo verrichtet ꝛc. Quod contigit Anno M DC LXVII. M. Jan. Quo ipſo tempore & Nova Conſtitutio hac de re Romæ ſancita fuit & a Cardinali Patrono Chiſio Conſiſtorio propoſita: Daß die neue Anordnung bey den Römiſchen Baronen / wie dieſe ſich im Viſiten geben bey den Cardinälen mit reſpect verhalten ſolten / zu keinem andern Ende gemacht worden / als nur der Cardinals Würde einen gröſſern Glantz zu geben. *Diar. Eur. c. l. p. 87.*

IX. Privilegia Cardinalium præcipua ſunt, quod ſub Regulis Cancellariæ non comprehendantur, aſſertioni eorum plene credatur, condemnatum ad mortem, ſi obviam veniant, dum ad locum executionis ducitur, liberare poſſint &c. *Sprenger. l. c.* Poſtremum

Digitized by Google

prolixis rationibus explicat *Joh. Coraſius in Quæſt. Epiſtol. c. IIX. p.* 21: *Sicuti Papam in hoc Orbe Chriſti vices agere dicimus, ita & Cardinales Diſcipulorum Chriſti Perſonam repræſentare, eſſeque velut Reipubl. Chriſtianæ Cardines &c. Unde cum fortuito reis occurrunt, cenſentur rei divinâ quadam voluntate faucibus hominum erepti & in eorum tranſiiſſe poteſtatem, qui veros Chriſti Diſcipulos referunt, ac proinde non mortem, ſed vitam concupiant peccatorum. Ezech. XIIX. Qui nec præterea zizanium a frumento diſcernunt, cum & Dominus, qui Diſcipulis ſuis dixit: Sinite utraque creſcere, hoc illis concesſerit. Matth. XIII. Poteſt deinde dici id omne ex antiquis Romanorum inſtitutis tractum: Nam & de Veſtalibus Virginibus tantâ eas præditas Majeſtate fuiſſe legimus, ut in publicum prodeuntes, ſi caſu ei, qui duceretur ad mortem, obviam fierent, interimi eum non liceret, modo dejeraſſet Veſtalis, ſe fortuito non de induſtria occurriſſe.* Reditus, quos ex beneficiis, Prælaturis & Donativis Regum ac Rerumpp. hauriunt exigui non ſunt, & ſcribit *M. Anton. De Dom. L. IV. c. V.* tantos eſſe, ut mille Epiſcopi egregie laborantes iis pecuniis ſuſtentari poſſint, quos pauci Cardinales inſumunt. Sed in horum rationes inquirere ſupra nos eſt. Ordinaria Cardinalium penſio eſt MD. Coronatorum, quam *Penſionem pauperum Cardinalium* vocant, ſed quâ pauci fruuntur, quippe Dignitati ſuæ minus congruam rati.

X. De numero Cardinalium obſervandum, eum ordinarie Septuagenario concludi, quem Papa tamen pro lubitu augere poteſt, quemadmodum ſolus Paſchalis II. nonaginta tres, & Paulus III. ſeptuaginta ad honorem hunc evexerunt. Rationem multitudinis hujus, cum antea longe pauciores eſſent, diſcere eſt ex Bulla Sixti V. de numero Cardin. edit. Anno MDLXXXVI. in *Bullar. Cherubin. T. II. p. 426. Tum ut juxta Generalis Concilii Tridentini Decretum omnium Chriſtianitatis Nationum rationem habeant, tum quia in eodem collegio multi ſenectute vel morbis frequenter gravati haud commode tanto oneri aſſidue ſuſtinendo ſufficere queunt.* De ſelectu numeri ſeptuagenarii ibidem diſſeritur: *Ut veteris Synagogæ figura Sacroſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ veritati reſpondeat, ſequi cupientes mandatum Domini factum ad Moſen de congregandis LXX. Viris de Senibus Iſraël, quos noſſet ſenes populi eſſe & Magiſtros, ut ſecum onus populi ſuſtentarent, & non ipſe ſolus gravetur &c.* Ordo eorum triplex, ad modum Cœleſtis Hierarchiæ inquit *Manfred. de Card. c. IV.* Suntque Cardinales *Epi-*

ſcopi, Presbyteri, Diaconi. Ex Epiſcopis ſeligitur Decanus Collegii qui eſt Epiſcopus Oſtienſis, in præſens Franciſc. Barbarinus. Singulorum nomina vid. ap. *Sprenger. cit. Juriſpr. P. Merul. Coſmogr.* & alios paſſim. De Characteribus Cardinalium, qui circa Annum M DC LX. extitere egregie diſſeruit idem *Spreng. Perſpicil. Chr. Orb. p. 301. cum tit. de moribus hodiernorum Cardinalium.* Quibus ſimilia ex variis ſcriptis de Conclavibus peti poſſunt. De totius hujus Dignitatis natura exſtat *Hieron. Manfredus de Cardinalatu, Onuphr. Panvin. de Orig. Cardinal.* & quos præterea exhibet *Tractatus Tractatuum T. XII.* Abdicati Cardinalatus exempla noſtro tempori propiora eluxerunt in Camillo Pamphilio Innocentii X. ex Fratre Nepote, qui cum Cardinalis Regens manere potuiſſet, Conjugium Aldobrandinæ tanto honori prætulit; Henrico, qui Portugalliæ Regnum poſt mortem Sebaſtiani, & Johanne Caſimiro, qui Regnum Poloniæ mortuo Fratre Uladislao cum Cardinalitia Dignitate commutarunt. Plura V. ap. *Sprenger. N. R. IV. IV.*

Caput II.

Patriarchæ veteris Teſtamenti, Exarchi: Patriarchæ Eccleſiaſtici primo fuerunt æquales Archi-Epiſcopis, Deinde iis ſuperiores redditi: Dignitas, tituli ac numerus eorum: Singularia de Patriarcha Conſtantinopolitano, Vita Cyrilli Lucaris, De Alexandrino, Antiocheno, Hieroſolymitano: Patriarchæ Ruſſici inſtitutio, Patriarchæ minores, Patriarchæ in Occidente, Patriarchæ Indiæ, Patriarchæ Judæorum.

I.

CArdinales recepto jam in Hierarchia ordine ſequuntur *Patriarchæ*; Tertius in Dignitate Epiſcopali gradus, & Epiſcopis ac Archi-Epiſcopis ſuperior. *Patriarcha* vi nominis eſt caput Patrum, ſeu primus Patrum; Apud Hebræos ſunt, *Raſche Aboth*, h. ſenſu concinniori, *Primores Familiarum.* Sic *Act. II. XXIX.* Liceat libere dicere apud vos de *Patriarcha David. Act. VII. IIX.* Jacob genuit *XII. Patriarchas. Hebr. VII. IV.* Decimas Abimelecho dedit *Abraham Patriarcha. Baſil. Serm. de Aſcenſ.* Patriarchas vocat primos humani generis ſatores. Extat enim nomen Patriarchæ in Epiſt. Adriani Imp. ad Servianum Conſulem ap. *Vopiſc. in Saturnino.* Sicque ſimili ſenſu, cum plures Epiſcopi ſive Presbyteri, unum ex ſuo corpore, cui primatum darent, eligerent, eum

vocarunt Πατριάρχην i. Presbyterorum ſeu Patrum primum. *Salmaſ. in Appar. p. 90.* Seu cujus ſedes principalis & independens eſſet. Apud Arabes eſt *Abuna*, q. d. Pater noſter. Aliquando & *Exarchi* vocati, h. qui primum tenerent locum ἐξάρχειν enim eſt incipire, ἔξαρχος, qui aliquid inchoat, eoque qui primum locum tenet. Quod nomen quidem cum Archi-Epiſcopis commune tulerunt, cum hoc tamen diſcrimine, quod Archi-Epiſcopi eſſent Exarchi Provinciæ, Patriarchæ autem Exarchi Diœceſeos: *Salmaſ. de Prim. c. III. p. 40. & 48.*

II. Origo poſt tempora Conſtantini M. fuit. Ut enim ante Conſtantinum nullæ notæ Diœceſes. quæ plures Provincias complecterentur, & vicariis parerent, ita nulli quoque Diœceſeon in Eccleſia Exarchi vel Patriarchæ in noticiam venerunt. *Salmaſ. de Prim. c. IV. p. 46.* Fueruntq; medio tempore cum Metropolitanis & primis Epiſcopis ſeu Primatibus plane iidem, nec rarum erat Provincias Primatum Πατριαρχειῶν, nomen gerere. Quo pertinent Gregorii Nazianzeni verba: Quid non paſſi ſumus, οὐ πρεσβυτέρων, ἐπισκόπων, οἰκειότερον ἢ πατριαρχῶν εἰπεῖν δημοσίας σφαγάς. Sed cum jam Diœceſes, h. plurum Provinciarum collectiones in Imperio naſcerentur, eadem opera Exarchi Diœceſeon in rebus Eccleſiaſticis formati, qui non amplius Metropolitanis æquales eſſent, ſed iis ſuperiores fierent, pluresque ſub ſe complecterentur. Adeo ut velut Epiſcopi ſupra Presbyteros, & Metropolitani ſupra Epiſcopos, ſic Patriarchæ ſupra Metropolitanos eſſent, eosq; dirigerent. Qui ordo elucet in *Nov. VI. c. IIX.* *Unde competit & ipſos quoq; ſanctiſſimos Patriarchas ſub ſe conſtitutas Eccleſias ordinare, & Metropolitas hoc ipſum a ſanctiſſimis Patriarchis commonitos facere, illos autem alios omnes ſub ſe poſitos Epiſcopos ad menſuram hanc deducere &c.* Et in Epilogo: *Sanctiſſimi ſiquidem Patriarchæ uniuscujusq; Diœceſis hæc proponant in Eccleſiis ſub ſe conſtitutis, & manifeſta faciant DEO amabilibus Metropolitis, qui a nobis conſtituti ſunt. Illi quoq; rurſus etiam proponant ea in Metropolitana Eccleſia ſanctiſſima & conſtitutis ſub ſe Epiſcopis hæc manifeſta faciant: Illorum vero ſinguli in propria Eccleſia hæc proponant &c.* Quæ jura vera demum a Concilio Chalcedonenſi ipſi conceſſa, quæ Patriarcharum uſurpationem in Metropolitanis ſubjugandis autoritate ſua confirmavit. Eaque erant Metropolitanos ordinare, convocare Concilia & ſuper ſuos ſupremam exercere jurisdictionem, ita ut non lice-

liceret ab eorum ſententia provocare, niſi forte ad Concilium. Fuerunt tamen, qui potuerunt ex illa communi flamma evadere, illiq; *antiquum jus retinuerunt, quo Epiſcopos ſuos libere ordinarent, & ipſi ab his ordinarentur. Salmaſ. de Pr. c. IV. p. 224.*

III. Eminentiam Patriarcharum unum Jus cum Lampade procedendi ſatis ſuperque arguit: Quo honore ſolos Imperatores olim fulſiſſe *L. I. Diſſert. VI. c. II.* tradidimus, & Cardinales hodienum *præc. cap. 1. §. VIII.* Vid. *Balſamon. L. VII. Juris Græco-Rom.* Addit vero idem privilegium Archi-Epiſcopo Bulgariæ & Cypri paucisq; aliis Metropolitanis conceſſum fuiſſe; Et Patriarchas non modo in ſua Diœceſi, ſed & extra eam cum Lampade prælucente potuiſſe progredi. Sed diſcrimen hoc inter Lampadem Imperatoris & Patriarcharum interceſſiſſe, quod Imperatoriæ Lampades duplicibus corollis aureis cancellorum ſeu ſepimenti inſtar (hoc enim δελγγώματος nomen, quo hac in re æque ac ςεφάνωμα utebantur, importat) cinctæ eſſent, Patriarcharum vero una tantum: Quorum rationem reddit, quia Imperatores divina & humana curent, & ea pariter quæ ad corpus ac quæ ad animam pertinent; Patriarchæ autem Spiritualium curam tantum habeant, ſimilemq; ob cauſam & Auguſtas una tantum Lampade fulſiſſe, quia mulieres temporalia duntaxat ſpectent, quippe quibus in Eccleſia docere vetitum ſit. V. *Gretſer. Obſerv. in Codin. L. III. c. X.* Hinc & titulis ſplendidiſſimis inſtrui oportuit, Sanctiſſimi, Omnium-Sanctiſſimi &c. qui initio orationnm ita ſcribi e ſuperiori ſeculo adhuc allegatur a *Cruſio Annal. in Turcogræc. L. VII. pag. 507.*

I. Παναγιώτατε Πατριάρχα, ἐλέῳ θεοῦ ἀρχιεπίσκοπε κωνσταντινουπόλεως, νέας Ῥώμης καὶ οἰκουμενικέ.

II. Ἁγιώτατε Δεσπότα, Πάπα καὶ Πατριάρχα Ἀλεξανδρείας, καὶ πάσης Αἰγύπτου Πενταπόλεως, Λιβύης καὶ Αἰθιοπίας.

III. Ἁγιώτατε Δεσπότα, πατριάρχα θεουπόλεως μεγάλης Ἀντιοχείας καὶ πάσης ἀνατολῆς.

IV. Ἁγιώτατε Δεσπότα, Πατριάρχα ἱεροσολύμων, ἁγίας σιὼν, συρίας, Ἀραβίας, πέραν Ἰορδάνου, κανᾶ τῆς Γαλιλαίας καὶ πάσης παλαιστίνης.

Omnium Sanctiſſime Patriarcha, Miſericordia DEI Archi-Epiſcope Conſtantinopoleos, Novæ Romæ & Oecumenice. Sanctiſſime Domine,

Digitized by Google

Papa & Patriarcha Alexandriæ & totius Ægypti, Pentapolis, Libyæ & Æthiopiæ. Sanctiſſime Domine, Patriarcha magnæ Theopolis, Antiochiæ & totius Orientis. Sanctiſſime Domine, Patriarcha Hieroſolymorum, Sanctæ Sion, Syriæ, Arabiæ, trans Jordanem, Canæ in Galilæa & totius Palæſtinæ.

Quibus titulis an dignæ Qualitates æque reſponderint, haut perinde dixerimus. Teſtatur *Malaxus in Hiſtoria Patriarchica c. XXVII.* Raphaëlem Hieromonachum, IIX. poſt inductum Imperium Turcicum communiter exoſum fuiſſe tam ob temulentiam quam ruditatem maximam: *Græca enim non callebat; ſed tantum Servire ſciebat, quoniam e Servia genus ducebat. Itaq; Service loquebatur, Græcam Linguam vero non intelligebat, ſed quando loquendum erat, interprete utebatur.* Sed gravius eſt Niphonem ſub Andronico Imp. ne literas quidem ſcribere potuiſſe, quod perhibet *Gregoras L. VII. c. XVI.* Atque alium ex monte Atho Monachum *nec ſaltem prima literarum elementa inoffenſe conjungere potuiſſe. Id. Lib. IIX. c. XVII.* Sed quæſiverunt forte Imperatores, non doctos, h. in Libris verſatos, ſed illud doctorum genus, quod rerum gerendarum gnarum eſſet. Doctrina enim Librorum cancellis concluſa nimium jejuna eſt; Et ſine Librorum ope res maximas geri poſſe noſtro ſeculo docuit exemplum Henrici Mommorantii Galliæ Conneſtabilis, & in Languedocia Proregis, de quo *Gramondus* teſtatur *ipſum non modo neſciviſſe literas, ſed ne prima quidem Elementa, ut portento*, addit, *haud abſimile videri poſſit, virum Literarum penitus rudem, ſolo naturæ genio ſummum rerum apicem aſſecutum, quem ambiguis temporibus tenuit tanta laude, ut aulicorum ætatis ſuæ Princeps fuerit, ſeu Natales, ſeu fortunam attendas, aut dotes animi. Hiſtor. Gall. L. I. ad Annum MDC XIV. pag. 50.* Ne dicamus, ruditatem eorum, ſi vitiis exortes fuerint, ſanctitate facile obvelari potuiſſe. Nam ſi procuratore egemus, non quærimus an bonus ſit Muſicus, ſi Medicus parum refert, quam palæſtræ ſit peritus; Sic his ſi ſancti eſſent, ſatis erat.

IV. Numerus Patriarcharum quinarius ſemper habitus fuit, & voce ΚΑΡΑΙ, h *Capita*, quia principales ſunt & ſedes independentes habent, non male comprehenſus, cujus ſingulæ literæ initialem alicujus eorum repræſentant: K. *Κωνςαντινυπόλεως*, Conſtantinopolitanus, A. Alexandrinus, P. Romanus, & nunc, quoniam ille exceſ-

ſit, Ruthenicus, A Antiochenus, I. Ἱερουσαλὴμ, Hieroſolymitanus: Et fuerunt, qui cum quinque ſenſibus eos compararent, ſed quos ineptiarum arguit *Salmaſ. de Prim. C. XIV. p. 231.* De Diœceſibus ipſorum monendum eſt, eas non ex ſitu Orbis ſecundum Geographica Principia æſtimandas, ſed pro ratione partiti Romani Imperii factas eſſe, unde Orientales ſæpe in meridie, meridionales in occidente quærendæ ſunt. *Baron. T. V. Ann. ad Annum CCCCXXXI.* Cur talis Sedium ſelectus eſſet, ratio haut dubie fuit: Conſtantinopolitanæ, quia Sedes Imperialis Conſtantinopolin translata fuerat; Alexandrinæ, quod Alexandria eſſet Maximum Orbis Emporium, Barathrum mundi apud *Procop. Sophiſtam*, πόλις per Excellentiam ap. Stephan. V. *Panciroll. Not. Imp. Orient. c. CXXI.* Antiocheni ſedes Antiochia erat Syriæ Comagenæ metropolis, & Hieroſolyma certiſſima Mater Eccleſiarum. De Roma Vid. *Diſſ. præced.* Ordo inter ipſos decretus fuit a Concilio Conſtantinop. I. Teſte *Eutychio Annal. Alex. Tom. I. p. 512. Statuerunt Patriarcham Romanum Ordine Primum, Conſtantinopolitanum ſecundum, Alexandrinum tertium, Antiochenum vero quartum. Epiſcopum Hieroſolymitanum etiam titulo Patriarchæ ornarunt, cum prius Epiſcopus eſſet, nec quiſquam ante illud tempus Patriarcha Hieroſolymis præfuiſſet, eique locum quintum aſſignarunt.* Romanus tamen nunquam uſurpavit hunc Titulum, quippe majus quid ſemper ſpirans. V. iterum *Salmaſ. de Prim. c. XIV. p. 233. 244.* Et Juſtinianus quidem aliquando eum Patriarcham vocavit, ſed non aliam ob cauſam, quam quia nomen illud eſſet eminentiſſimæ & ſupremæ in Eccleſia Dignitatis Id *p. 234.* Confer *C. XXI. p. 170.*

V. Conſtantinopolitani Patriarchæ Diœceſis latiſſime patuit & complexa fuit Eccleſias Græciæ, Thraciæ, Wallachiæ, Moldaviæ, Ruſſiæ, Inſularum Archipelagi, Aſiæ minoris. Veteres Diœceſes tribuebant *Aſianam, Ponticam, & Thracicam.* Erant tamen in tractibus hiſce Archi-Epiſcopi, qui ſuo jure viverent, nec Patriarchæ ſubordinarentur, Juſtinianæ primæ, h. Acredæ & Bulgariæ, Juſtinianæ ſecundæ, h. Cypri, Serviæ deinde & Iberiæ. De quorum prioribus *Nicephorus L. XVI. c. XXXVII. & lib. XVII. c. XVII. c. XXVIII. Patriæ quoque ſuæ*, inquit, *Acbrido præcipuum bonorem babens Juſtinianus, Archi-Epiſcopali dignitate eam decoravit, Eccleſiamque ibi liberam, quæ ipſa ſibi caput eſſet, cum plena poteſtate conſtituit, & primam Juſtinia-*

nam

nam vocavit, quemadmodum & in Inſula Cypro poſtea ſecundam Juſtinianam, eandem Archi-Epiſcopalem, parem ei cum Achrido honorem tribuens fecit, in conjugis ſuæ Theodoræ Auguſtæ inde orta favorem. Quod confirmant & inſcriptiones ab ipſo Patriarcha iis factæ, quas *Cruſius* enotavit *p. 508. Addi vero & Ruſſia poterit*, quæ præcedenti ſeculo exceſſit, de quo dicetur ſeq. §. X.

De Primatus controverſia inter Conſtantinopolitanum Patriarcham, & Pontificem M. egimus *Diſſ. præced. II. cap. I.* Et Oecumenici titulum gerere Inſcriptio §. III. poſita docuit, cui prorſus ſimilis eſt, quâ ipſi utuntur, veluti: *Pachomius Miſeratione DEI Archi-Epiſcopus Conſtantinopoleos, novæ Romæ, & Oecumenicus Patriarcha*, quæ extat in *Hiſtoria Malaxi ap. Cruſ. p. 149.* Sed Alexandrium quoque Oecumenicum vocari §. ſeq. tradetur. Ritus creandi antiquus iſte erat, ut tres ab Epiſcopis nominarentur, e quibus Imperator unum ſeligebat & deſignabat. Sic *Cantacuz. L. IV. c. XXXVII. Divina Sancti Spiritus gratia invocata tres in Patriarcham eligunt Philotheum &c. Electorumque nomina Imperatori ſcripta mittunt, qui Philotheum maluit.* Confirmationis loco deinde tradebat novo Candidato pedum Epiſcopale & ſ. de quibus *Condit. de Offic c. XX.* & *Phranzes L. III. Chron. c. XIX.* accuratiſſime: *Erat munus & conſuetudo Chriſtianorum Imperatorum, ut electo Patriarchæ* pedum ſeu virgam paſtoralem auream lapidibus & margaritis *diſtinctam, &* electum equum *de regio ſtabulo ſella & Phaleris regifice & ſumptuoſe ornatum albo & aureo ſtratorio tectum donarent. Et Patriarcha illi inſiliens, e Palatio toto procerum collegio ſtipante, cum fauſtis acclamationibus in Patriarcheum revertebat, atque ab Epiſcopis pro lege & more conſecrabatur. Hoc modo e manibus Imperatoris futurus Patriarcha* pedum *accipiebat, ſedente eo ſuper ſolio, regio, & tota procerum corona nudatis capitibus circumſtante, Magnus Protopapas Palatii benedictionem pronunciabat, deinde parvam. Et magnus Domeſticus pſallebat illud:* Ubi enim Regis præſentia, & quæ ſequentur, deinde Gloria. *Et Lampadarius ex altero Choro:* Et nunc & ſemper &c. item Rex cœlorum &c. *Finito autem tropario, Imperator ſurgens habet in dextra manu pedum, Accedit autem Candidatus, cujus unum latus Cæſar, alterum Heraclæ Metropolita tegit, corpus tertius omnibus inclinat, deinde ad Imperatorem accedit, & conſueta adoratione illum proſequitur. Imperator paulum attollens pedum ait: Sancta* Trinitas, quæ mihi Imperium donavit,

te

te in Patriarcham novæ Romæ deligit. *Atque ita de manibus Imperatoris Patriarcha poteſtatem ſumebat, eiq; gratias agebat. Deinde Chori pſallebant: Ad* multos annos *Domine, idq; tertio, deinde ilicet &c.* E quibus hoc inſuper notandum, Heracleenſem partem Conſecrationis, τῆς χειροτονίας explere ſolitum, h. ſollennem precum effuſionem, & Spiritus S. invocationem &c. Cujus cauſa, quia Conſtantinopolitanus, antequam iſtum dignitatis apicem aſſequeretur, ſub Heracleenſi fuit. Zonaras tamen in Imperio Conſtantini Leonis filii docet Heracleenſis loco, qui Imperatorem offenderat, Epiſcopum Cæſarienſem Patriarcham Polyeuctum conſecraſſe. Turcæ vero etiam priſcos iſtos mores retinuerunt, & Muhammedes, qui Conſtantinopolin occupavit, vix alio tritu Gennadium Scholarium creavit, nam ſuis manibus Δεκανίκιον ſeu Διακίνιον, *paſtorale pedum*, magni pretii dedit, baculum nempe argenteum inauratum, artificioſe factum. Dedit & equum bonum & certam aureorum ſummam, his verbis additis: Quod fauſtum ac felix ſit, *eſto Patriarcha, & utere noſtra amicitia, in quibus rebus voles, habens omnia jura privilegiaq;, ſicuti ſuperiores ante te Patriarchæ habuerunt, Habe quoq; templum ſanctorum Apoſtolorum domicilii loco.* Idq; ita tunc accepit & Patriarchicam ibi ſedem collocavit, ut eſt in *Hiſtor. Polit. ſeu lib. I. Turco-Græc. Cruſ. p. 15.* Verum hæc benevolentia Sultanorum in Patriarchas non diu duravit. Nam ſub iſto ipſo Muhammede Patriarchæ novem extiterunt, & præter Gennadium, qui ſponte ceſſit, vix ullus fuit, quem calumniatores de ſolio non dejecerint, vel dejici per Baſſas Turcicos curarint, introducto etiam duorum millium florenorum *Peſceſio*, quod Patriarcha recens electus pendebat, & annuo tributo totidem millium, cui *Charatzio* nomen erat. De ritu mutandi Nominis a Patriarchis recepto *V. C. I. Diſſ. V. c. II.* Inſignia ſeu ſigillum Patriarchalis Dignitatis hoc Cruſius ſuggerit: Habere τὴν Θεομήτορα, τὸν παῖδα Ἰησοῦν ἐναγκαλισμένην. Inſunt a tergo τῆς θεοτόκου nomina μρ. θυ, pueri autem IC XC: quæ leguntur, μήτηρ θεοῦ, Ἰησοῦς χριστός, Supra caput pueri, in corona, ſeu radiis, ων id eſt, ὁ ὤν.

VI. Concordiæ inter ſanctiſſimos Patriarchas Conſtantinopolitanos & Proteſtantes agitatæ & ſæpius agnitæ ratio poſtulat, ut ſpatium aliquod hic ipſi relinquamus. Sic namque jam tum cum Veteribus Evangelicis Bohemis egit Patriarcha *Nicomedes Macarius*, ſi firma unione poſſent coaleſcere, κατὰ τὴν τῆς ἀληθείας ἀπαρέγχα-

 τὸν

τῖον κάνονα ἐν ᾧ μόνῳ ἀληθῶς καὶ ἀσφαλῶς ἑνῶσθαι δυνάμεθα ἐν πᾶσι τῆς ἱερᾶς μεσιτευούσης γραφῆς τοῦ ἀληθεςάτου κριτοῦ. *Secundum inobliteratum & immutabilem veritatis canonem, in quo ſolo vere ac tuto uniri poſſumus, in omnibus mediante Scriptura S. veriſſimo judice:* Quæ verba ſunt literarum ejus Anno MCCCCLI. ad ipſos datarum. V. *Regensvolſc. Hiſt. Eccl. Slavon. lib. IV. p 482.* Secutis temporibus *Joſephus* Patriarcha *Demetrium Diaconum* Wittebergam miſit, ut Proteſtantium conditionem addiſceret, qui & Græcum Exemplar Confeſſionis Auguſtanæ An. MDLIX. a Melanchthone ſcriptum Patriarchæ attulit Inde *Jeremias* Patriarcha cum Tubingenſibus Profeſſoribus Jacobo Andreæ & Martino Cruſio amicas concertationes habuit Anno M D LXXV. Quos & τοὺς κατὰ πνεῦμα ἅγιον υἱοὺς τῆς ἡμῶν μετριότητος ἀγαπητοὺς appellat: *Dilectos in Spiritu S. Filios Mediocritatis ſuæ:* Qua abſtracta Locutione Patriarchæ de ſe ipſis uti ſolent. Literas ejus in *Cruſii Turco Græc. p. 420. 440. &c.* Poſt Patriarcha *Meletius* A. MDXCIX & MDC cum Simeone Theophilo Turnovio Supremo in majori Polonia Eccleſiarum Confeſſionis Bohemicæ Antiſtite commercia literarum inſtituit, quibus amicam ſocietatem ac mutuam tolerantiam noſtratium in Polonia & Græcorum procuravit. Literas Utriusque V. *in fin. cit. L. IV. Regensvolſc.* Denique Magnus ille *Cyrillus Lucaris* ante XL. annos circiter Patriarcha Conſtantinopolitanus ac primo Rector Scholæ Ruthenorum Oſtrogenſis, deinde Exarchus & Meletii ad Sigismundum III. Regem Poloniæ Legatus, amicè cum noſtris conſpiravit, emiſſa confeſſione, Proteſtantium doctrinæ plane ſimili, ſed iniq; a Pſeudo-Patriarchis ſecutis Cyrillo Berrhoenſi & Parthenio exactus, tandemque Martyr mortuus Anno M DCXXXVIII. Cujus unica hæc cauſſa erat, quod Catholici ægre ferrent, ipſum tam prope nos acceſſiſſe. Sed ipſos Parthenium & Cyrillum Berrhoenſem loco cedere oportuit, & qui ſucceſſit ipſis alius Parthenius Cyrilli memoriam reveritus fuit, & adverſus Calumniatores aſſeruit, de quibus omnibus, quæve ſcripta in utramq; partem eo fine emiſſa ſunt, V. iterum *Regensvolſc. L. IV. c. I. Hottinger. Topograph. Eccleſ. c. III. n. X. Hoornbeck. Summ. Controv. Lib. X.*

VII. *Patriarcha Alexandrinus* Juriſdictionem ſuam exercet in Ægyptum, Lybiam & Pentapolin, denique & in Æthiopes. Sed prædicata longe ampliora olim tulit, cum totius Eccleſiæ ſolicitudinem

nem gerere diceretur, veluti Gregorius Nazianzenus tribuit Athanaſio Alexandrino *τῆς οἰκουμένης πάσης ἐπιστασίαν, curam totius orbis*: Quanquam ea ne hodie quidem plane deſierint, quod in Titulo mox allegando clarebit. Sedem habet Alcairi & originem refert ad Marcum Evangeliſtam, de quo prolixe agit *Eutychius ſeu Said Ebn Batrik* ipſe Patriarcha Alexandrinus *Tom. I. Annal. p. 328.* Peculiare ipſi eſt cognomen *Papæ*, cujus rationem reddidimus *Diſſert. II. Cap. III.* Titulus integer ejus eſt: Joachimus aut ſim. Παπᾶς καὶ Πατριάρχης τῆς μεγάλης πόλεως Ἀλεξανδρείας, καὶ Κριτὴς τῆς οἰκουμένης. *Papa & Patriarcha magnæ urbis Alexandrinæ & Judex Orbis terræ.* Prout in literis ejus apparet ap. *Cruſ. Turco-Græc. lib. 3. p. 229.* In ſigillo gerit S. Marcum, cum inſcriptione: Ἀρχὴ τοῦ εὐαγγελίου Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ *Cruſ. p. 230.*

VIII. Antiocheni Patriarchæ titulus eſt: Michaël ἐλέῳ θεοῦ Πατριάρχης τῆς μεγάλης θεουπόλεως Ἀντιοχείας καὶ πάσης ἀνατολῆς. *Miſericordia DEI Patriarcha magnæ Theopoleos, Antiochiæ totiusq; orientis*, ex literis ipſius Patriarchæ ad Patr. Conſtantin. ap. *Cruſ. lib. IV. p. 294.* *Orientis Patriarcha* dicitur, h. Diœceſeos a Comite Orientis adminiſtratæ, cujus Partes *Palæſtina, Phœnice, Syria, Cyprus, Palæſtina Secunda, Palæſtina Salutaris, Phœnice Libani, Eufratenſis, Syria Salutaris, Oſrhoëna, Meſopotamia, Cilicia ſecunda, Arabia*; E quibus tamen Cyprus ſui juris reddita, Palæſtina Hieroſolymitano acceſſit. Antiochiæ adjectum *Theopolis* nomen decreto Juſtiniani Imp. poſtquam graviſſimis Terræ motibus aliquoties concuſſa & tantum non exciſa fuiſſet: Qua de re Joh. Meleles, ipſe Antiochenus, in Chron. MS. Λόγῳ *XIIX.* Συνέβη δὲ ἐν αὐτῷ τῷ καιρῷ ὑπὸ Θεομηνίας παθεῖν Ἀντιόχειαν τὸ ἕκτον αὐτῆς πάθος· ὁ δὲ γεγονὼς σεισμὸς κατέσχεν ἐπὶ μίαν ὥραν, καὶ μετὰ τοῦτο βρυγμοὺς φοβεροὺς, ὥστε τὰ ἀνανεωθέντα κτίσματα ὑπὸ τῶν πρώην γινομένων φόβων καταπεσεῖν, καὶ τὰ τείχη, καὶ τινὲς ἐκκλησίαι. Τάδε συμβάντα ἠκούσθη καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσι, καὶ πᾶσαι πενθοῦσαι ἐλιτάνευον. Ἔπαθεν δὲ καὶ μέρη τῶν περὶ τῆς πόλεως. Τελευτῶσι δὲ ἐν αὐτῷ τῷ σεισμῷ ἄχρι ψυχῶν πεντακισχιλίων. Οἱ δὲ περισωθέντες πολῖται ἔφυγον εἰς τὰς ἄλλας πόλεις, φανεροὶ δὲ ἐν τοῖς ὄρεσιν ᾤκουν. Ὁ δὲ Πατριάρχης Εὐφραίμιος πάντα τὰ γινόμενα ἀνήγαγεν τῷ βασιλεῖ &c. Ἐν αὐτῷ τῷ χρόνῳ μετεκλήθη Ἀντιόχεια Θεούπολις κατὰ κέλευσιν τοῦ

ἁγίου συμεὼν τοῦ Θαυματούργου εὑρέθη δὲ καὶ ἐν τῇ αὐτῇ Ἀντιοχείᾳ χρησμὸς ἀναγεγραμμένος περιέχων οὕτως. Καὶ σὺ τάλαινα πόλις Ἀντιόχου οὐ κληθήσῃ. Ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τοῖς χαρτίοις εὑρέθη τῶν τὰ Ἄκτα γραφέντων τῆς αὐτῆς πόλεως, ὅτι ἔκραζον κληδόνα διδοῦντες εἰς τὸ μετακληθῆναι τὴν αὐτὴν πόλιν, καὶ ἀνηνέχθη ταῦτα τῷ αὐτῷ βασιλεῖ Ἰουστινιανῷ. *Contigit autem eodem tempore, ut Antiochia ſexta vice divinitus pateretur, duravitq; Terræ motus horæ ſpacium, & poſt eum audire erat boatus horribiles, adeo ut inſtaurata poſt motum antehac ortum ædificia, muri & Eccleſiæ quædam corruerent: Quæ & in aliis urbibus audita ſunt, quæ omnes condoluere & preces concepere. Afflictæ autem & partes circa urbem fuerunt, mortuiq; hoc motu quinq; millia hominum, civibus ſuperſtitibus in alias urbes fugientibus, Illuſtribus vero in montanis habitantibus. Quæ Patriarcha Euphræmius omnia Imperatori retulit &c. Eodem tempore Antiochia* Theopolis *nomen accepit, mandante ita S. Simeone. Inventumq; fuit ibidem vaticinium cum hac inſcriptione: Aſt tu miſera Civitas Antiochi non vocaberis. Similiter & in Scriptis eorum, qui Acta urbis conſignarunt repertum, quod clamaverint omini dantes transnominationem Urbis.* Quæ veluti & alia multa de Statu Civili ac Sacro Antiochiæ prolixe Meleles noſter, & ſolus fere proſequitur, fideque ideo majori, quia res patriæ ſuæ certius reliquis cognitas habere potuit; Sed eum non adeo legendum, quam expectandum Lectori Hiſtoriarum amanti commendare auſimus. Sedes Patriarchæ Damaſci eſt; Originem ad D. Petrum refert, cujus etiam facies cum cruce creditur Sigillum ipſius eſſe. *Cruſius L. IV. p. 296.*

IX. *Patriarcha* Hieroſolymitanus inſcribitur: Σωφρόνιος ἐλέῳ θεοῦ Πατριάρχης τῆς ἁγίας Πόλεως ἱερουσαλὴμ, καὶ πάσης Παλαιστίνης: *Patriarcha S. Civitatis Hieroſolymæ, omnisq; Palæſtinæ. Cruſ. c. l.* Vocatus etiam *Epiſcopus Epiſcoporum* a Clemente, & Hieroſolyma a *Theodoret. Hiſtor. Eccleſ. L. V. c. XII.* μήτηρ ἐκκλησιῶν., *Mater Eccleſiarum.* Sed diu erat, cum jure iſto careret, ſubeſſetq; Cæſareenſi Epiſcopo, quia metropolis Provinciæ erat Cæſarea Palæſtina. *Hotting. Topogr. c. IV. n. VI.* De inſignibus iterum *Cruſ. p. 297. In Sigillo* ἀμυδρότερον *conſpiciebatur ad dextram aliquis ſe inclinans & tanquam manum ſiniſtrorſum porrigens alicui velut e ſepulchro ſupplices ad eum manus tendenti, a tergo cujus, tanquam Petra eminens habens in ſummo arbuſta. A tergo vero tendentis manum duæ aliæ perſonæ. In circuitu vero hujus imaginis*

totius verba hæc talibus literis: Ἡ ἀνάστασις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς ἁγίας πόλεως ἱεροσολύμων.

X. Sequitur *Patriarcha Ruſſicus*, olim quidem Conſtantinopolitano ſubditus, quia Ruſſi Conſtantinopoli Elementa Religionis Chriſtianæ & totius literaturæ acceperunt, unde & hodienum literæ eorum Græcis proxime accedunt, licet Lingua Slavonica ſit: Sed ſuperiori ſeculo ſui juris redditus; Metropolitanus enim Conſtantinopoli miſſus liberius in Baſilium invectus fuerat, quem Baſilius ea propter loco movit, aliumve ipſe conſtituit, qui in poſterum ab Epiſcopis ordinaretur. Iſtum vero perpetuo carcere attinuit, fruſtra intercedentibus Conſtantinopolitanis, atque etiam ipſo Imperatore Turcico. Mittit tamen magnus Dux Patriarchæ Conſt. quotannis adhuc D. Aureos, licet non in ſignum ſubjectionis, ſed tanquam in Eleemoſynam.

XI. Hactenus de Patriarchis proprie ſic dictis: Præter hos vero Æthiopes etiam Metropolitanum ſuum Patriarcham ſalutant. V. *Confeſſ. Zaga Zabo p. 515. & ſeq. Purchas Pelgrim. L. 1. c. XVI.* Sed nomine potius & honore, quam munere & officio, namq; non obſtante Patriarchæ & Catholici hoc Titulo Patriarchæ Alexandrino ſemper paruit. *Hotting. c. l. n. IIX.* Eum Alexandrino Patriarchæ ſubordinari, ex diœceſi ipſius eligi & ab eodem confirmari, & quæ præterea de ſtatu ipſius cognoſci juvat, docet ante dictus *Zaga Zabo* verbis ſeqq. *Primum ſciendum* ſolenni ritu Patriarcham noſtrum ab Hieroſolymitanis Monachis noſtris, qui ibi apud ſepulchrum Domini habitant, ſuffragiis creari, idque hoc modo: Vita defuncto Patriarcha ſtatim Imperator noſter Precioſus Johannes nuncium aliquem expeditum mittit Hieroſolymam ad monachos ibidem agentes, ut dictum eſt: Qui, nuncio accepto ac muneribus, quæ Imperator Dominus noſter ad ſanctum ſepulcrum dono mittit, continuo alium Patriarcham ſuffragiis plurium eligunt. Sed fas non eſt, alium, quàm Alexandrinum, eligere, ac moribus incorruptum. Quo creato, ſuffragia ſua obſignant, eaque legato, qui ad id venit, in manibus tradunt. Is ſtatim Cairum contendit, quo ubi ventum eſt, Patriarchæ Alexandrino, qui ibi ſemper ſedes habet, creationem illam legendam porrigit. Cognito autem, quem ex Alexandrinis delegerunt, virum tantis honoribus deſtinatum, cum legato in Æthiopiam mittit, qui ex veteri inſtituto Monachus ordinis Divi Antonii eremitæ debet eſſe, cum quo in Æthiopiam confeſtim nuncius proficiſcitur

Digitized by Google

tur, ubi cum magno gaudio & honore ab omnibus excipitur. In quo negocio aliquando annus unus & alter tranſigitur, interimque Precioſus Joannes de proventibus ipſius Patriarchæ pro libitu diſpenſat. Præcipuum autem Patriarchæ officium eſt, ſacros ordines dare, quos nemo, ipſo excepto, aut dare, aut auferre poteſt. Cæterum nullum Epiſcopatum aut Eccleſiæ beneficium in ullos confert. Id ſolum ad precioſum Johannem ſpectat, qui omnia pro ſuo arbitrio diſpenſat. Mortuoq; Patriarcha, cujus ditiones ac proventus ampliſſimi ſunt, ex ſolido omnium illius bonorum fit hæres. Eſt prætera Patriarchæ munus, excommunicationibus adverſus contumaces procedere, quarum tam arcta obſervatio eſt, ut prævaricatori pœna perpetuæ inediæ usque ad mortem infligatur. Indulgentias nullas dat, neque concedit. Nec pro ullo delicto, quantumcunq; magno, cuiquam Sacramenta Eccleſiæ interdicuntur, niſi tantum propter homicidia. Ipſum nomen Patriarchatus noſtro idiomate *Abunna dicitur*. Præterea Metropolitanum Babylonium Patriarcham vocant, de quo una cum Patriarchæ Eliæ literis ad Paulum V. P. M. V. *Petr. Strozza. Secret. Pontif. Tr. de Chaldæorum ſententia de Patriarcha Babylonio & Neſtorianis Aſiæ* & ex eo *Purchas c. XV.* Similiter & Seleucienſem aliquando vocant, ſed qui communius *Epiſcopi Catholici* nomen tulit, de quo idem *Purch. c. XVI. & Hotting. c. I.* Quorum ratio, quia cum quinque iſti nimis amplas haberent ſub ſe regiones & plura Regna ampliſſima & a ſede ſua diſtantiſſima, oportebat in ſingulis Regnis Primates inſtitui, quia vicaria Patriacharum poteſtate in Metropolitanos fungerentur, ſicque ipſo nomine tunc participarent, quamvis ipſi ſuo quisque Patriarchæ, alicui ex illis quinque ſubeſſe deberent. *M Anton. de Dom. L. III. c. X n. XXVII.* Sic & in Conſilio Matiſconenſi II. init. Lugdunenſis Epiſcopus Priſcus vocatur Patriarcha, qui omnium Primas erat; Item Biturıcenſis IX. *Q. III. c. Conqueſtus.* Quem & Thuanus ita nuncupat *L. C. III. Nam eam*, ait, *Dignitatem unus in Gallia Archi-Epiſcopus Biturigum obtinet.* Additque, eum tempore diſſidii a Sede Romana ſub Henrico IV. Anno MDXCII. etiam quæſitæ Poteſtatis Patriarchicæ ſuſpicione laboraſſe, *ut ipſe, qui jam Patriarcha eſſet, veluti Princeps Epiſcoporum in iis, quæ ad diſpenſationem gratiarum & Sacerdotiorum collationis ſpectant ad tempus, quam diu ſciſſura duraret, in Regno diceretur.* Deinde Aquilegienſis ac Gradenſis *Diſt. XXXII. c. Erubeſcant.* in quorum locum nunc ſuceſſit *Patriarcha Venetus*, unus in Europa,

pa, qui Titulo hoc hodienum conſtanter utitur. *Et IX. q. III. c. Nunc vero.* Gualbertum Cumanum Archi-Epiſcopum Stephanus vocat Patriarcham. Epheſina quoque Eccleſia Patriarcham habuiſſe memoratur *Evagr. L. III. c. VI. V. de Dom. ib. Dn.* Goæ Archi-Epiſcopus inter recentes Occidentales quidem, ſed ratione Eccleſiæ, eſt, qui *Patriarcha Indiæ* vocetur, h. Primas Metropolitanorum Eccleſiam Occidentalem in Oriente ſequentium.

XII. Hinc eruimus Quæſitum, an Patriarchæ differant a Primatibus? Cujus Affirmativa in iis, quæ hactenus tractavimus, liquido claret. In Negativam inclinat Reinking. & alii, quos citat *Caſtel. de Stat. & Dignit. &c. c. VI.* Sed ambiguitate vocis ludi, & Patriarchas Independentes cum Inferioribus confundi, explicatio noſtra facile evincet. Namque non ſola ratiocinia, aut potius conjecturæ, in hiſce talibus ſufficiunt, ſed ſimul, quid paſſim actum ſit, quasve ob cauſas, evolvendum eſt: Quod utinam Status, Dignitatum & Præcedentiæ Scriptores obſervarent, neque autorum farraginem in ſcriptis ſuis ſine diſcrimine Lectori obtruderent. Addimus vero ſatius futurum fuiſſe, ſi iſta Patriarcharum & Primatum differentia recepta fuiſſet, cum paucitas ſupremorum Patriarcharum ipſimet Eccleſiaſtico Regimini incommoda & pernicioſa fuerit: Illud, quia in nimium magnis, ac patentibus regionibus & a ſe remotiſſimis unus Patriarcha iis, quæ ad curam Patriarchalem ſpectant, commode non poteſt ſatisfacere; Iſtud, quia inde Primatus lites natæ, unde tot turbæ ſurrexerunt in Eccleſia. *M. Anton. de Dom. L. III. c. X. n. XLII.* Immo vero expedire, ſi pro numero regnorum vel Rerumpp. Patriarchæ ſeu Primates numerentur, inde liquet, quia Jus Religionis inter maxime conſpicua Jura Majeſtatis eſt, quod nullum fit, ſi Princeps exteri voluntati illud ſubjiciat, tum demum vero integrum manet, ſi ſeorſim vel ipſe vel per alium id exerceat. Sicque non abs re urget *de Dom. n. XLIII.* commode & opportune poſſe totam Eccleſiam Gallicam ſuum Primatem Lugdunenſem, vel alium, pro plene ſummo Patriarcha agnoſcere; Hiſpaniam Toletanum; Angliam, Scotiam & Hiberniam Cantuarienſem; Germaniam Moguntinum vel alium; Hungariam, Croatiam, Slavoniam, Boſniam Strigonienſem &c. Ita enim Beneficia Eccleſiaſtica filios proprios & non exteros poſſeſſuros, & fidelitatem Eccleſiaſticorum ſuo non alieno Principi totam inſervituram. Sed hæc omnia præſuppoſito

Hie-

Digitized by Google

Hierarchico Regimine; Noſtra Proteſtantium in Germania alia ratio eſt, quia Regiminis Eccleſiaſtici modum alium recepimus & Sereniſſimorum Principum noſtrorum hac in re jus atque autoritatem tum immediate, tum in venerandis Conſiſtoriis unice ac merito veneramur.

XIV. Judæis deinde ſuos eſſe aut ſuperioribus ſeculis fuiſſe Patriarchas doctiſſimi Molinæi verbis docebimus in *Vate L. II. c. III.* Poſt excidium Hieroſolymæ Judæi per varias regiones ſparſi cœperunt habere ſuos Patriarchas & ſub Patriarchis Apoſtolos. Patriarchæ præſidebant Judæis unius Provinciæ aut Regni. Ad eos de controverſiis inter Judæos & gravioribus negociis referebatur. Horum mentio fit C. Theodoſ. L. XVI. Tit. IIX. de Judæis Cælicolis & Samaritanis. His Patriarchis ſuberant Apoſtoli; Hi a Patriarchis in varias oras dimittebantur ad corrogandas per capita pecunias, ſive redimendi eſſent captivi, ſive Synagogæ, vel Proſeuchæ ædificandæ, ſive aliquid agendum, quod ad rem communem Judæorum pertineret. Hieronymi hæc verba ſunt c. 1. Epiſt. ad Galat. Illo intelligentiam transferamus, usque hodie a Patriarchis Judæorum Apoſtolos mitti &c.

ADDENDUM

Ad Cap. II. De Selectu Sedium Patriarchicarum ex *M. Ant. de Dom. L. III. c. X. n. XVII.*

Prima Sedes tres Patriarchales Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, (hæ enim primo Titulum hunc & privilegia accipiebant, poſt autem emergente Conſtantinopoli Conſtantinopolitana & Hieroſolymitana ab Eccleſia adjungebantur) *ut primæ eſſent Metropolitanæ in Romano Imperio, ſuppoſita neceſſitate dividendi provincias ad commodius Eccleſiaſticum regimen: & in ſingulis, unum Epiſcoporum, quaſi Præſidem & Primatem ſupra cæteros, inſtituendi: cujus eſſet potiſſimum ſuæ Provinciæ Epiſcopos conſecrare: nihil aliud effecit, neque ulla alia ratio poteſt aſſignari, niſi ſola qualitas, dignitas, & eminentia civitatum Secularis: quia ut vidimus ex Hegeſippo, illæ tres civitates in toto Imperio Romano, primas tulerunt: fueruntque typho ſeculari omnium maxime inſignes: quod ſæpius jam aſſerui & probavi. Propterea in Concilio Antiocheno, ea ratio aſſignata fuit, quare in iis civitatibus, quæ Metropoles eſſent ſeculares, Metropolitani Epiſcopi ſint collocati: eo quod, inquit, in Metropoli undi-*

dique conveniunt omnes, quicunque negotia habent. Et ſane illi, qui ſub nomine, aut Clementis, aut Anacleti, aut Aniceti, aut Stephani, Epiſtolas compoſuerunt, cum hoc ipſum perſpectiſſimum haberent, idem etiam expreſſerunt, dum Patriarcharum & Primatum inſtitutionem ad ſolam Civitatum dignitatem, & poteſtatem ſecularem reduxerunt. In illis Civitatibus, inquit Clemens, Epiſtol. 1. in quibus olim Ethnicorum erant Archiflamines, Primates poni vel Patriarchas conſtituerunt Sancti Apoſtoli. Anacletus vero: Epiſtol. 2. 3. Epiſcoporum, inquit, unus ordo eſt: licet ſint Primates illi, qui primas civitates tenent: qui & in quibuſdam locis Patriarchæ a nonnullis vocantur. Anicetus ait: Epiſtol. un. Nulli Archi-Epiſcopi Primates vocentur, niſi qui primas tenent civitates; quorum Epiſcopos Apoſtoli, & ſucceſſores Apoſtolorum regulariter Patriarchas, & Primates eſſe conſtituerunt. Stepanus Epiſt. 2. Urbes, ait, & loca, cuibus Primates præſidere debent, non a modernis, ſed etiam a multis ante adventum Chriſti, ſunt ſtatuta temporibus.

XVIII. Et Leo Magnus Taurinatenſis Concilii facto inſtructus; dum controverſiam inter Arelatenſem, & Viennenſem Archi-Epiſcopos cupit decidere; ea definienda potentiam Civitatum inſpexit, & ſecutus eſt Dignitatem: nam & partes ipſæ ſua jura inde potiſſimum explicabant, quod Civitates illæ ſeculari potentia & Dignitate eminerent. Atque ſic reſcribit: apud Baron. Tom: 6. an. 450. num. 53 54. Conſideratis allegationibus utriusque partis præſentium Clericorum, ita ſemper intra provinciam veſtram, & Viennenſem, & Arelatenſem, Civitates claras fuiſſe reperimus, ut quarundam cauſarum alterna ratione nunc illa in Eccleſiaſticis privilegiis, nunc iſta præcelleret; Cum tamen eisdem commune jus quondam fuiſſe a Gentibus proderetur, &c. Atque hinc Viennenſi etiam ſuos aſſignat Suffraganeos: & reliquos Arelatenſi relinquit.

DISSERTATIO XV.
DE
EPISCOPIS.
CAPUT I.

Epiſcopi, Speculatores, Superintendentes: Dignitas Epiſcopalis humana voce explicari nequit; Exempla eorum, qui inviti Epiſcopatibus admoti fuere: Archi-Epiſcoporum Nomen & Cognomina, Origo: Primatis Titulus: Titulus Legatorum natorum: Controverſia inter Magdeburgenſem & Salisburgenſem: Titulus Cancellarioram & Archi-Cancellariorum; Ejusdem ratio: Pallium, Ejus uſus, Deſcriptio, Ritus præparandi, Gravamina ei oppoſita: Functiones Archi-Epiſcopales: Archi-Epiſcopi Germaniæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ &c.

I.

EPISCOPI Nomen olim quoq; Græcis Latinisq; Scriptoribus notum fuit: Quotiescunq; enim illi aliquem majori cum poteſtate, quæ ſupra reliquos eſſet, deſignabant, Epiſcopum appellabant, Cicero ad Atticum *L. VII. Ep. XI.* Ego negocio præſum non turbulento; *vult n. Pompejus me eſſe, quem tota hæc Campana & maritima ora babeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus, Summa negocii referatur.* Arianus Rerum Indicarum tradit, Sexti apud Indos Generis Hominum ἐπισκόπων munus fuiſſe, videre quid in quaque Regione fieret, ut cognita ad Reges vel Magiſtratus referrent. In Attica ἐπισκόπων nomine vocabantur Prætores, qui mittebantur ad Jus dicendum in ea oppida, quæ ſub Imperio & ditione Athenienſium erant: Quæ Ἁρμόςας vocabant Lacones. Οἱ παρ' Ἀθηναίων εἰς τὰς ὑπηκόους πόλεις ἐπισκέψασθαι τὰ παρ' ἑκάστοις πεμπόμενοι, ἐπίσκοποι καὶ φύλακες ἐκαλοῦντο, οὓς οἱ λάκωνες Ἁρμοςὰς ἔλεγον. *Scholiaſtes Ariſtophanis in Avibus.* V. pl. *Stephan. Lex. ad banc Vocem.* In Jure Civili Epiſcopi etiam vocantur, *qui præſunt Pani & cæteris venalibus rebus, quæ Civitatum Populis ad quotidianum victum uſui ſunt. V. l. 18. §. 7. ff. de Muner. & Honor.* Utraque ſignificatio optime congruit Sacræ functioni Epiſcopali, quæ & Paſtoralis & Inſpectoria eſt, h. ut non tantum paſcat ac nutriat ſubjectum ſibi populum, ſed etiam veluti

in ſpecula conſtitututum Inſpectorem ejus agat, ipſo Sanguine ſuo neglectæ cuſtodiæ culpam luiturum. V. *Ezech. III. 13. & XXXIII. 7.* Latine Speculatores dici poſſunt, Epiſcopus enim quaſi Speculator in Eccleſia præpoſitus eſt. Mores enim & vitam populorum intra ſe poſitorum ſpeculatur & perſpicit. *c. cleros Diſt. 21. Eosdem Superintendentes poſſumus dicere: Ut intelligat, non ſe eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe. 8. Q. I. c. Qui epiſcopatum.* Conf. *Lancelott. Inſt. J. Can. L. I. c. V.*

II. EPISCOPALIS Dignitatis amplitudinem & Poteſtatem humana voce explicari non poſſe, haut absque re cenſuit Doctiſſ. Plocenſis Epiſcopus, *Stanislaus Lubienski, in Monitis de Epiſcopatu recte gerendo,* Divinum eſt, inquit, quod ſuſcipiunt, arduum & difficile, quod ſe effecturos profitentur. , Eorum eſt DEI in Terris obire vices, curare & efficere, ne quis eorum, qui illorum fidei commiſſi fuerint, pereat; Ut omnes rectam & orthodoxæ fidei & Chriſtianarum virtutum, quæ ſolæ hoc nomine rite cenſentur, normam teneant, denique ut ſicut in Cœlo, ſic in Terra fiat Voluntas DEI, nomenque ipſius ſanctiſſimum honorificetur. *Op. P. 11. f. 243.* Inde ſine dubio factum, ut ſanctiſſimi quique viri delatum ejusmodi honorem aſpernati fuerint, & in ſpeluncis latere, vitæ quodvis periculum adire, patria extorres eſſe & voluntarium exilium pati maluerint, quam tanto oneri ſubjicere cervicem. Sanctus Nitammon, cujus nomen Faſtis Eccleſiaſticis ad diem octavam Idus Januarii adſcriptum legimus, cum e ſolitudine, in qua ſanctiſſime vixerat, per vim traheretur, Epiſcopus Geris in Ægypto renunciandus tanto pavore conſternatus eſſe dicitur, ut inter trahentium magis, quam deducentium manus, fuſis ad DEUM precibus, impetrato fine vitæ, mori potius, quod & obtinuit, maluerit, quam diſcrimen ſalutis ex ſuſcepto Epiſcopatu adire. Idem *Lubienski ib. f. 246.* Johannes Chryſoſtomus, quantopere eam functionem vitarit, quamque pia fraude ſancto Baſilio impoſuerit, luculenter ipſe teſtatur totis *Libris VI. de Sacerdotio*, quibus ipſam gravitatem τῆς ἐπισκοπῆς & univerſæ ἱερωσύνης prolixe demonſtrat. Ambroſius quoque coactus fuit, ut Epiſcopatui vel invitus humeros ſubjiceret. *Quam reſiſtebam, ne ordinarer; Poſtremo cum cogerer, ſaltem ordinatio protelaretur. Sed non valuit præſcriptio, prævaluit impreſſio*, inquit ipſe ad Eccleſiam Vercellenſ. *Ep. LXXXII.* Conferatur recuſatæ Pontificatus & Cardinalatus Dignitatis exempla præc. *Diſſ.*

 XIII.

XIII. c. II. §. II. Et recuſati Presbyteratus exemplum edidit ipſemet Auguſtinus, qui Tagaſtæ in propria Patria, vere invitus ad Presbyteratum a plebe raptus eſt. Vt Paulianus Hieronymi Frater quoque ſumma ei vi adhibita & Diaconus & Presbyter ab Epiphanio Cyprii Epiſcopo creatus fuerit, legere eſt ap. *Hieron. Epiſt. LX.* Scribit Epiphanius ad Johannem Hieroſolymitanum, hunc ipſum Johannem prius quæſiviſſe, ut Paulinianum conſecraret: *Cum enim vidi*ſſ*em*, inquit, *quia multitudo Sanctorum Fratrum in monaſterio conſiſteret, invenire autem & comprehendere Servum DEI non poſſes, qui Te, eo quod grave onus Sacerdotii nollet ſuſcipere, ſæpe fugiebat: Sed nec alius quis Epiſcoporum facile eum reperiret; Unde & ſatis miratus ſum, quomodo Diſpenſatione DEI ad Nos venerit cum Diaconis monaſterii & cæteris Fratribus, ut mihi ſatisfacerent, quia neſcio quid adverſus eum habebam triſtitiæ.* Mox vis addita ibidem: *Cum igitur celebraretur collecta in Eccleſia villæ, quæ eſt juxta monaſterium noſtrum, ignorantem eum & nullam penitus habentem ſuſpicionem, per multos Diaconos apprehendi juſſimus & teneri os ejus, ne forte liberari ſe cupiens adjuraret nos per nomen Chriſti & primum Diaconum ordinavimus, proponentes ei Timorem DEI & compellentes, ut miniſtraret, valde quippe obnitebatur, indignum ſe eſſe conteſtans. Vix ergo compulimus eum & perſuadere potuimus Teſtimoniis Scripturarum & propoſitione mandatorum DEI. Et cum miniſtraret in ſanctis Sacrificiis, rurſus eum ingenti difficultate, tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum, & iisdem verbis, quibus antea ſuaſeramus, impulimus ut ſederet in ordine Presbyterii.* Confer *M. Anton. de Dom. de Rep. Eccleſ. L. II. c. II. §. VII.* At ſequentibus Seculis tanto labore haut opus fuit, cum amplius non ad Sacerdotia raperentur, ſed digni, indigni ſanctiſſimas iſtas functiones ad ſe raperent. Nec iſtis meliora ſunt noſtra ipſaque inſtaurati Evangelii tempora: Deſierunt ſumma iſta Ingenia, exceſſerunt Lutheri, Melanchthones, Zwinglii, Calvini, Bezæ, Brentii, qui non niſi cum tremore Sacroſancta illa Myſteria adibant. Nunc ſumma quæ ſunt ne mediocritatem quidem attingunt; Et rerum ſecuri docti, indocti ſacra nomina æque aſportamus & non-invitati invito ingenio noſtro, invita ipſamet Theologia Theologi cluimus.

III. Rei ipſi quoad generalia præc. *Diſſ. XII.* jam ſatisfactum. Cur DEI Gratia, Providentia, miſeratione ſcribiament, dictum *Diſſ. I. c. III. §. V.* Qua ſpecialia, ſeorſim tum *de Archi-Epiſcopis*, tum *de*

de Epiſcopis agendum eſt. ARCHI-EPISCOPI quaſi Ἄρχοντες τῶν ἐπισκόπων, Principes Epiſcoporum. Eosdem *Metropolitanos* dici conſtat; quod in Metropoli, Matre ſeu principaliori Urbe reſideant: V. *Tholoſan. Partit. J. Canon. L. II. Tit. IX. c. III. Hermes Faſcic. J. P. c. XXIV.* &c. Non tamen ſola nominis eſt iſta differentia, quod vulgo opinantur, V. *Stephani de Juriſd. L. III. P. I. c. VII.* Sed rei ipſius diſtincta attributa ſunt, quod in ſeqq. clarebit. Primates etiam alicubi audiunt; Ut plurimum tamen hunc titulum gerunt qui primo inter Archi-Epiſcopos loco ſunt. V. Infra §. VI. Initia cum univerſa Epiſcopali Dignitate eadem; Sicut enim ad vitanda Schiſmata in Eccleſia confuſionemque tollendam ſingulorum Epiſcoporum poteſtas certis ſedibus & Diœceſibus alligata fuit: Ita eadem ratione ut unitas & concordia inter Epiſcopos ſervaretur, Provinciæ etiam Eccleſiaſticæ diviſæ fuerunt & multiplicatæ, ut unius Provinciæ Epiſcopi in quibusdam rebus Eccleſiaſticis illi Epiſcopo ſubeſſent, qui in Metropoli Civitate ſuam ſedem haberet. Ac rurſus Metropolitani plures ſimiliter in certis caſibus & occaſionibus uni Primati, qui in Regia Civitate, ſubderentur. Ac demum & Primatibus & Metropolitanis & Epiſcopis eorum unus Patriarcha in tota integra aliqua regione in certis ſimiliter cauſis præſideret. Acceſſit ut ordinationes Epiſcoporum non a quocunque confuſe & raptim, ſed a certis & determinatis Epiſcopis, in propriis Provinciis celebrarentur. Et quia etiam Synodi Provinciales plurimum in regendis Eccleſiis & Epiſcopis corrigendis poſſunt, neque ſemper adeo facile eſt, Epiſcopos Comprovinciales in unum convenire, expediens fuit, ut Metropolitani & Primates multa ſoli abſolverent, quæ Synodi abſolvere debuiſſent, eſſentque q. totius Synodi Vicarii & Commiſſarii. *M. Anton. de Dom. L. III. c. II. n. I.* Qui & cuncta hæc ſeqq numeris prolixius demonſtrat. Conf. *Hermes Faſcic. J. P. c. XXIV.* & alios Scriptores Hierarchicæ Eccleſiaſticæ ac Juris Publici paſſim.

IV. Functiones ARCHI-EPISCOPORUM conſiſtunt, quatenus Archi-Epiſcopi ſunt, in viſitanda ſecundum Leges & Conſuetudines tota Provincia: Quatenus *Metropolitani*, in confirmandis Epiſcoporum ſuæ Provinciæ Electionibus; Conſecrandis iisdem Epiſcopis una cum aliis Epiſcopis; Convocandis Provincialibus Synodis; Moderandis iisdem Synodis & ultimo ſuffragio ferendo. Quatenus Primates ſeu Patriarchæ minores: In appellationibus ad-

 mit-

mittendis ab Inferioribus Judiciis; Et vacante Sede Epiſcopali Provinciæ ſuæ, cuſtodia Eccleſiaſticæ Jurisdictionis habenda.

V. PRIMATIS Titulo in Anglia ambo Archi-Epiſcopi utuntur, cum hoc tamen diſcrimine, ut Cantuarienſis PRIMAS totius Angliæ, Eboracenſis vero PRIMAS Angliæ tantum inſcribatur. In Gallia PRIMATIS Titulum ſibi ſingulariter vendicat Archi-Epiſcopus Lugdunenſis: Quo nomine tamen Archi-Epiſcopus Senonenſis cum eo contendit, qui PRIMAS Galliarum & Germaniæ ſalutari gaudet, *Primat des Garles & de la Germanie.* Vid. *Limn. Not. Regn. Franc. L. III. c. VI. lit. (bb).* Archi Epiſcopus Burgenſis eundem amat, ſed Titulo PRIMATIS Aquitaniæ. Controverſamum tamen inter hunc etiam fuit & Archi-Epiſcopum Burdigalenſem de Jure Primatus. *c. expoſuit de dilat. c. venerabilis de Dolo & Contum. c. humilis de Majorib. & Obed.* In Germania Magdeburgenſes Archi-Epiſcopi ex veteri Inſtituto Titulum PRIMATIS habuere; Allegatque *Matth. Stephani* literas Benedicti IV. P. M. ad Germaniæ Epiſcopos de S. Pilgrino & Paſſovienſi Eccleſia A. DCCCCLXXIX. ſcriptas, quibus Albertus Magdeburgenſis *Germaniæ Patriarcha* appelletur, *De Jurisd L. III. P. I. c. VII. num. 34.* Et rationem inſtituti hujus Primatus ibidem reddit Ottonem II. noluiſſe Germanos ad Pontificem appellare, ac proinde Archi-Epiſcopo Magdeburgenſi Jus Primatus conceſſiſſe, *ut ad bujus potius Primatis Tribunal omnes cauſæ Spirituales & Eccleſiaſticæ devolverentur, isq; ſolus de his cum Areſto dicendo ſententiam haberet.* Sed a tempore inſtaurati Evangelii Titulus ille fere ad Archi-Epiſcopum Salisburgenſem commigravit Archi-Epiſcopatu Magdeburgenſi ad Evangelicam Religionem, ac demum ad ſtatum ſecularem reducto. Is tamen & Antiquitatis majoris nomine prærogativam præ illo ſibi vendicat. Ita Goldaſt. *Polit. Imp. p. VI. p. 373. Archi-Epiſcopus Magdeburgenſis licet Primas Germaniæ ſit, & fortaſſe ratione Primatus primus illi locus deberetur, tamen Archi-Epiſcopus Salisburgenſis, cum vetuſtior eſſe memoretur, primus ipſi locus defertur.* In Polonia Gneſnenſis Archi-Epiſcopus eſt PRIMAS Regni. In Hungaria Strigonienſis. PRIMATUS Hiſpaniæ Antiquiſſimis temporibus in Hiſpalenſi fuit Eccleſia, inde vero Toletana, usque ad excidium illud Hiſpaniæ funeſtiſſimum. Toleto enim in Barbarorum poteſtatem redacto, Bracarenſis Archi-Epiſcopus ea dignitate eſt functus docentibus illud Eccleſiæ Bracarenſis

Digitized by Google

renſis Archivis; Recuperato deinde Chriſtianis Toleto, quum Toletanus amiſſam dignitatem repeteret: Bracarenſis autem ſemel acquiſitam retineret, Contentio orta eſt, quemadmodum legere eſt lib. 1. Decretal. adeo, ut adhuc ſub judice lis eſſe ſcribatur. Prævaluit tamen Toletanus, ac hodienum Primatu ſuo integro gaudet.

VI. Adhæret etiam Archi-Epiſcopis, & in ſpecie quidem Primatibus, Qualitas *Legatorum Natorum*. Legati nempe Sedis Romanæ trium generum a J. Canonici Scriptoribus exhibentur: *Legati a Latere*, quia Cardinales tanquam ex latere P. M. & ſenatu ejus ſumpti, qui poteſtate ab eodem accepta in Provincias mittuntur: De quibus actum *præced. Diſſ. XIV. C. I. §. VI.* *Legati Miſſi*, qui a P. M. in Provincias mittuntur, ſed Cardinales non ſunt: Quos Nuncios Apoſtolicos nunc vocant, de iisque itidem actum *cit. Diſſ. XIV. c. I. §. VI.* *Legati Nati* deinde ſunt, qui non ſunt miſſi de latere, ſed habent ratione Privilegii Beneficii poſſeſſi poteſtatem a Pontifice M. tq. Legati ejus, nempe occaſione Eccleſiæ, cui datur hæc facultas. *Tholoſ. Part. I. Can. L. V. Tit. III. c. I.* Seu quæ clarior eſt explicatio veteris Autoris *Vocabularii Juris in V. Legatus*, Legati Nati ſunt, qui ſuarum Provinciarum prætextu Legatione funguntur. Talis in Germania nunc eſt Archi-Epiſcopus Salisburgenſis, qui tamen & hoc nomine cum Archi-Epiſcopo Magdeburgenſi controverſari cœpit, Leguntur que Magdeburgenſes eo Titulo libero antehac uſi fuiſſe: Ut in Receſſ. Imp. Anno M D XXXII. Von GOttes Gnaden Wir Albrecht / der H. Römiſchen Kirchen Prieſter / Cardinal und gebohrner Legat / zu Maintz und Magdeburg Ertzbiſchoff ꝛc. Conſ. *Rec. Imp. de Anno XLI. & XLII.* Salisburgenſes vero neutiquam. Et eidem Receſſui de Anno XXXII. Salisburgenſis quidem ſubſcripſit Legati nomine, ſed non Legati Nati, qui Cardo controverſiæ eſt: Matthæus der H. Römiſchen Kirchen Cardinal / Ertzbiſchoff zu Saltzburg / Legat des Stuls zu Rom. Conſ. *Receſſ. Imp. de An. M D XXIX. It. de An. M D XXI.* Quæ Hermes minus rite diſtinguit, ac proinde nec Principem ſuum digne ſatis defendit. Vid. *Faſc. J. P. c. XXV. n. 6.* In Bohemia Archi-Epiſcopus Pragenſis eſt Legatus Natus Sedis Romanæ. V. *Card. Tuſch. Pract. Concl. Voc. Legatus Natus*, & ex eo *Goldaſt. de J. Regn. Bob. L. V. c. IV. num. XXVII.* In Polonia idem eſt Archi-Epiſcopus Gneſnenſis. In Hungaria Archi Epiſcopus

Stri-

Strigonienſis Legatus Apoſtolicus natus & Regni Hungariæ Primas Summusque Secretarius. *Mir. Not. Ep. Chr. O. p. 29.* In Anglia talis fuit Archi-Epiſcopus Cantuarienſis, unde præeſſe dicitur & jure Metropolitano & Iure Legationis in Provincia c. 1. de Offic. Legat. in text. V. *Vocabul. Jur. It. Tholoſ. ll. ante citt.*

VII. Præterea Cancellariorum functionem ſæpe gerunt. Sic Archi-Epiſcopus Toletanus eſt Cancellarius natus Caſtiliæ: Quo magiſtratu ſuprema & maxima auroritas ſecundùm Regiam olim continebatur. *Mar. de Reb. Hiſt. L. XII. c. III.* Id cœpit ſub Alphonſo Caſtiliæ Rege, cum graviſſima fame Hiſpania laboraſſet, & Rodericus Præſul Toletanus ſuis opibus aliosq; ſacris Concionibus adhortando, ut egenorum calmitate moverentur, multum contuliſſet: Itaque *Alphonſus in extrema ætate ſua Eccleſiam, quoniam apud eam tanquam in publico ærario optime deponi theſauros cogitabat nova multorum oppidorum ditione auxit. Toletanum Præſulem vero jure perpetuo Legeque in omne tempus lata Regni Cancellarium eſſe confirmavit, datum ante ſeptem Annos Martino deceſſori, uti ejusdem Alphonſi Diploma declarat.* Idem *Marian. l. c.* In Imperio noſtro Archi-Cancellarii ſunt tres Electores Eccleſiaſtici iidemque Archi-Epiſcopi, Moguntinus, Trevirenſis & Colonienſis. *Cum enim Germanicum Imperium tres potiſſimum partes compleăteretur, Germaniam, Italiam & eam Galliæ partem, quæ Arelatenſe regnum vocatur & in hiſce tribus partibus multi eſſent magnique Principes, multique ipſorum Cancellarii, delecti fuere tres Reverendiſſimi Electores Eccleſiaſtici, qui ſummam in his dignitatem obtinerent atque Archi-Cancellarii nominarentur. Moguntinus quidem Epiſcopus Germaniæ tanquam partis omnium maximæ ac Imperatori maxime propriæ: Colonienſis, Italiæ: Trevirenſis Arelatenſis regni.* Serar. *rer. Mogunt. lib. 1. c. 30.* Conf. *Lehman. Chron. Spir. lib. 2. c. 7.* qui & rationem ſelecti ternarii ex *Hincmari Epiſt. 3. c. 18.* porro reddit: *Nec illa ſollicitudo deerat, ſicut hoc regnum DEO Autore ex pluribus regionibus conſtat, ex diverſis etiam eisdem regionibus, aut in primo (i. e. Apocriſiarii & Comitis Palatii) aut in ſecundo (i. e. Miniſterialium) aut etiam in quolibet loco (i. e. quorumlibet Miniſtrorum) iidem Miniſtri eligerentur, qualiter familiarius quæque Regiones palatium adire poſſent, dum ſuæ genealogiæ vel regionis conſortes, in palatio locum tenere cognoſcerent.* De dignitatis hujus magnitudine quid aliæ nationes ſentiant, iſtæc ex magnæ Poloniæ Cancellarii ad literas Suediæ Regis Caro-

Caroli reſponſo indicant: *Dicis me ſcribam eſſe, & debere arma ſinere; ſum Cancellarius: Quod munus non impedit Electores Imperii, qui illud gerunt, quo minus priorem locum quam alii, Electores & Duces, ac tanti Duces, teneant.* Sed Colonienſis ac Trevirenſis Archi-Cancellariatus nunc ſi non plane nulli certe otioſi ſunt; Et Moguntinum per Italiæ ac Belgiæ partes etiam Archi-Cancellariatu frui, Bœclerus prolixe docet, *Notit. S. R. I. L. VI. c. V.* Ipſum Trevirenſem Vice-Cancellariatu Moguntini junctum fuiſſe: Eundem Alberto Brandenburgico & Electori Moguntino Wormatiæ cauſa litem moviſſe quam Archi-Cancellariatui ſuo vindicaverit, quippe in partibus Galliæ ſitam; Quæ prolixe coram Carolo V. Imp. diſputata fuerunt. Moguntino jura Archi-Cancell. ſui non tantum Wormatiæ, ſed etiam in Provincia Colonienſi libere retinente: Ita Albertus in ſcripto contra Trevirenſem. *Quid? quod Sedes Apoſtolica, quoties Legatos in Germaniam mittit, non ad illam modo partem Germaniæ, quæ in magna Germ. ſita eſt, verum etiam ad aliam, quæ inter Rhenum & Galliam media interjacet. Illic enim cumprimis Legationis munus exercere hactenus ſoliti fuere ad Germaniam miſſi Legati Apoſtolici.* Aliquanto poſt Cardinalis pergit: *Sed ultra ea non immerito me tuebitur, quod Anteceſſores Epiſcopi Moguntini per tantum temporis curriculum, cujus initium memoriam hominum excedit, fuerunt, prout & ego quoq; ſum (hac moleſtatione recenter cœpta demta) in poſſeſſione, vel quaſi pacifica & quieta juris exercendi officium Archi-Cancellariatus S. I. Rom. non Wormatiæ duntaxat, ſed & Coloniæ, Aquisgrani, ac ipſa Eccleſiæ Urbe. Quod ne ipſe quidem meus hac in cauſa Adverſarius inficias ire poterit.* Paulo poſt: *Majeſtati tuæ ſupplicabundus advolvor, ne patiaris. Germaniæ tantum vulnus infligi, Regibusq; Gallorum, qui ſuapte natura eam Germ. partem jamdudum inhiarunt, anſam invadendi illam parare, ne patiaris limites Archi-Cancellariatus mei, Eccleſiæq; meæ Moguntinæ tanto totius German. diſpendio in arctum redigi, meq; & Eccleſiam meam poſſeſſione juris in his terris exercendi detrudi.* Hactenus Albertus, neque ex eo tempore hac in cauſa aliquid amplius actum eſt. Vid. *Bœcler. loc. ante cit. & ex eo Franciſc. Irenicum Colleg. in Burgold. diſc. de Electore Mogunt.* Alibi Cancellarii non tam nati quam facti ſunt, & exempla in Hiſtor. Regnorum Galliæ, Angliæ, aliorumve paſſim proſtant. Ad ſimilitudinem exemplorum pertinet Abbatem Fuldenſem, qui Imperii German. Princeps & Abbatum Benedictini

Ordinis in Germania & Gallia primas eſt; *Auguſtæ Cancellarium natum eſſe.* Sicque Epiſcopus Veſprinienſis in Hungaria eſt Cancellarius Reginæ, quam & coronare ſolet. Archi-Epiſcopus Strigonienſis vero Summus Regni Secretarius. *Mir. Not. Ep. Chr. O. p. 29.* Eritque ſelectus hujus generalis hæc ſine dubio cauſa, quod mediis ſeculis eruditio omnis intra Monaſteriorum ſepta concluſa fuerit, ac proinde ſummo huic officio non niſi perſonas Eccleſiaſticas eaſdemque maxima Autoritate pollentes, præfici oportuit.

IIX. Inſigne Dignitatis Archi-Epiſcopalis in ſingulari collatione PALLII conſiſtit, *in quo Pontificalis officii plenitudo cum Archi-Epiſcopalis nominis appellatione confertur. C. Niſi ſpecialis 3. de Autoritate & uſu Pallii.* Atque adeo electio Archi-Epiſcopalis a PALLIO Conſummationem accipit; Eoque nomine & Juramentum fidelilitatis ab Archi-Epiſcopo Pontifici Maximo præſtandum eſt, cujus ratio redditur *C. Significaſti 4. de Elect. Cum igitur a Sede Apoſtolica veſtræ inſignia Dignitatis exigitis, quæ a beati Petri tantum corpore aſſumuntur, juſtum eſt, ut vos quoque Sedi Apoſtolicæ ſubjectionis debita ſigna ſolvaſtis, quæ vos cum beato Petro tanquam membra de membro habere & Catholici capitis unitatem ſervare declarent.* Nec Archi-Epiſcopo alios licet conſecrare, antequam hoc inſigne Dignitatis acceperit. Vid. *C. Quoniam diſt. 100.* Idemque intra tres menſes Conſecrationis Archi-Epiſcopalis petendum eſt. *c. eodem.* Et Epiſcopis ſubinde quidem etiam confertur ſed extra Ordinem & ſingulari Pontificis beneficio. Vid. *C. cum in juventute. 15. Ext. de præſumt.* Tales in Germania Epiſcopus Bambergenſis, in Gallia Dolenſis &c. Neque aliunde id commodato accipere licet, *cum pallium perſonam non tranſeat, ſed quisq; cum eo debeat ſepeliri. C. ad hoc 2. de Aut. & uſ. Pall.* Formula petendi Pallium eſt: *Ego N. Electus Eccleſiæ N. inſtanter, inſtantius & inſtantiſſime peto mihi tradi, & aſſignari Pallium de corpore S. Petri ſumptum, in quo eſt plenitudo Pontificialis officii.* Et dicitur de corpore S. Petri ſumtum; *quoniam Pallia confecta deferuntur ad Baſilicam Principis Apoſtolorum, & per Canonicos Baſilicæ ponuntur ſuper corpora S. Petri & Pauli Apoſtolorum ſub altari majore, ubi factis vigiliis illa per noctem dimittunt, deinde reſtituunt Subdiaconis, qui in loco boneſto ea conſervant.* De quo infra. Priſci Commentatores J. Canon. Joh. Andreas, Petrus Ravennas &c legi voluerunt *Palleum* non PALLIUM, rati Palleum per E eſſe nomen Dignitatis, PALLIUM ve-

Digitized by Google

vero per I honeſtatis & Laicis commune. Sed hæc ab aliis jam exploſa ſunt. Deſcriptionem PALLII hanc legere eſt apud *Joh. Steph. Turantum de Rit. Eccl. Cathol. L. II. c. IX. num. 44. PALLIUM contextum eſt de candida lana habens circulum humeros conſtringentem, & duas lineas ab utraque parte ante & retro pendentes, a ſiniſtris eſt duplex, a dextris ſimplex: Habet inſuper quatuor cruces purpureas ſcil. ante & retro, a dextris & a ſiniſtris. Rurſus in pallio inſigiuntur tres acus*, E quo Deſcriptionem ſuam deſumſit *Stephani de Jurisd. L. III. P. I. c. XII. n 12.* & ex eo *Limn. Enucleat. L. II. c. II. n. 8.* Cui mox ſubjicit: *Quæ omnia, ait Innocent. III lib. I. Myſter. Miſſ. c. 63. moralibus ſunt induta Myſteriis & divinis gravida ſacramentis. In lana ſiquidem aſperitas in Candore benignitas deſignatur; Ut erga rebelles ſeveritatem exerceat, erga humiles vero & pœnitentes pietatem: Propter quod de lana non cujuslibet animalis, ſed agni tantum efficitur, quia manſuetum eſt animal. Quod plenius enarrat auctor ſacrarum Ceremoniarum c. de Pallio. Circulus Pallii per quem humeri conſtringuntur, eſt timor Domini, per quem opera conſtringuntur, ne ad illicita defluant. Quatuor vero ſunt cruces purpureæ Auctore Raban. Maur. lib. 1. de Inſt. Cleric. c. 23. quo pallio indutus Pontifex, a tergo & pectore crucem habeat, ſuaque mente pie & digne de paſſione cogitet.* Numero Quaternario quatuor virtutes ſeu quatuor literas Hebraicas nominis Divini indicari idem putat. Tres acus explicat compaſſionem proximi, Adminiſtrationem officii, & diſtrictionem judicii: Quæ Pluribus apud ipſum videnda. Pallium ſucceſſiſſe priſco rationali Summorum Sacerdotum in Eccleſia Judaica ratiocinatur *Alcuinus de divinis officiis.* Conf. *Raban. Maurus de Inſt. Cleric.* Aliiq; Ritualium Scriptores Veteres quos collegit & edidit *Melchior Hittorpius Pariſ. 1610. fol.* Modus conficiendi talis eſt: *In die Agnetis Virginis, qui eſt Januarii dies vigeſimus primus, in templo D. Agnetis, Romæ, cum in Miſſa imploratur Agnus DEI, ſuper altare ponuntur agni duo Candidi, poſt ea traduntur baſilicæ D. Petri Subdiaconis. Hi mittunt illos in paſcua, ſuoque tempore tondent, ex eaque lana permixta reliquæ lanæ, cum in filum diducta fuerit, parantur pallia: Texuntur a Monialibus Turris Speculi. Contexta deferuntur ad corpora D. Petri atque Pauli, ac certus ibi precibus expeditis, relinquuntur per noctem unam. Altera die Subdiaconi recipiunt & honeſto loco diligenter aſſervant, donec qui opus habet Archi-Epiſcopus aut ejus Procurator ſibi dari petit. Traditur autem multis cum*

 Cere-

Ceremonialis & deferentibus mandatur, ne ſupra noctem unam, ſi modo fieri poſſit, in eodem loco ſubſiſtant aut commorentur; Et tunc in Cathedralem illius loci, & ſi non ſit ibi Cathedralis, in collegiatam, & ſi non ſit Collegiata, in Parochialem Eccleſiam remittant, & honorifice reponant. Sleidanus Comm. de St. Relig. L. XIII. & ex eo *Limn. J. P. L. III. c. III. Limn. Enucl. L. II. c. II. n. IX. Strauch. Diſſ. Exot. V. §. XII.* Querelas vero contra inſigne hoc magno numero cernere fuit, ex quo contra priſcos mores, de quibus vid. *C. novit. diſt. 100.* juſto majus precium redemtioni ejus appoſitum fuit. Inter primorum motuum cauſas in inſtaurandi Evangelii negocio certe fuit, quod Albertus Archi-Epiſcopus Moguntinus ea lege creatus eſſet, ut ſuo ſumtu Romæ Pallium redimeret. Itaque Tezelium ad declamationes Indulgentiarum conduci oportuit. *Tres enim Moguntinæ Urbis Epiſcopi, non ita longo deceſſerant temporis intervallo, Bertoldus, Jacobus, Urielus; Et grave tum erat, Collegio tantos facere ſumtus, & toties. Pallium enim conſtabat triginta fere millibus aureorum, antequam domum perferretur.* Similiter inter gravamina Ordinum Imperii Germanici de 1522. erat: Daß wenn die Teutſchen und ſonderlich die Biſchöffe ihr Pallium löſen/ oder ihre Confirmation vom Pabſt bitten wollen/ daß ſie und auch andere mercklichen beſchwert/ und viel höher als in verſchienen Jahren Geld-Summen zu erlegen gedrungen werden. Daraus gut abzunehmen/ wie viel und groſſe Strick Geld zu fangen am Päbſtl. Hof gelegt werden: Derowegen billich ſolche Aemter abgeſtellt werden ſollen. Apud *Goldaſtum* Reichs-Satzungen *Tom. 7. fol. 208.* Et inter querelas Ulr. Hutteni de depravatis moribus ſuorum Temporum eſt: *Si Roma, ut inſtitutum eſt, in Fiſcum collegiſſet, vel Germania (velut par erat) in unum contuliſſet, haberemus jam nervos Reipub. abunde ſufficientes bello Aſiatico. Nec opus foret, orbem jam fatigare Chriſtianum, & novis onerare (ne dicam exenterare) ejus quotidie pauperes tributis, & ex eo errore, pauperes facere.* Provenit, inquit porro, *Pontifici ex ſua terra vectigal, quantum nulli Regum Chriſtianorum, & tamen Pallia emimus, & tamen aſinos auro onuſtos Romam mittimus, patibula Chriſti erigimus, munera promittimus, aurum pro plumbo mutamus, negligentias (hem lapſo calamo) indulgentias paſſim admittimus. O Avaritiam immenſam carentem fundo, canum impuriſſimorum neſcientium ſaturitatem, at eſt ap. Prophetam Dan. Certe emere pallia ſanctum duco, modo id proſit aut pietati, aut valeat ad conſervandam communem utilitatem.*

Sed

Sed cum utrumq; horum tot ſeculorum experientia refutet, & pallia tantum extulerint ſimulata inſtrumenta perditiſſimæ avaritiæ; ſurgat jam aliquis, aut juſtam cauſam dandi proferat in medium, qui timeat Pontificis fulmen, Probus Epiſcopus aliquis, concordia fratrum, puraq; conſcientia electus, non faciet puto, ſed concupiſcens multis mediis aureorum emere Romanum Centonem. plur. vid. apud *Strauch. diſſert. Exot. 5. theſ. 15.* & ex eo *Burgold. part. 2. diſc. 10. membr. 4.* Imprimis *Sleidanum l. 13.* qui concludit verbis Lutheri c. Henr. D. Brunſvi. Sic adeo litis cauſam præbuit filum lineum, unde pallium conſtat: Et illud quidem nunc eſt condenſatum ac tale robur aſſumſit, ut ab eo periculum ſit Pontifici, ne ſtranguletur. Inſignia, quæ Archi-Epiſcopis cum Epiſcopis communia ſunt, capite ſequenti tractabuntur.

IX. Qua numerum Archi-Epiſcopatuum Germania antehac ſeptem numeravit, tres Electoratibus ſimul inſtructos Moguntinum, Trevirenſem, & Colonienſem; Tunc Magdeburgenſem, Salisburgenſem, Bremenſem & deniq; Rigenſem in Livonia, apud *Steph. L. III. part. I. c. VII. n. 44.* & *Gebbard. al. Weſener de Pot. Eccl. n. 126. & ſeqq.* Ubi & Conradi Celtis hoc de eo elogium eſt:

Vel pete Sauromatas ubi Revala Rigaq; ſurgunt.
Ultima de ſeptem ſedibus alta micans.

Sed ille, ſi unquam rite annumeratus fuit, ſimul Equitum Livonicorum Ordine deſiit obiitq; ultimus Archi-Epiſcopus An. MDLXII. Numerariq; loco ejus poterit Archi-Epiſcopus Biſontinus, quem Principem Imperii eſſe ſuffragium & ſubſcriptio ejus in Comitiis Imperii nos dubitare non ſinit; Magdeburgenſem & Bremenſem vero pace Monaſterienſi ſeculo redditos, & in Ducatus mutatos nemo ignorat. Pl. vid. ap. *Caſp. Bruſchium de omnibus Archi-Epiſcopatibus & Epiſcopatibus Germaniæ* in Parte I. *Chron. Gualteri p. 742. & ſeqq.* & qui pleraq; ejus ſua fecit *Stephani l. c.* Archi-Epiſcopi Hiſpaniæ itidem ſeptem ſunt, primus eſt Toletanus Caſtellæ Cancellarius, cui poſt Reges Regiamq; prolem nullus vel dignitatum vel fortunæ amplitudine ſecundus. Cæteri ſunt Hiſpalenſis, Compoſtellanus ſeu S. Jacobi, Granatenſis, Cæſar Auguſtanus, Valentinus, Tarraconenſis. Vid. *Damian. a Goes in Hiſpania, Merul. Coſmogr. p. II. lib. II. c. X.* In Portugallia ſunt Archi-Epiſcopus Bracarenſis, Oliſſiponenſis & Funchalenſis. vid. Autores modo cit. Paulus III. Pontifex Maximus

Digitized by Google

etiam Eborenſem Eccleſiam Metropolitanam fecit, primumque ibi Archi-Epiſcopum nominavit Henricum R. E. Cardinalem ac Portugalliæ Infantem, qui & cæſo in Africa Regi ſucceſſit. In Gallia numerant Archi-Epiſcopos quindecim, Lugdunenſem, Rotomagenſem, Turonenſem Senonenſem, Pariſienſem, Remenſem, qui Dux & primus par Franciæ, Vienenſem, Arelatenſem, Burgenſem ſeu Bituricenſem, Burdigalenſem, Auxitanum, ſeu Auſcenſem, Narbonenſem, Toloſanum, Aquenſem, Ambunenſem, V. *L'Eſtat de la France L. II. p. I. p. 447. & ſeqq.* In Anglia duo ſunt Cantuarienſis & Eboracenſis, de quorum juribus ac privilegiis vid. *Aut. Status Anglicani part. I. c. XVII.* In appendice ad *Cont. XIX. Diar. Europ.* Talia ſunt: *Cantuarienſis.* Præcedentia uti præ omnibus Regni officiariis ipſiſque Ducibus, Principibus extra ſanguinem Regium, unde dicitur primus Par Regni: Inaugurare Regem in Coronatione: Reditus fundorum, qui jure Homagii de ſe tenentur recipere dum heres minor eſt XXI annis, etiamſi alios fundos in capite de corona teneat heres: propriis canibus venari in quovis vivario ferarum intra ſuam Provinciam: Gratiam facere Canonum aliarumque Legum Eccleſiaſticarum per omnia Imperii Anglici Dominia quas vocant Facultates. *Eboracenſis:* Prærogativam habere ante omnes Angliæ Principes extra ſanguinem Regium, omnes etiam Regni Miniſtros excepto Cancellario, qua in re etiam a Cantuarienſi eſt differentia: ſimiliter habet jus coronandi Reginam &c. vid plur. in *Altari Damaſceno Edowardi Didoclavii cap. II.* In Scotia ſunt S. Andreanus, quem etiam Primatus regni manet & Glaſcovienſis. In Hibernia eſt Armachanus: Leguntur tamen A. MCLI. a P. M. Eugenio tertio per Joh. Paparonem quatuor Pallia Epiſcopallia totidem Epiſcopis creandis, eo perlata fuiſſe, talesque præter Armachanum fuerunt Dublinienſis Caſſilienſis & Tuamenſis ſ. Connatienſis. vid. Codicem Provincialis Romani a Miræo editum in *Chron. Chronicor. Eccleſiaſtico-Polit. Gualterii part. I. p. 45.* ITALIÆ Archi-Epiſcopi numero longe maximi ſunt: Talesque Januenſis ſeu Genuenſis, Florentinus, Piſanus, Senenſis, in Latio ipſe Pontifex Maximus, Firmianus, Amalphitanus, Beneventanus, Capuanus, Neapolitanus, Salernitanus, Surrentinus, Rhegienſis, Conſentinus, Materanus, Roſcanenſis, Sanſeverinus, Tarentinus, Lancianus, Theatinus, Sipontinus vel Manfredoniæ, Barenſis, Cannoſanus, Tranenſis, Brundiſinus, Hy-

Digitized by Google

Hydruntinus, Ravennas, Mediolanenſis, Aquilegienſis, isque Patriarchæ Titulo, Gradenſis, Taurinenſis. In quibus, ſi uſpiam, Nobile Phyſicorum Effatum fruſtra eſt: *Lumen majus tollere minus.* Lumen majus hic certe Lumina minora non ſuſtulit ſed accendit & maxime auxit. Recenſitos iſto ordine exhibet *Merula P. II. L. IV. c. XX.* In Dania talis fuit Archi-Epiſcopus Lundenſis, in Norwegia Nidroſienſis; in Suedia Upſalienſis, in Hungaria Strigonienſis. In Polonia eſt Gueſnenſis Primas Regni & Leopolitanus, ſed Græcam Religionem profeſſus, Romanæ Eccleſiæ tamen ſubordinatam.

CAPUT II.

Functiones Epiſcopales: Inſignia, Daculus, cur recurvus? De Lituis veterum: Mitra Epiſcopalis, Bicornis; Annulus Sandalia, &c. Inveſtitura Epiſcoporum in Imp. Germanico: Directorium Scriptorium de Epiſcopis ſingularum Regionum; Epiſcopi: Epiſcopi Titularii: Chor-Epiſcopi.

I.

EPISCOPI infimum inter ordines majores locum obtinent. Sunt Inſpectores & Obſervatores gregis ſibi commiſſi per certam Diœceſin curam habentes actuum Sacrorum & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, *Gebhard. al. Weſener. de Pot. Eccleſ. n. 136.* De Dignitate eorum jam paſſim actum. Vid. imprimis *Diſſ. XII. c. II. § II. Diſſ. X. c. II. § III. Diſſ. I. c. III. §. V. Diſſ. XII. c. II. §. VII.* De Titulis *Diſſ. ead. §. VI.* Functiones Epiſcopales trium generum recenſent Juris Canonici & Publici Scriptore; ſalias ex lege Diœceſana, alias lege Juriſdictionis, alias denique vi ordinis natas. Ex lege Diœceſana qua illos quoq; comprehendunt, qui aliàs juriſdictioni Epiſcoporum non ſubjacent ut Abbates, Monachos, derivant Viſitationes Eccleſiaſticas, perceptionem Synodatici, facultatem exigendi Chariſterium ſeu ſubſidium Charitativum, quartam decimationum, mortuariorum &c. Ex lege juriſdictionis pendet jus & poteſtas Epiſcopi audiendi cauſas & omnia tractandi, quæ circa judicia aguntur. Item jus puniendi, diſpenſandi, implorandi brachium ſeculare. Vi ordinis denique conſecrant perſonas, Eccleſias & apud Catholicos Veſtes de quarum conſecratione in ſpecie prolixe diſputantem. vid. Tholoſanum *Syntagm. Juris Univ. lib. XV. c. XII. n. 33.* Et ſingulariter ac prolixe iſthæc omnia diduxit *Didoclavius ante cit. Altar. Damaſc. c. III. de* Di-

Digitized by Google

Dignitate & Poteſtate Epiſcoporum Angliæ, paulum alio tamen ordine, quem inſtituta comparatione cum Epiſcopis aliarum regionum, Lectorem benevole admittere rogamus. Functio Epiſcopalis ſpectat vel ordinem Epiſcopalem, vel Jurisdictionem. *Ordinem :* Ut (1) ordinare Diaconos & Miniſtros ad præſcriptum libri ordinationum. (2) Eccleſias & loca ſepulturæ dedicare. (3) Pueros confirmare. *Jurisdictionem :* Quæ eſt Delegata vel ordinaria Lege tributa. Delegata ei nonnunquam a Principe confertur, non quatenus Epiſcopus, ſed Civis & ſubditus, ut ſi conſtituatur Eirenarcha, ſi a ſecretiori conſilio Principis Legatus mittatur ad Extraneum aliquem Principem, vel quodvis aliud honeſtum Civile munus delegatum habeat. *Jurisdictio ordinaria* Lege tributa in Diœceſi propria eſt vel jurisdictionis exercendæ nervus vel jurisdictio ipſa. *Jurisdictionis exercendæ nervus*, ut Cenſuræ Eccleſiaſticæ, eæque ſunt vel quæ & Laicis & Eccleſiaſticis poſſunt infligi, vel peculiaris in Eccleſias. Quæ Laicis & Eccleſiaſticis poſſunt infligi, ut interdictio Divinorum, monitio, ſuſpenſio vel ab ingreſſu Eccleſiæ vel a perceptione Sacramentorum, Excommunicatio, Anathematiſmus contra Hæreticum pertinacem : Peculiaris in Eccleſiaſticos, ut ſequeſtratio fructuum Eccleſiæ, ſuſpenſio ab Officio, ab Officio & Beneficio, Deprivatio, Depoſitio, eaque vel verbalis, per ſententiam, vel Realis, quæ Degradatio dicitur. Quam nempe Cenſuram una videt. Excommunicatio infligitur pro contumacia ſola vel ſe non ſiſtendo in judicio, vel non parendo mandatis Eccleſiaſticis, reliquo tam pro contumacia quam pro actualibus Delictis. *Jurisdictio* ipſa eſt vel Voluntaria vel Contentioſa. Volutaria ſtabilitur vel ſtatuto, vel jure Municipali & confirmatur Eccleſiaſtico, vel Eccleſiaſtico & confirmatur Jure Municipali. *Statuto* 1 Facultatem ad Tempus aliquod concedere veſcendi carnibus diebus alioquin vetitis. 2. Ut quis approbatus poſſit facere Medicinam vel Chirurgiam in illa Diœceſi aut pueros erudire. 3. Unire & conſolidare Eccleſias minores, juxta ſtatutum in ea parte editum. 4. Aſſiſtere Civilibus Judicibus in exequendis aliquot ſtatutis cauſas Eccleſiaſticas concernentibus. 5. Decimas & ſubſidia Principi ab Eccleſiaſticis cogere, idq; vel pignoribus captis vel per cenſuras Eccleſiaſticas. *Jure Municipali* 1. Ad Reſcriptum Regium certiores facere Civiles Judices de legitimis vel illegitimis natalibus. 2. Certificare de legitimis vel illegitimis nuptiis. 3. Regium Reſcri-

Reſcriptum requirere de Hæretico pertinaci antea condemnato, comburendo. 4. Requirere Reſcriptum Regium pro carceri mandando corpore illius, qui ultra XL. dies obſtinato animo excommunicatus perſiſtit. *Jure Municipali & Confirmatione Eccleſiaſtica.* 1. Defunctorum Teſtamenta probari & inſinuari facere 2. Ab inteſtato decedentium bona proximo agnato vel cognato adminiſtranda concedere, 3. Bona caduca (cum nullus hæreditatem adire velit) tuto cuſtodienda & colligenda, mandare. 4. Rationes adminiſtrationis hujus exigere. *Jure Eccleſiaſtico & Confirmatione Jur. Municip.* 1. Conferre Beneficia ad præſentationem aliorum 2. Inſtitutos inducendos mandare 3. Beneficiorum vacantium fructus ſub tuto ſequeſtro ad uſum proximi ſucceſſoris colligendos & cuſtodiendos mandare. 3 Congruam portionem vicario aſſignare. 5. Literas dimiſſorias vel Teſtimoniales concedere. 6. Quolibet triennio Diœceſin viſitare. Epiſcopi Anglicani tamen non viſitant ſingulas Eccleſias paticulares ſeu parœcias, ſed convocatis trium aut quatuor Decanorum Oeconomis teſtibus Synodalibus & miniſtris generali in delicta inquiſitione utuntur, & quidem ſingulis tantum trienniis. At Epiſcopi Gallicani viſitant ſingulas quotannis. *Contentioſa juriſdictio* ſpectat Curiam Epiſcopi, in quam tractantur vel *Publici intereſſe:* Ut pro contributione ad Reparationes & in Eccleſiæ Fabricam; Pro delicto vel contumelia Eccleſiaſticis puniendis. Vel *Privati intereſſe* vel in caſis matrimonii vel Succeſſionis in Bona; Vel Eccleſiaſticorum Jurium. Qualia, Decimæ prædiales perſonales mixtæ, oblationes debitæ pro conſuetudine, vel quolibet trimeſtri, vel in baptiſmis, Benedictionibus matrimonialibus &c.

II. Inſignia EPISCOPALIA ſunt. I. *Baculus.*, quem *Ferulam Paſtoralem* vocat Adamus Brem. *Ferulam Paſtoralem ſuſcepit ab Arnulpho Rege, Pallium a Papa Stephano. L. 1. c. XXXIX.* Item Virgam Epiſcopalem: *Virgam Epiſcopalem meruit ab Ottone Tertio. L. II. c. XX.* Et Cambuccam Paſtoralem ſeu Camburcam *L. 11. c. XLIX. Cambuccam Paſtoralem a Cæſare Conrado meruit.* Uſus ejus ad deſignandam functionem Paſtoralem. Idemque recurvus ad reducendas ſine moleſtia oves, immorigeros autem vel invitos retrahendos: Quæ pluribus exhibuit & commentibus hiſce interſtinguit *gl. in c. un. de ſacr. Unct.* & ex ea *Bertachinus* licet vitioſe *repertor. V. Baculus:*

In Baculi forma Præſul datur hæc Tibi Norma,
Attrahe per primum, medio rege, punge per imum,
Attrahe peccantes, rege juſtos, punge vagantes:
Attrahe, ſuſtenta, ſtimula, vaga, morbida, lenta.

Quibus addimus Deſcriptionem Baculi ex gemma *Animæ ſeu de Antiquo Ritu miſſæ L. 1. c. CCXIX. Hic Baculus ex Oſſe & Ligno efficitur, Criſtallina vel deaurata ſperula conjungitur, in ſupremo capite inſignitur, in extremo ferro acuitur. Per Baculum autoritas Doctrinæ accipitur, qua grex Dominicus a paſtore reficitur & ad paſcua vitæ compellitur; Per durum os duritia Legis; Per Lignum manſuetudo Evangelii inſinuantur; Per gemmam ſperulæ Divinitas CHRISTI; Per ſupremum Caput Regnum Cœlorum; Per extremum ferrum ultimum judicium denotatur. Ex oſſe ergo Baculus inciditur, dum ex dura Lege duritia peccantium reprimitur. Ex Ligno tornatur, dum ex Ligno vitæ Chriſto Doctrina formatur, & populus in virtutibus roboratur. Os Ligno per Gemmam connectitur, quia vetus Lex Novæ per Chriſti Divinitatem contexitur.* Quæ omnia denuo, paulum alia tamen explicatione repetuntur *ſeq. c. CCXX. de Sperula.* Pontificem M. tamen Baculo non uti docemur *c. un. de Sacr. Unct. §. fin. tum propter Hiſtoriam,* ait Textus ibidem, *tum propter Myſticam Rationem.* Prioris explicationem Gloſſa reddit: *Martialis unus de Diſcipulis Petri, quem poſuit Dominus inter Diſcipulos, cum dixit, niſi efficiamini ſicut parvulus iſte, non intrabitis in Regnum Cœlorum &c. quem poſtea Petrus cum alio ſc. S. Matthæo ad prædicandum miſit in Germaniam, & cum iret mortuus eſt; & rediit Collega ad Petrum & Petrus ait, Accipe Baculum & tangens eum dic, ut in nomine Domini ſurgat & prædicet, & ivit & XL. die a tempore mortis tetigit eum & reſurrexit & prædicavit & ita Petrus removit a ſe Baculum & dedit ſubditis.* Pro poſteriori allegat: *Quia Baculus habet in ſummitate recurvationem quaſi ad trahendum, quod non eſt neceſſarium Romano Pontifici, quia nullus ab illo divertere poteſt finaliter, quia Eccleſia non poteſt eſſe nulla. Vel quia per Baculum deſignatur coercitio ſive caſtigatio, ideo alii Pontifices recipiunt a ſuis ſuperioribus Baculos, quia ab homine poteſtatem recipiunt. Romanus Pontifex non utitur Baculo, quia poteſtatem à ſolo Deo recipit.* Quam poſtremam & Tholoſanus allegat *Synt. Jur. Un. L. XV. c. XII. n. 30.* Originem a priſcorum Romanorum Lituis, quibus Augures uſi ſunt, repetimus, *Lituus incurvus Augurum Baculus, quo utebantur ad deſignan-*

gnanda Cœli ſpacia. Serv. in VII. Æn. *Quid Lituus ille veſter, quod clariſſimum eſt inſigne Auguratus, unde vobis eſt traditus? Nempe eo Romulus Regiones direxit tum, cum urbem condidit. Qui quidem Romuli Lituus (i.e. incurvum & leviter a ſummo inflexum bovillum, quod ab ejus Litui quo canitur ſimilitudine nomen invenit,) cum ſitus eſſet in Curia Saliorum, quæ eſt in Palatio, eaq; deflagraſſet, inventus eſt integer. Cic. L. 1. de Divin.* Sed verba illa incluſa ab Eruditis pro gloſſemate habentur. De figura etiam Gellius L. V. c. IIX. *Quæri poſſe animadvertendum eſt, utrum Lituus Auguralis a tuba, quæ Lituus appellatur, an tuba a Lituo Augurum, Lituus dicta ſit? Utrumque enim pari forma & pariter incurvum eſt.* V. plur. Juſtin. in V. *Lituus.* Epiſcopos Ruſſiæ ferre Baculos in modum crucis, docet *Baro ab Herberſtein Comm. Rer. Moſcov. p. 22.* quem gentiliter, inquit, Poſſoch vocant. Paulum ante diem tradiderat Metropolitanum, *Porrecto Principi* Baculo, quem in modum crucis tuliſſet, officium reſignaſſe *c. l. p. 20.*

III. Alterum eſt Mitra ſeu Cidaris. Bicornis Mitra apud Romanos ſignificavit tegmen capitis mulierum. Vid. *l. veſtis 23. ff. de Aur. Argen &c. legat.* & *l. Quamvis 26. ff. eod. Ornamentorum eſſe conſtat, quibus uti mulieres venuſtatis & ornatus cauſa cœperunt, neque referre ſi quædam eorum alium quoque uſum præbeant, ſicuti mitræ & anademata. Quamvis enim corpus tegant, tamen ornamentorum, non veſtis eſſe.* Apud Indos in ornatu Regio habebatur. Et Indiæ Regem Mitra Aurea variis Gemmis ornata Satrapa ornare volebat ap. *Philoſtr. in Vit. Apoll n. L. 11. c. XI.* Mitra hæc noſtra imponi creditur, ut admoneat Epiſcopum, *eum omnes ſenſus capitis* Deo *conſecrare debere, ne vel oculi pateant ad videndam vanitatem, vel cæteri ſenſus, qui in capite vigent, iniquitati conſentiant, & per illos intromiſſa delectatio, inceſſet animi Sanitatem Alcuin de Div. Off. C. de ſing. veſtib.* Similis eſt Autoris Gemmæ Animæ Interpretatio *L. 1. c. CCXIV.* Mitra, *quæ caput velat, in quo ſenſus ſunt locati, eſt cuſtodia ſenſuum ab illecebris mundi in mandatis Domini, pro corona vitæ, quam repromiſit* Deus *diligentibus ſe.* Mitra *enim eſt Eccleſia, caput vero Chriſtus, cujus figuram gerit Epiſcopus.* Mitra *ergo ex byſſo facta multo labore ad candorem perducta caput Pontificis circumdat, dum Eccleſia baptiſmate mundata, labore bonorum operum candidata, caput ſuum, ſcil. Chriſtum in gloria videre anhelat, dum variis paſſionibus eum imitari pro gloriæ* cor-

Digitized by Google

corona non dubitat. Caput quoque Pontificis Mitra *decoratur, dum Eccleſia ejus doctrina illuſtrata, dignitati ejus congratulatur, dum eum turba Cleri & populi comitatur.* Cur Bicornis ſit, Tholoſanus rationem reddit: Ut ſcientiam utriusque Teſtamenti capitis ſui Ornamentum eſſe cognoſcat, & aliquo modo populo metuendus videatur. *Synt. Jur. c. l. n. 40.* Alios qui eandem reddant allegat *Durandus l. c. n. 31.* Ruſſorum Archi-Epiſcopi, Epiſcopi & Abbates Mitras Nigras & rotundas ferunt, præter Epiſcopum Novogardenſem, qui ſolus Albam Bicornem geſtat. *Baro ab Herberſt. l. c.* Anulus deinde datur in fidem Eccleſiæ ſervandam. Conceduntur & *Sandalia*, quæ vigilantiſſimam Gregis curam ſignificant; Item *veſtis linea ſumma*, quæ puritatem: *Chirothecæque*, quæ manus ab omni humana contagione conſervandas eſſe admonent. Eſt & *ſuperhumerale* cum myſterio, & reliqua ornamenta, quæ & in *Lege antiqua Sacerdotibus erat* myſtica. *Tholoſan. l. c n. 41.* In Imperio noſtro traditione Anuli & pedi Epiſcopalis inveſtitura Epiſcoporum olim peragebatur. Secutis vero temporibus omiſſâ hâc inveſtitura Regalia ab Imperatore per ſceptrum accipere cœperunt, poteſtati Epiſcopali ſedi Romanæ relicta, vid. pluribus hac de re *Burgold. Diſc. XX. membr. 1.* Et quos ille ibidem paſſim citat.

IV. Extat & apud gregorium Nazianzenum juramentum & Votum Epiſcopale, quod omni ſpeciei Epiſcoporum majorum & minorum commune erat & Chriſtianorum, incipiens:

Ὤμοσα τὸν λόγον αὐτὸν ὅμοι θεὸς ἐστι μέγιστος
Ἐξ ἀρχῆς ἀρχὴ, πατρὸς ἀπ' ἀθανάτου. &c.

Cujus ſumma eſt, ut juret, ſe fidem rectam ſervaturum, non deſerturum ſedem magnam, non quæſiturum opem aliunde, quam a Deo, humanam. Quod feciſſe Semiarianos notat Epiphanius, dum ait, ἔχοντες μεθ' ἑαυτῶν σαρκὸς δεξίαν Κωνστάντιον τὸν βασιλέα, καὶ ἀποκειμένην τὴν βασιλέως δεξιάν, Habentes ſecum & carnis dexteram Conſtantium Imperatorem & aſſimulationem præferentes, Principis dexteram. Jurat inſuper, ſe ſecundis rebus in ſuperbiam non iturum, nec malis ceſſurum, jura inter judicandum ſervaturum incorrupte, ſe victurum ſine invidia, ſine ira, ſine detractione, ſine inertia ſine odio, ſine ultione propria inimici: Quod pauperes vacuos non ſinet abire, quod verbum Dei prædicabit. Itidem *Tholoſ. l. ante cit.*

V. Se-

V. Series ac Numerus EPISCOPORUM tum apud Scriptores Rerumpp tum apud eos, qui in ſpecie de hac materia egerunt, requirendus. V. *Codicem Provincialis Romani ſeu Noticiam Epiſcopatuum Orbis Chriſtiani ab Aub. Miræo editam.* Caroli a S. Paulo *Geographiam Sacram ſeu Noticiam Epiſcopatuum Pariſ. 1641. fol.* Qui tamen Germaniam noſtram & reliquas Septentrionales partes Europæ præterit. Inter ſpecialium Regionum ac Provinciarum Scriptores: Jacobi Goar *Noticiam Epiſcopatuum Græcorum.* Ad Germaniam: Caſp. Bruſchii *Epitomen de omnibus Germaniæ Archi-Epiſcopatibus & Epiſcopatibus*, Alberti Grantzii *Metropolin.* Quam continuavit ab A. MD. ubi Crantzius deſiit usque ad A. MDLXXXV. *David Chytræus ed. cum Continuatione Wandaliæ & Saxoniæ Crantzii Witt. MDLXXXVI. fol.* *Hiſtoriam Archi-Epiſcoporum Bremenſium a Tempore Caroli M. usque ad Carolum IV.* edidit Erp. Lindenbrogius : Petrus Cratepolius Minorita *omnium Archiepiſcoporum Colonienſium & Trevirenſium a primis usq; ad modernos Catalogum brevemq; Deſcriptionem Col. 1560.* Melchior Neofaritus *Catalogum Halberſtadienſium Epiſcoporum &c.* In Gallia : *Papirii Maſſeni* Noticia Epiſcopatuum Galliæ ſeorſim edita *A. 1606. & T. I. Script. Gall. Du Cheſne f. 45.* Notitiæ II. Epiſcopatuum Galliæ *eod. T. I. Du Cheſne f. 24. & 26.* Joh. Chenu *Archi-Epiſcoporum & Epiſcoporum Galliæ Chronologica Hiſtoria. Pariſ. 1621.* *Gallia Chriſtiana, in qua Regni Franciæ Ditionumque vicinarum Diœceſes & in iis Præſules deſcribuntur* Ed. Claud. Roberto *Lingonenſi Præpoſito Pariſ. 1627. fol.* De Præſulibus Angliæ ſcripſit *Franc. Godwinus.* Autor Libri de Antiquitate Eccleſiæ Britannicæ & nominatim de Privilegiis Eccleſiæ Cantuarienſis atque de LXX. Archi-Epiſcopis ejus autor eſt Packerus Archi-Epiſcopus. V. *Cooke LIV. Inſtit c. LXXIV. f. 322.* Ferdin. Ughellium de Italiæ Epiſcopis citat *Caſalius de Imp.* De Claris Hiſpaniæ Scriptoribus & Epiſcopis Scriptores varii extant. *T. II. Scr. Hiſp. f. 1.* EPISCOPI Exempti ſingulariter audiunt, qui Archi-Epiſcopo nulli ſubordinantur; Sed immediate Summo Eccleſiæ Capiti ſubjecti ſunt, veluti, Suffraganeos vice verſa vocant, qui Diœceſi Archiepiſcopali ſubſunt. Tales ſunt in Italia Epiſcopus *Caſinenſis* in Diœceſi Capuana; In Diœceſi Neapolitana *Averſanus*, In Salernitana *Ravellenſis*, In magnæ Græciæ Diœceſi Conſentina *Divi Marci & Melitenſis*, In Roſſanenſi cum nulli ſint ſuffraganei, Exemptus tamen eſt *Biſinianus ſeu Biſigna-*

gnanenſis, In Sipontina *Monopolitanenſis*, *Rappolenſis*, *Trajanenſis*, *Veſcanenſis*. In Hydruntina ſeu Otranto *Neritonenſis*, quem Alexander VII. B. m. geſſit ante adeptam Papalem Dignitatem. In Mediolanenſi *Ferrarienſis & Papienſis*. V. *Moral. Deſcr. Ital. c. XX.* Confer Miræum *in Notic. Ep. Chr. O.* In Germania noſtra Exemptus talis eſt Epiſcopus Bambergenſis: *Quem Henricus Sanctus Imperator Immunem fecit ob omni Jugo Epiſcopali, ita ut in omnibus cauſis ac proceſſibus non aliter quam Archi-Epiſcopus aliquis in ſua Diœceſi procedere ſoleat.* Bruſch. de Ep. Germ f. 1096. Similiter *Ratisbonenſis* ab omni Archi-Epiſcopali Jugo liber & exceptus eſt *Bruſch. c. l. p. 746.* Idem Miſnenſi Epiſcopatui quoque obtigit. In Moravia *Olomucenſis* Epiſcopus exemptus & immediate ſub Papa Romano conſiſtere nunc perhibetur. Quod Jus videtur poſt vaſtatum ab Haſſitis collapſum & jacentem Archi-Epiſcopatum Pragenſem conſecutus eſſe *Goldaſt. del. Regn. Bob. L. V. c. V. n. 13.* In Sileſia Epiſcopus *Vratislavienſis* olim ſuberat Metropoli Gneſnenſi in Polonia, ſed itidem hodie exemptus & immediate ſub Papa eſt. *Goldaſt. L. d. c. VI. n. 9.* In Boruſſia *Warmienſis*, ſolius Romani Pontificis Imperium agnoſcit. *Mir. l. ſæp. cit. p. 33.* In Hiſpania *Leonenſis & Ovetenſis* nullum hodie agnoſcunt Metropolitanum, adeoque ſedi Romanæ tantummodo ſubſunt. *Mir. l. c. p. 40.* Atque hinc ratio etiam pendet, cur *Pallium* Epiſcopis aliquibus conferri ſoleat. Nimirum quia ſingulari Exemptionis Beneficio Archi-Epiſcopis æquiparantur: Unde ſingulari iſto Archi-Epiſcoporum inſigni fruuntur.

VI. Sunt etiam *Titularii* Epiſcopi, quos ita vocat Synodus Tridentina, Ambulatorii & Portativi alias dicti. Hi veri Epiſcopi aſſecuti ſunt dignitatem poteſtatem & Titulum, verum non potiuntur fructibus ſui Beneficii vel Eccleſiæ ſuæ, Epiſcopali ſede ab aliis occupata. *Ambulatorii & mobiles dicti Epiſcopi, quod veluti a propriis exules, poſſint ubicunque pervenerint conſentiente loci Epiſcopo, & eo delegante, munus Epiſcopale obire. Poteſt namque quidem Epiſcopus in ſua ſede, quæ Juriſdictionis ſunt, cuilibet delegare, etiam non Epiſcopo, at quæ ordinis ſunt, non poteſt niſi Epiſcopo. Quare hic Epiſcopus Titularius, poterit, ut delegatus ea, quæ ordinis ſunt Vice-Epiſcopi in Epiſcopatu alieno peragere, veluti Clericos ordinare, virgines aut Chriſma conſecrare, & reliqua, quæ miniſterium exigunt conſecrationis perficere: Epiſcopatus iſti titularii retinent prioris ſtatus umbram &*

eos,

eos, quibus conferuntur, impellunt quodammodo, ſi Zelo Chriſtianæ fidei teneantur, eo ubi ſunt proficiſci, ut experiantur, ſi quid ex grege poſſint vel reſtituere in priſtinam ſalutem, vel ſi qui adhuc inibi ſunt, ſi liceat eo proficiſci, in fide conſervent ac nutriant. Tholoſan. ſæpe cit. Synt. Jur. Univ. L. XV. c. XII. n. 44. 45. *Et meo judicio*, inquit porro, *non alia ratione conferri debent iſti Epiſcopatus, nec aliis, quam operariis pro vinea Domini mori paratis: Alioquin enim mihi videtur valde ambitioſus, & injuriam Eccleſiæ DEI irrogare, qui probibitam μετάϐασιν & tranſitionem in alienos Epiſcopatus prætextu ſpecioſi tituli, aucupatur, nullo modo de grege quem deſideravit ſollicitus.* Confer quæ ſuperius hac de re diximus *Diſſ. XII. c. II. §. IIX.*

VII. Chorepiſcopi, Græcis χωρεπίσκοποι, erant vicarii ab Epiſcopis in aliquem locum Diœceſeos miſſi, ut notat Budæus ex Baſilio. De iſtis Damaſus Papa tractat. Erat illis officium cum Epiſcopis commune fere in omnibus, demto quod erigere altaria non poſſent, nec Eccleſias conſecrare, nec per impoſitionem manuum fidelibus baptizatis, vel converſis hæreticis Paracletum Spiritum tradere, non Chriſma conficere, non baptizatorum frontes chriſmate ſignare, non publice quemquam pœnitentem in Miſſa reconciliare, autore Leone ſum. Pontif. de Chorepiſcopis. Concilium ſub Carolo Magno Aquiſgrani habitum, Ancyrenſe ſtatuit, ne quicquam facerent absq; licentia Epiſcopi, in cujus eſſent Diœceſi, quod & in concilio Laodicenſi ſtatutum eſt. Meminit & Concilium Oecumenicum Chalcedonenſe, ne Chorepiſcopi, vel alii Epiſcopi Eccleſiaſtici ve muneris participes, precio vel nundinatione fiant. Quod Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus rurſum Synodali conſtitutione firmavit. Is floruit circa annum Domini 470. ut ait Trithemius. Ante eum tamen invenitur Damaſus Hiſpanus S. P. qui Cathedram conſcendit anno Domini CCC LXIIX. Chorepiſcopos jam improbaſſe, creſcentibus tum titulis Clericorum, decrevitque, ne quid Archidiaconi, quos vocabant Chorepiſcopos, aliquid moliantur contra Epiſcopos. Idem *Tholoſan. l. ante cit.*

DIS-

DISSERTATIO XVI.
DE
EQVITIBUS CLINODIORUM.
CAPUT I.

Genera Equitum: Equites Aurei Velleris, Eorum initia, Inſignia, Statuta: Equitum Aureæ Periſcelidis Origo, Symbolum, Inſignia: Equites Balnei: Equites S. Michaëlis: & Equites S. Spiritus: Equites Elephanti, It. des Däniſchen Biedermanns ꝛc.

I.

EQUESTRIS Dignitas mediæ veluti Naturæ eſt inter Sacra & Civilia, cum utroque Ordine participent. De antiquitate & uſu ejus apud Veteres Romanos v. Scriptores Rer. Romanarum. Noſtro tempore triplex eſt, totidemq; generum EQUITES habet: Equites Torquatos, EQUITES Cruciatos, & deniq; Auratos. De ſingulis diſtinctim egerunt *Aub. Miræus Militarium Ordinum Libris II. in Gualterii Chron. Chronicor. Eccleſ. Lib. II. p. 1.* Franc. Menenius *Deliciis Equeſtrium ſive Militarium Ordinum Symbolis, Inſignibus & Originibus add. Libr. Gualterii p. 46. & ſeqq.* Hieron. Megiſerus, *Tractat* von dem dreyfachen Ritterſtand. Limnæus *J. Publ. L. VI. c. II.*

II. EQUITES *Torquatos*, vulgo *EQUITES Clinodiorum* vocant, Itali *Cavallieri degli Ordini di Collana*; Ex Torque enim ſuſpenſa Clinodia geſtant: Quæ & Nominis eſt ratio & Rei Deſcriptio; Talesque in Hiſpania EQUITES Aurei Velleris, in Anglia EQUITES Aureæ Periſcelidis & Balnei, in Gallia Spiritus S. & S. Michaelis, in Dania EQ. Elephanti: Quos cæteros vè ſigilatim exhibere inſtituti noſtri ratio exigit.

III. EQUITES Aurei Velleris peculiari Libro deſcripſit *Julius Chifletius*, Ordinis hujus Cancellarius, cum Titulo: *Breviarum Hiſtoricum Inclyti Ordinis EQUITUM Aurei Velleris. Antwerp. M DC LII. 4o.* cujus veſtigiis hic inſiſtemus. Autor eorum *Philippus III.* cognomine *Bonus*, Dux Burgundiæ, Princeps clementia pariter ac fortitudine inſignis, quique avito Burgundiæ Patrimonio novas Brabantiæ, Limburgi, Namurci Hannoniæ, Hollandiæ, Zeelan-

landiæ, Luxemburgi, adjecit; Sed a quo deinde ad Auſtriacos per Mariæ Caroli Audacis unicæ Heredis cum Maximiliano I. matrimonium & ab his ad Hiſpanos per Philippi cum Johannâ Arragoniâ matrimonium, indeq; natum totius Hiſpaniæ, Belgii ac ditionum Auſtriacarum heredem Carolum V. una cum Imperio Burgundico pervenit.

Scopus fuit remedium & auxilium Eccleſiæ ſanctæq; fidei Chriſtianæ. Ideo Philippi Sarcophago inſcriptum fuit:

Pour maintenir l' Egliſſe, qui eſt de Dieu Maiſon
L' aq mis ſus le Noble ordre, qu' on nomme LATOISON.

Et Georgius Caſtellanus in Poëmate ad ipſum Philippum cecinit:

Mais n' eſt d' oubly le bault eſteuement
De la TOISON, *baulte &* DIVINE EMPRISE,
Que Pour confort, ayde & reparement
De NOSTRE FOY, *en long propoſement,*
Tu as mis ſus, diuulgee & empriſe,
Soubs autre GRAND RELIGION *compriſe,*
Touchant HONNEVR, *& publiq; equite,*
Pour eſtre mienx ENVERS DIEU *acquitté.*

Impoſiti nominis ratio, a Jaſone primùm deinde a Gideone mutuata, quam rem Philippo I. Caroli V. Parenti in Epiſtola quadam enarrat Olivarius Marcanus. *Æquum eſt, ut moneam Te cui fundamento innixus Philippus Bonus Dux Proavus Tuus, fuerit cum ordini Nobili Velleris aurei initium dedit: Et primum quidem Jaſonis Mythologiam ſecutus eſt, quem ferunt, in Colchidem inde magnæ magnitudinis arietem, cujus pellis, vellus & univerſa facies aurea erat, ablaturum migraſſe &c. At ſupervenit Cancellarius ordinis quidam Cabilonenſis in Burgundia Epiſcopus, nomine Johannes Germanus, primæ notæ Clericus & Orator inſignis, qui eandem ſententiam & exemplar immutavit & Autor fuit Hiſtoriæ Gedeonis, cujus in ſacris Bibliis mentio, potius imitanda.* Hocque primi ordinis Cancellarii Johannis Germani conſilium manibus pedibusque poſteri ſecuti ſunt, texique placuit dives illud quod hodienum in Regia Bruxellenſi ſupellectile cernitur Hiſtoriæ Gedeonis Periſtroma auro, argento, & eximia artificis manu precioſum. Occaſionem qua inductus fuerit Philippus in iſtam de A. Vellere cogitationem, hanc prodit Chifletius: Philippum de Colchide unde Jaſon Vellus aureum retulit, & ubi Andreas Apoſto-

lus Chriſtum prædicaſſe dicitur, Chriſto & Eccleſiæ adjungenda conſilium cepiſſe, ideo & in convivio Inſulenſi, quod poſtmodo Francorum dolis antiquatum ſit, coram Phaſiano Ave voto ſe ſacræ in Turcas expeditioni ſuſcipiendæ obſtrinxiſſe, & eo quidem non ſolum DEO facto, ſed etiam in illius avis nomen concepto. Avem quippe illam Phaſim Colchorum prægrandem fluvium deſignaſſe, a quo Phaſiani ſumsêre nomen, quod ibi magnus eorum ſit proventus, unde & ab Argonautis in Græciam advecti putantur. Præterea fluminis illius accolas prima Andreæ Apoſtoli prædicatione illuſtres gemuiſſe infideli Jugo oppreſſos eo tempore, quo votum iſtud a Philippo conceptum fuerit: Unde & in convivio prodiiſſe Nobilem perſonatum, qui Aulam univerſam moveret, & ad ſacram militiam concitaret verbis circiter talibus:

Vous Chevaliers, qui Portez LA TOISON
N' oubliez pas le tresdivin Service,
Et Vous auſſi nez de bonne maiſon
Gentils hommes, voici belle Choiſon
Pour acquerir de lors le benefice
Mon ſecours eſt pour jeunes gens propice.
Les noms croiſtont, & l' ame enrichira
Du ſervice, que chacun me fera.

Alii conjiciunt, Philippum aureo Vellere indigitaſſe fœcunditatem Burgundiæ ſuæ, atque in voce Jaſon etiam ſubtilitatem quærunt, qua literæ initiales Menſium quinque ad hominis utilitatem pertinentium exprimuntur Julius, Auguſtus, September, October, November & ſimilia, quæ noſtra non facimus.

Symbolum Ordinis eſt Silex & Igniarium, e quorum colliſione ſcintillæ frequenter emicant; Atque ex his e puro auro fuſis Torques conſtat appenſo inſuper & imminente pectori ipſo Vellere Aureo, cujus rationem *Wolfg. Lazius* memorat a Johannis intrepidi Philippi Boni genitoris in Hungaria inter Turcas captivitate ſumſiſſe initium, ob vaticinium Aſtolgandi Nobilis cujusdam harioli: *Fore ut olim ipſe, vel ejus poſterorum quiſpiam, qui ignem geſtaret in pectore, Saracenos vinceret, gentemq; eorum deleret univerſam*: Elogium deinde adjectum: AVTRE N' AVRAY: Aliud non habeo: Ut indicta ſodalibus perpetua Aurei Velleris geſtatio ante oculos continuo ſervaretur, & dum Phryxi & Helles, unde Helleſponto nomen

me-

memores eſſent, recordarentur ſimul paternæ captivitatis Johannis Intrepidi in extremæ Hungariæ finitimis Regionibus & Helleſponto atque Ponto Euxino vicinis, cui & nunc Chriſtiano nominis gloriæ vindicandæ ſe totum Philippus ſuaque omnia conſecraverat. Hinc & Sodates nulli alii militiæ nomen dare, Imperatore tamen Regibus & Ducibus exceptis; Neque vel diem unum Torquem deponere poſſunt, quod tamen à Carolo V. mutatum fuit, utque moleſtiæ vitandæ conſuleretur, decreta illius certis tantum anni diebus fuit geſtatio, reliquis verò permiſſum; ubi Vellus filo ſerico rubro aut etiam aureo & quidem ſolam pectori cujuslibet appenſum in uſu eſſet.

Confirmatio Statutorum facta eſt ab Eugenio IV. A. MCCCCXXXIII. & Leone X. A. MCXVI. Supremi & capita (ita enim vocandi ſunt) Conſtituti Duces Burgundiæ, & qui poſt eos Burgundiæ hæreditate gravisi ſunt Reges Hiſpaniæ. Sodalium requiſitum: Ut nomine & armis ſine macula Nobiles eſſent, repertique non raro inter eos Imperatores, Reges atque alii Magni Principes, veluti nec ita pridem Sereniſſ. Rex Poloniæ inter eos cooptatus fuit, Brabeuta Comite de Harrach ab Imperatore iſtuc miſſo. Numerus ipſorum primo XXIV. fuit. Quibus tertiis Comitiis ſeni additi, poſtmodo creſcente Monarchia Hiſpanica ſub Carolo V. tricenarius vicenario adhuc auctus fuit, quem quidem usque ad noſtra tempora ita ſervavêre, exiſtimatumque, e re & æſtimatione Ordinis futurum, ſi non ultra numerum quinquagenarium de ejusmodi incremento tractaretur. Miniſtri eorum Cancellarius, Theſaurarius, Graphiarius ſeu ſcriba & Heraldus, qui inter miniſtros Regios muneris ſui primus *Vellus Aureum* vocatur & Legationes obit. Togas gerunt ex holoſerico purpureo & Feſtum diem habent Natalem Andreanum. Privilegia ipſorum præter Eccleſiaſtica ſunt, ut vectigalibus omnibus immunes ſint, item ut primi ab ipſo capite in feſtivo quovis apparatu procedant conſanguineis & Principi propinquis, ſi adſint, & ejusdem Cancellario exceptis. Philippus IV. etiam addidit in Belgio jus tegendi capitis, diebus quibus Torques Magnus à Sodalibus geritur, item liberum in Regium ſuum cubiculum & in omnia palatia ſua ingreſſum, quo alias fruuntur Magnates, qui in iſtis Hiſpaniæ Regnis tegendi capitis jus habent. Conſtitutiones Ordinis Lingua Germanica exhibet *Megiſerus Part. 1. c. IV.* & ex eo *Limnæus J. P. L. VI. c. 11. n. 44.*

Digitized by Google

IV. EQUITES Aureæ Periſcelidis etiam EQUITES Garterii vocantur voce Anglo Latina, *Garter* enim eſt Periſcelis, & ipſi Regi Armorum ſeu Principi Heraldorum nomen *Garter* ideo datum, quia ritus Creationis horum Equitum dirigit: Et originem vulgò petunt ab alligata ab Edvardo III. Rege Angliæ Comitiſſæ Cantii & Saliſberiæ Periſcelide, quæ inter Choreas ipſi deciderat, addidiſſeque æmulationi Reginæ avertendæ Edvardum verba: *Hony ſoit qui mal y penſe.* Non innotuit tamen hæc opinio ante tempora Polydori Virgilii, nec aliunde ipſomet fatente, quam ex vulgi fama. *Scriptores Anglici*, inquit, *verecunde ſuperſtitioſi, forte timentes, ne imminutæ Majeſtatis Regiæ crimen ſubirent, ſi tale quid ut minus inſigne prodidiſſent, maluerunt id tacitum relinquere.* Et paulo poſt: *Proinde Origo vera Garterii ordinis non erat prætereunda ſilentio, etiamſi perfecta eſſet ab amore, quo nihil eſſe nobilius vult Ovidius canens:* Nobilitas ſub amore jacet. Quocirca famam vulgi de iſtiusmodi inſtituti cauſa non vanam æſtimaverim L. XIX. Hiſtor. Anglic. Nova ergo hæc de Periſcelide Relatio, nec veterum fide, ſed vulgi ſermonibus innixa: Ac proinde non abs re figmenti accuſata a cit. Autore *Stat. Anglic. P. I. C. XIX.* Iſt gewiß / daß dieſe lächerliche Geſchicht zum Schimpff des Ordens am erſten von dem Polydorus Virgilius erfunden / und nachgehends von andern fortgepflantzt worden. Ipſeque Virgilius ſuſpectæ fidei communiter poſtulatur. Polydorus, ut homo Italus & in rebus noſtris hoſpes & (quod caput eſt) neque in Republ. verſatus nec magni alioqui vel judicii vel ingenii pauca ex multis delibans & falſa plerumque pro veris amplexus Hiſtoriam nobis reliquit; cum cætera mendoſam tum exiliter ſane & jejune conſcriptam. Ita judicat de eo Doctiſſ. *Savilius præf. in Scr. Anglic.* cui accedit *Voſſius de Hiſtor. Lit. L. III. p. 678.* Dignior Anglorum ſententia eſt Edvardum III. poſt prælium in Gallia feliciter commiſſum, cui Periſcelidem *a Garter* teſſeræ loco dederat, collegium hoc Periſcelidis *ſeu Garterii* inſtituiſſe. Sunt etiam, qui Inſtitutionem hanc multo antiquiorem faciunt, & ad Regem Richardum I. referunt, Edvardumque tantum reduxiſſe credunt, quam vere ignorare ſe dicit Camdenus, etſi fidei adſtruendæ antiquum ejus inſtitutionis exemplar e Fecialis cujuſdam libro deſumtum producat, cujus verba ſunt in *Atrebatas Deſcr. Britann. p. 212. 213.* Inter Bibrocos, inquit, floret Windſore, Saxonice Wyndleſora. *Situm certe amœniorem ſedes regia vix habere poſſit.*

poſſit. Clementer enim ex edito colle, jucundiſſimo in orbem fruitur proſpectu. A fronte vallem deſpectat longe lateque procurrentem, arvis diſtinctam, pratis viridantem, nemoribus hinc inde veſtitam & placidiſſimo Tamiſi irriguam. A tergo colles paſſim exſurgunt, nec aſperi, nec prealti, ſaltibus coronati, & venationi a natura ipſa quaſi dicati. Hac loci amœnitate pellecti Reges ſæpiſſime huc ſecedunt, & hic ad Galliam vincendam natus eſt Edvardus III. Potentiſſimus, qui hoc caſtrum quaſi urbis æmulum foſſis & propugnaculis ex quadrato ſaxo munitiſſimum de integro conſtruxit; ſtatimque debellato Gallo & Scoto, Johannem Regem Galliæ & Davidem Scotiæ in hoc captivos uno eodemque tempore tenuit. Dividitur hoc caſtrum in duas areas; interior, quæ ad ortum ſpectat aulam Regiam, qua ædificiorum deſcriptione nihil illuſtrius, nihil ſplendidius, complectitur. Ad cujus Borealem partem qua flumen deſpectat, Diva Eliſabetha ſubdiale ambulacrum adjecit longe amœniſſimum. Exterior area in ipſo primo ingreſſu templum habet auguſtiſſimum B. Mariæ virgini, & Georgio Cappadoci ab Edvardo III. conſecratum; ſed ad eam qua nunc cernitur magnificentiam ab Edvardo IV. perductum. Hic Edvardus III. ut militarem virtutem honoribus, præmiis atque ſplendore decoraret, nobiliſſimam conſcripſit Equitum auratorum ſocietatem, quos ob Periſcelidem ſuam in prælii, quod feliciter ceſſit, teſſeram datam, Garteri ſive Periſcelidis Equites nominavit, qui cœruleo Periſcelide aureis literis Gallice inſcripta, Honi Soit, Qui Maly Pens, *ſiniſtram tibiam ſubſtringunt. Alii tamen hujus Ordinis inventionem multo antiquiorem faciunt, ad Regem Richardum primum referunt, Edvardumque tandem reduxiſſe credunt. In ipſo enim inſtitutionis libro, quem Guil. Dethicus principalis Amorum Rex, Garterii nomine inſignis, omnium quæ ad honorem ſpectant ſtudioſiſſimus mihi oſtendit, ſic legitur: Richardo cum contra Turcas & Agarenos, Cyprum & Anconem moveret, longiorisque moræ pertæſum eſſet, dum mira ſolicitudine traheretur obſidio, tandem illabente per divi Georgii, ut opinatum eſt, interventum ſpiritu, venit in mentem, ut quorundam electorum militum cruribus coreaceum ſubfibulum quale ad manus tunc ſolum habebat, induceret, quo futuræ gloriæ memores ex condicto ſi vincerent, ad rem fortiter ac ſtrenue gerendam, expergefierent ad Romanorum inſtar, apud quos illa coronarum varietas, quibus variis de cauſis donati ſunt, & inſigniti milites, ut his velut irritamentis excuſſa vecordia, virtus animi fortitudoque pectoris fervidior exſurgeret atque exiliret. Cæterum in hanc*

Digitized by Google

ſocietatem potentiſſimi quique Orbis Chriſtiani Principes cooptari, inſtar maximi honoris duxerunt, & jam a prima inſtitutione, in hunc Orninem, qui e XXVI. Equitibus conſtat, Reges adſcripti fuerunt, plus minus XX. præter Angliæ Reges, qui ejuſdem Præſides habentur, ut Duces & alios maximi nominis taceam plurimos & hodie ex hoc Ordine ſunt Rudolphus II. Cæſar Auguſtus, Philippus Rex Hiſpaniarum, Henricus III. Galliarum, & Fridericus II. Daniæ. Confer Selden. *Titt. of. Hon. L. II. c. §. XL.* Qui & Titulum veteris illius MSi indicat: *Inſtitutio clariſſimi ordinis militaris, a prænobili ſubligaculo nuncupatum.* Inſigne eorum jam ex Camdeno allegatum fuit, Periſcelis cœrulea ſiniſtram tibiam ſubſtringens, Verbis: *Ho ny ſoit qui mal y penſe:* Parallela ſunt, quæ Philippus Macedo olim de cohorte Amantium protulit: Ἀπόλοιντο κακῶς οἱ τούτους τι ποιεῖν ἢ πάσχειν αἰσχρὸν ὑπονοοῦντες. *Male pereant, qui hos facere quicquam aut pati, quod turpe ſit, ſuſpicantur,* apud *Plutarchum in Pelopida.* Torquem multiplici Periſcelide interſtinctum cernere eſt. Clinodium ex eo ſuſpenſum continet figuram S. Georgii Draconem transfigentis: Quem ipſum Georgium Patroni loco venerantur, ejusque honori & templum Windſorienſe, in quo creari ſolent Equites, conſecrarunt, & ſacram Georgii diem hodienum ſolenniter celebrant. Sic enim antiquiſſimis moribus receptum fuiſſe ajunt, S. Georgium ejusmodi honoribus affici. Καὶ ἱερὸν Γεωργίῳ τῷ Μάρτυρι ἐν Βυζαντίοις ἱδρύματο &c. Templum *Georgio Martyri exſtruxit* ſcribit *Procop. de Juſtiniano L. III. de ædif. ipſius.* plura vid. apud *Selden. l. cit. p. 800. & ſeqq:* Confer. *Baron. Martyrol. ad XXIII. Apr.* Sunt tamen, qui vel nullum ejusmodi Georgium vel Arianum fuiſſe ſuſpicantur. Imaginem iſtam certe qua Draconem transfigere pingitur etiam *Baronius* pro Symbolica habet *l. c. Martyrolog. ad XXIII. Apr. Pictura illa S. Georgii, qua effingitur Eques armatus, qui haſtæ cuſpide draconem interficit, juxta quem etiam virgo poſita manus ſupplices tendens imploret auxilium; Symboli potius, quam hiſtoriæ alicujus, opinor eſſe expreſſam imaginem. In nullis enim, quæ recenſuimus S. Georgii Actis antiquis, quicquam ejusmodi legitur. Sed a Jacobo de Voragine absque aliqua Majorum auctoritate ea ad hiſtoriam referantur: Quæ potius in Virgine illa typum exprimunt (more majorum) provinciæ, vel Civitatis alicujus, quæ adverſus Diaboli vires tanti Martyris imploret auxilium.* Præſes perpetuus eſt Rex Angliæ, idque tenore primi ordinis ſtatuti:

Sell

Soll der König in Engelland / und die Könige ſeine Nachkommen / allezeit die Obriſten dieſes Ordens und Ritter-Bruderſchafft ſeyn: Derſelbe behält ihm und ſeinen Erben und Nachkommen bevor / die Erklärung und Milderung aller Sachen / ſo wol anderer zweiffelhafftigen und ſtreitigen/ als der Satzungen gemeldtes Ordens. Ipſæ Reginæ hujus præſidii capaces; Sic enim Eliſabetha Regina magno numero novos Equites in hunc Ordinem cooptavit, quos recenſitos vid ap. *Tom. Milles. de Nobilit. Polit. in ſerie Equitum Garterii.* Qui Anno M DC LXVII. extitere, fuerunt, exhibet c. cit. Autor *Stat. Anglicani L. 1. c. XIX.* Integrum omnium Equitum ſeriem usq; ad tempora Jacobi & annum M DC IIX. videre eſt ap. Milles. loc. cit. quem etiam exhibet Gualter. *Chron. Chronicor. L. II. p. 223. & ſeqq.* Statuta vid. ap. *Megiſer. part. 1. c. 6.*

V. Alter Ordo Anglorum eſt EQUITUM BALNEI, *The Ordes of the Balh.* Autor fuit Henricus IV. Rex Angliæ. Troisſartus: *Celle nuict*, (i. e. Saturni die ante Coronationem ejus) *y veillerent tous les Escuyers , qui devoient eſtre faitz Chevaliers le lendemain, que fuerent le nombre de XLVI, & eurent tous ſes Escuyers, chacun ſa chambre & Chacun ſa baiga Ou ils ſe baignerent, celle nuict & lendemain le Duc de Lanceſtre les fit Chevaliers a ſa Meſſe, & leur donna longues cottes verdes a eſtreits manches fourrees de menuuer en guiſe de Prelats & avoint lesdits de Chevaliers ſur la ſeneſtre espaule un double cordeau de ſoye Blanche a blanches houpells pendans.* Superiori ſeculo ex flore Nobilitatis, qui nondum gradum Equeſtrem accepiſſent, ſeligi in Regum & Reginarum Inauguratione & nuptiis ſolebant: Aliquando etiam cum eorum filii in Principes Walliæ vel Duces inveſtirentur, aut Militari Baltheo cingerentur, pluribus adhibitis ceremoniis. Qui ad hunc ordinem ſuſcipiendum a Rege evocantur (nec hanc rem exquiſite perſequor) pridie quam creantur, Eremiticam veſtem cineritiam cum cucullo, pileolo lineo, & ocreas induti, ſacra devoti accedunt, ut militiam ſuam, quaſi DEO imprimis militaturi, auſpicantur, una cœnant ſingulisq; miniſtrant duo Armigeri & Puer Aſſecla. A Cœna in cubiculum ſe recipiunt, ubi paratur ſingulis Lectulus cum velariis Rubris Armisq; ſuis gentilitiis affixis, & juxta Vas Balneatorium linteis opertum, in quo cum ſe DEO commendaverint, ſe abluunt; ut deinceps corpore animoque mundo eſſe admoneantur. Poſtridie poſtremo bene mane inſtru-

ſtrumentorum Muſicorum ſono excitantur, easdemque veſtes induunt. Tunc Angliæ Conſtabularius, Mareſcallus & alii, quos Rex conſtituit, eos accedunt, nominatim ſuo ordine evocant, & Jusjurandum proponunt: ſcil. ut Deum ante omnia colant, Eccleſiam defendant, Regem honorent, Ejus jura propugnent, viduas, virgines, orphanos tueantur, & injuriam, quantum poterunt, propulſent. Hæc cum tactis Evangeliis juraverint ad Sacra matutina Regiis Muſicis & Heraldis præeuntibus deducuntur, atque ab iisdem in cubicula reducuntur, ubi Heremiticas veſtes exuti, chlamydem holoſericam rutilo Martis fulgore relucentem & galerum candidum, candidis plumis ſuper pileum lineum induunt, Chirothecas candido funiculo Chlamydis colligant. Equos ſella & Ephippiis ſcorteis nigris albo interſtinctis & cruce fronti præfixa inſtructos conſcendunt. Ante ſingulos ſuus Aſſecla Eques geſtat gladium capulo inaurato, ad quem dependent Aurata Calcaria, utrinque Armigeri obequitant. Hac pompa Tubis ante clangentibus ad Aulam Regiam itur, ubi cum ad Regis præſentiam a duobus ſenioribus militibus deducuntur, Regis Camerario aſſecla Baltheum cum gladio dependenti tradit. Ille ſumma cum reverentia Regi, qui militem transverſum eo cingit, jubetq; duos ſeniores Equites Calcaria imponere, qui olim creandi militis genua, bene precantes, oſculari ſoliti. Jamque milites creati, olim Regiæ menſæ fercula inferebant: inde omnes una prandent, ad idem menſæ latus aſſidentes, ſub uno cujusq; clypeo gentilitio affixo. Ad preces veſpertinas ſacellum adeunt, gladios ad Altare offerunt, datoque precio redimunt. Redeuntes vero Primarius Regis Coquus oſtenſo cultro, ut ſe probos & fideles præſtent milites admonet, alioquin ſe Calcaria ignominioſe abſciſſurum. Die autem coronationis in pompa ſuo loco Regem comitantur gladio accincti, Calcaribus inducti, chlamyde cœrulea Jovis ſc. Equi colore amicti & nodo ex albo ſerico in formam Crucis efformato cum capitio ad humerum ſiniſtrum. Ita fere Camdenus in Deſcr. Britann. & ex eo *Mennen. de Symbol. & orig. Equeſtr. Ordinum p. 130. 131.* Inſignis loco gerunt tres Coronas Aureas in Orbicello Aureo expreſſas cum Elogio: *Tria in unum juncta.*

VI. Illuſtriores in Gallia ordines ſunt *S. Michaelis & S. Spiritus*, ſingulariter etiam Ordines Regii dicti. EQUITES S. Michaelis inſtituit MCCCCLXIX. Ludovicus XI. S. Michaelem enim ut

Pro-

Protectorem Regni ſui coluit in bellis contra Anglos geſtis, hunc etiam conſilia ſibi communicare Johanna Aurelianenſis tempore Caroli VII. ſæpe allegaverat. Torques conſtat conchis per funiculos cohærentibus; Appenſa eſt imago S. Michaëlis Satanam cœlo exturbantis, additumque elogium: *Immenſi tremor oceani.* Selectus rationem reddunt, quod cum Angli præ ſe ferant Imperium maris, conchæ denotent ſpolia iis detracta. *Ce colier donc de l' Ordre Royal, & Deviſe des Chevaliers d' i celuy, eſt le ſigne & uraye enſeigne deleur nobleſſe, vertu, concorde, fidelitè, & amitiè. Gage, loyer, & remuneration de leur vaillance, & proiieſſe: Par la richeſſe & puretè de l' or duquel, eſt remarquee leur hauteſſe & grandeur: Par la ſimilitude ou ſemblance de ſes Coquilles leur equalitè, ou eſquale fraternitè d' ordrè, en enſvivant les Senateurs Romains, qui portoient auſſi des Coquilles ès bras pour en ſeigne, ou Deviſe: Par la Double lacure d' icelles enſemble, leur invincible & indiſſoluble Vnion: Et par l' image Sainct Michel, Colonel des celeſtes intelligences, victoire du plus dangereux ennemy. Deviſe doncques inſtituee au ſoulas, protection, & aſſeurance de cetant noble Royaume: Et au contraire, a la terreur, eſpouuantement.* Franc. d' Amboiſe *Deviſ. Hervigo*, p. 21. 22. Extat etiam ſingularis Liber de EQUITIBUS hujus Ordinis conſcriptus ab *Emerico d' Amboiſe.* Statuta eorum articulis conſtant XCIIX. Itidem ſeorſim expreſſa. Comitia Ordinis & Ceremoniarum ſolennia ab Henrico II. A. MDXLIIX. celebrata prolixe deſcribit *Modius Pandect. Triumph. T. I. L. III.* Sed noſtro tempore pauci ſunt, qui ſolo hoc Ordine gaudent: Solet tamen ab EQUITIBUS S. Spiritus ſuſcipi, pridie ejus diei, qua Ordine Spiritus S. donantur: Quæ cauſa quoque cur gemino torque ornati incedant & generali nomine EQUITES Ordinum Regiorum, *Les Chevaliers des Ordres du Roy*, dici ament. V. Autorem *de l' Eſtat de la France p. 11. c. IIX.*

VII. De Equeſtri Ordine S. Spiritus ejusque initiis ita Thuanus Hiſt. L. LXIIX. ad Annum MDLXXIX. *Apud nos Rex, quo erat ingenio, vetera faſtidiens, & novarum rerum ſemper cupidus, obſoleſcente conchyliato ordine, ob communicatum promiſcue, indignis hominibus, jam a multo tempore hunc præcipuum nobilitati & militaribus meritis honorem debitum, novum Equitum Collegium a ſe inſtitutum, ac nomine S. Spiritus nuncupatum, ſolemni luſtratione celebravit. Centenario numero abſolutum Collegium, in eo comprehenſis Rege, ordinis Prin-*

cipe, quatuor Cardinalibus, quatuor Antiſtitibus Eccleſiaſticis magno Eleemoſynario, Cancellario, Præfecto Ceremoniarum, magno Theſaurario, Graphiario, Feciali, Oſtiario Commendatorum nomine dicti Equites, quod ab initio inſtituiſſet Rex ex opimioribus Cœnobiis detractis ampliſſimis vectigalibus, commendas ad Hiſpanienſium exemplum creare, conſilio ante quadriennium a Cardinale Lotharingo, ſtatim atque in regnum venit, ſumto, qui ea ſpe id conſilii Regi dederat, ſicuti jactabatur, ut cum opimiora Regni, quæ vocant beneficia, Regum liberalitate poſſideret, ea veluti familiæ ſuæ propria per commendas faceret, idque illi ante mortem a ſacro ordine, & ab amicis per literas exprobatum fuerat. Poſtea eo mortuo, Rex apud Pontificem crebro per Oratores ſuos egit, ut Cœnobiorum bona, commendis illis, autoritate ſua interpoſita, attribui pateretur. Nam eum Ordinem ad religionis Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæ amplificationem, & ſectarii veneni exſtirpationem inſtitutum eſſe: Idque Equitum præcipuum jusjurandum eſſe, quod cum reclamante ſacro Ordine impetrare non potuiſſet, nomen nihilominus manſit & Equites Spiritus S. Commendatores Statutis de eo Ordine Decembri proximo promulgatis appellati ſunt: Ut ex eo, quid Regi ab initio conſilii fuerit, poſteris conſtet, videantque ac caveant, qui poſt nos erunt, ne quod ab ipſo tunc fruſtra tentatum eſt, ſub Succeſſoribus ejus exitum aliquando ſortiatur. Ferunt Titulum *Spiritus S.* ab eo ideo ſelectum, quod Feſtum Pentecoſtes ſibi imprimis fauſtum accidiſſe ſenſerit, quippe quo natus, Rex Poloniæ deinde, ac deinde Rex Galliæ redditus fuerit. Sunt qui commemorant Ludovicum Regem Siciliæ jam A. MCCCLII. hunc Ordinem S. Spiritus inſtituiſſe, eundemque ab Henrico tantum renovatum fuiſſe. Torques Aureus ex Liliis flammarum congerie circumdatis, intermixtis Literis H & gemina A initio conſtitit; Sed Henricus IV. figuras haſce exeruit, ſubſtitutis caſſidibus aliiſque victoriarum Trophæis. Crux Torqui adhærens columbam præ ſe fert, tanquam ſignum Spiritus Sancti. Sunt etiam ſingulares Miniſtri huic Ordini deſtinati, ut Cancellarius, Sigilli Cuſtos, Magiſter Cerimoniarum, Theſaurarius, Secretarius &c. V. *L' Eſtat de la France P. 11. c. IX.* Inter recentiores ſolennitates Ordinis fuit, cum Ludovicus XIII. Ann. MDCXXXII. Fonte Bellaqueo L Proceres eo donaret. Ultimam, quam ſcimus, celebravit hodiernus Rex Ludovicus XIIII. An. MDCLXI. d. XXXI. Decembr. extinctis prioribus fere omnibus, Equites

crea-

creavit LXX fuereque in iis IX. Perſonæ Eccleſiaſticæ; Et ſolum Principem Condæum ac Filium ejus Ducem Anguinium Rex tunc dignatus fuit, quibus Signum Ordinis ipſe conferret: Cæteris ab aliis porrectum fuit. V. *Diar. Eur. Cent. VI. p. 46. & ſeqq.*

IIX. Equeſtris Ordo antiquior in Dania eſt *Ordo Elephantinus*, Elephasque cum Caſtello Clinodium Ordinis exornat, quem tamen variis additamentis hodiernæ Familiæ Oldenburgicæ Reges usque ad Fridericum III. auxerunt. Initia qui ex antiquitate repetunt, ex militia cruciata ſeu Sacris Danorum Expeditionibus in Palæſtinam ea derivant: Dani namque etiam & Norvegi partem hujus militiæ faciebant. V. *Pontanus aliique Scriptores Rer. Danicarum.* Veriſimile eſt ex tenuibus iſtis initiis, poſtea Familiam Oldenburgicam Equeſtrem hanc Dignitatem formaſſe, & uti dictum fuit, novis additamentis in hodiernum ſplendorem evexiſſe. Plura V. apud *Mennen.* de Eq. Ord. p 144 cujus omnia ſua fecit Pontanus Chorogr. Dan. f 769. pollicitus interea ſe iſtam apud Danos Elephanti donandi rationem atque originem alias luculentius enarraturum: Quæ promiſſa an apparuerint, nobis non conſtat. Hodiernus Sereniſſ. Rex Chriſtianus V. vero An. M DC LXXII. novum Ordinem adjecit frugi Danorum, ſeu Proborum Danorum, deß Däniſchen Biedermanns/ Danice Dannebrou/ ſine dubio animaturus ita Danos ſuos ad rem acciſam Regni ſui inſtaurandam. Inſigne eſt Crux Aurea Adamantibus interſtincta ex vinculo ſubalbido dependens, quod Limbus Ruber circumdat.

IX. *Equeſtri Ordini Annuntiationis* magnificum nomen ex ſuo abs ſe inſtituto fecit Amadeus VI. Sabaudiæ Comes, idque in honorem Angelicæ Annuntiationis. Quem inſignire voluit Aureo torque, figura collaris canis Alani (ut diploma inſtitutionis ſeu confirmationis anni 1409. a Franciſco Sanſovino citatum docet) efformato, ex quo laciniæ ſeu laminæ quatuor catenulis aureis connexæ pendentes, modis inſuper Sabaudicis, quos ab amoribus nuncupant, ſubtilibus, & arte implexis, quatuor literarios characteres F. E. R. T. æque diſtanter inſertos referrent, imagine & hiſtoria Virginis Mariæ ab Angelo ſalutatæ, (quæ ſodalitio nomen dedit) appenſa. Quo quidem elogio magnitudinem gloriæ Amadeo Magno primo Sabaudiæ Comiti partæ, ſymbolumque Fortitudo Ejus Rhodum Tenuit, a Rhodienſi urbe Turcis erepta ſeu defenſa,

Chriſtoque adſerta natum, explicari Sabaudici Annales teſtantur. Ab ejus enim tempore, ut ex iisdem patet, Sabaudiæ inſignia, quæ eadem & Imperii erant (Saxoniæ Ducum, ex quibus Sabaudici Proceres orti, inſignibus hactenus interſtincta) ſcuto Equitum Hieroſolymitanorum S. Johannis cruce ſcilicet argentea in rubri coloris clypeo ipſis petentibus equitibus (qui Rhodo inſula ab Imper. Conſtantinopolitano tunc donati, Rhodii poſt Equites dicti fuere) in navatæ virtutis præmium ſunt decorata, & Sabaudiæ ſucceſſoribus Regulis cum quadriliterario ſymbolo FERT, exinde propria manſere. Hujus porro militiæ ſedem idem Amadeus in Petra Caſtellana conſtituit, ibiq; anniverſarium & ceremonias Novis Equitibus a Principe eligendis, Feſto Annunciationis Deiparæ die, celebrari voluit, legibus itidem ab Amadeo primo Sabaudiæ Duce poſtmodum auctis, juxta tabulas ea de re anno 1434. conſcriptas. Igitur & auctor ipſo primis hujus ſodalitii auſpiciis in equeſtrem catalogum ſe nuncupans, alios quatuordecim primæ Nobilitatis viros, quibus ipſe præſideret, in honorem XV. myſteriorum ſacratiſſimæ virginis connumeravit, ſtatutaque variis inſcripta libellis, quæ a Franciſco Sanſovino in originibus recitantur, una cum torque ſingulis donari juſſit. *Menen. l. ſæp. cit. p. 133. 134.* Cujus verba noſtra fecimus, dum alia, quæ accuratius hæc evolverent, ad manus non fuere.

TITU-

TITULI DISSERTATIONUM:

I. DE TITULIS REGIIS COMMUNIBUS.

II. DE TITULIS REGIIS SPECIALIBUS.

III. DE TITULIS REGIIS SPECIALIBUS.

IV. DE INAUGURATIONIBUS REGIIS.

V. DE INAUGURATIONIBUS REGIIS.

VI. DE INSIGNIBUS ET CULTU REGUM.

VII. DE DUCIBUS.

IIX. DE PRINCIPIBUS.

IX. DE COMITIBUS.

X. DE BARONIBUS.

XI. DE NOBILIBUS.

XII. DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA in genere.

XIII. DE PONTIFICIBUS MAXIMIS.

XIV. DE CARDINALIBUS ET PATRIARCHIS.

XV. DE EPISCOPIS.

XVI. DE EQUITIBUS CLINODIORUM.

INDEX RERUM,
PRIMUS NUMERUS DISSERTATIONEM, SECUNDUS CAPUT, TERTIUS PARAGRAPHUM DENOTAT.

Abbas Fuldenſis Cancellarius natus. XV. I. 7.

Abdicationis ſpontaneæ & coactæ exempla. V. IV. I. Cauſæ. ibid. 2.

Abraham Patriarcha Rex dictus. I. I. 5.

Adelingi *XI. I. 5.*

Adorationes *Regum. VI. II. 3.*

Imperatores quo ſenſu ſint Advocati *Eccleſiæ. II. I. 7.*

A. E. I. O. U. *Symbolum Friderici III. Imp. VII. III. I. Item Job. Friderici II. ibid.*

Ambulatorii Epiſcopi XV. II. 6.

Amici Regis *quales. VII. I. 3.*

Ampulla *Remenſis. IV. II. 4.*

Angliæ *Reges Periſcelidis ordinis præſides. XVI. I. 4.*

Angliæ *Rex vocatur Defenſor Fidei. II. II. 6. Integer Titulus ejus. III. I. 6. Titulus Angliæ in Scotia poſtponitur. ibid. Cur & quando dictus Rex Magnæ Britanniæ. ibid. Cur vocetur Rex Franciæ. III. I. 7. Cur Dominus & poſt Rex Hiberniæ. I. I. 7. & III. I. 10. Cur olim Dux Aquitaniæ & Normanniæ. III. I. 10. Angliæ Regum primogenitus vocatur Princeps Walliæ. III. IV. 4. Naſcitur Dux Cornubiæ. ibid. Regum Angliæ Donum ſtrumas ſanandi. V. II. 4. Eorum Luctus exprimitur Colore violaceo. VI. I. 7. Coram Angliæ Regibus in genua procumbitur. VI. II. 2. Angliæ Regum Inſignia. VI. III. 7. Angliæ Reges offerunt Aurum, Thus & Myrrham. VI. III. 10. Lavant pedes pauperum VI. III. ibid.*

Annunciationis *ordo equeſtris XVI. I. 9. Inſignia. ibid.*

Anſes *veterum Gothorum qui VII. I. 2.*

Anuli *uſus in Inaugurationibus Regiis IV. IV. 6. Anuli traditio in Inveſtitura Epiſcoporum olim recepta. XV. II. 3.*

Apoſtolicus Legatus *natus quis? XV. I. 6.*

Aquila *Inſigne Imperii Perſarum, Ruſſorum VI. III. 4. Aquila Biceps quid ſignificet. ib. Ejus imagines variæ in rebus Naturalibus. VI. III. 4.*

Archi-Barones. *X. II. 5.*

Archi-Cancellarii *Imperii XV. I. 7. Eorum dignitas apud exteros æſtimata. ibid.*

Archi-

Archi-Comites *IX. 11. 6.*
Archi-Duces *VII. 111. 3. 1. Eorum privilegia ib. Archi-Duces Auſtriæ ſunt Principes Sueviæ. VIII. 111. 2.*
Archi-Epiſcoporum *functiones. XV. 1. 4. Cur Primates dicti. ibid. 5. Cur Metropolitani. ibid. 3. Cancellariorum Munus Archi-Epiſcopis additum ibid. 7. Qualitas Legatorum natorum. ibid. 6. Series Archi-Epiſcoporum. ibid. 9. Inſignia Archi-Epiſcopotum. ib. c. 11. 4.*
Archi-Principes *Electores VIII. 11. 1.*
Armiger *Anglorum XI. 1. 8.*
Aſiarchæ *VIII. 1. 7.*
Aves *e corbibus emittuntur in Inaugurationibus Regum Galliæ. V. 11. 3.*
Auguſti *qui vocati II. 1. 5. Titulus ſemper Auguſti. II. 1. 6.*
Aula *veteris Germanici Imperii Sala. VI. 11. 1. Turcarum Imperatoris Porta. ib.*
Aurei Velleris *Equites XVI. 1. 3. Ordinis hujus Cancellarius. ib. eorum Autor. ib. ſcopus, ib. ratio impoſiti nominis. ib. Occaſio hujus ordinis. ib. Ordinis Symbolum, ib. Equitum horum confirmatio ib. horum numerus. ib. horum Miniſtri. ib.*
Aureum ſeculum *Veterum examinatum. I. 1. 3.*
Aureæ Bullæ *deſcriptio. VI. 111. 11.*
BAculi albi *Angliæ VI. 11. 9.*
Babulus Epiſcopalis. *XV. 11. 2. deſcriptio Baculi Epiſcopalis. ibid.*
Balthi *veterum X. 1. 9.*
Balnei Equites *XVI. 1. 5. horum autor. ib. horum inauguratio. ib.*
Bani *Titulus quid ſit. I. 1. 14.*
Barones *æquivalent magnatibus. X. 1. 1. Nominis ſignificata obſoleta. X. 1. 2. Etymologia. X. 1. 3. Baronum origo. X. 11. 1. Requiſita. X. 11. 2. Prærogativa. X. 11. 3. Tituli. X. 11. 4. Barones Imperii & aliarum Regionum. X. 11. 5. Barones Quinqueportuum in Anglia. X. 11. 6.*
Baronii *Liber de Monarchia Siciliæ confiſcatus. I. 11. 7. Ejusdem infelicitas iſtius Libri cauſa. ibid.*
Baronetti *in Anglia. X. 11. 7.*
Baſilei *qui dicti I. 11. 7. Controverſia inter Occidentales & Orientales Imperatores nomine hujus Tituli. ibid.*
Βασιλεοπάτωρ *quis dictus? I. 1. 13.*
Bavariæ *Patronus S. Joſephus. VI. 111. 10.*

Baſtardi *VIII. IV. 9.*
Statuum Belgii *Tituli XI. 3. 4.*
Benedictio Pontificalis *Regibus facta. IV. 1. 5. Benedictio Magni Lamme apud Orientales Reges. ibid.*
Bohemia *in Regnum ab Imperatore Germanico evecta. I. 1. 7. Aſſiſtentes Regis in Bohemia. IV. 1. 6.*
Bovis aſſatura *in Imperio & Regno Suediæ V. 1. 8.*
Electoris Brandenburgici Inauguratio in Ducem Boruſſiæ. VII. 11. 8.
Brandenb. Legatorum *cum Officiariis Hereditariis de Coronatione Imper. Contentio. IV. 1. 6.*
Bullæ *VI. III. 11. Aurea, Argentea, Plumbea, Cerea. ibid.*
Burggravii *IX. 11. 9.*
CÆſaris *Nomen Juliæ Gentis fuit. II. 1. 1. Ceſares vocati Imperatores, proximi ab Impp. &c. II. 1. 2. & 4.*
Caliphæ *quales II. III. 3.*
Cancellariorum *Munus Archi-Epiſcopis additum. XV. 1. 7. Cancellarii Reginarum. ibid.*
Canoniſatio *Sanctorum XII. 11. 8.*
Cardinales *XIV. 1. tot.*
Imperatores coronati fiunt Canonici Aquisgranenſes *& S. Petri V. 11. 3.*
Caroli V. *Imp. Titulus. III. 1. 2. Carolus V. cur Nomen Matris in Edictis Hiſpanicis adjectum voluerit. V. III. 1.*
Caſtra *Doloris VI. 2. 11.*
Catholici *Titulus Hiſpaniæ Regis proprius II. 11. 2.*
Celſiſſimi *Titulus I. IV. 9.*
Cham Chan *Tartarorum, Turcarum & Perſarum Titulus. II. III. 5.*
Chorepiſcopi. *XV. 11. 7. horum functiones. ibid.*
Chriſtinæ Reginæ Suediæ abdicatio. V. IV. 3. Diſtichon Coronæ ejus inſcriptum Loreti. ibid.
Cur Chriſtum *patientem purpura & veſtibus albis induerint. VI. 1. 7.*
Chriſtus *eſt Nobilis II. 11. 8.*
Chriſtianiſſimi *Titulus Regi* Galliæ proprius *II. 11. 3. Imperatori tributus II. 11. 4. Item aliis Regibus. ibid.*
Cidaris *Epiſcopalis. XV. 11. 3.*
Cidi *nomen I. IV. 4.*
Clariſſimi *in Veteri Imp. Rom. VII. 1. 10.*

Clino-

INDEX RERUM.

Clavium *traditio in Inaugurationibus Pontificiis. IV. 4. 6.*

Clementiſſimi *Titulus. I. 4. 7.*

Clinodia Regia *certis locis aſſervata. IV. 4. 7.*

Clinodiorum *Equites. XVI. 2. Torquati dicti. ib.*

Clytones. *IIX. 4. 2.*

Color *Purpureus Inſigne Regum. VI. 1. 6.* Color albus *Inſigne Regum VI. 1. 6. Cœruleus Inſigne Regum Perſicorum. VI. 1. 7.* Color Violaceus *ſignum Luctus apud* Reges Galliæ *& Angliæ. ibid. Caſtaneus ap. Reginas. ib. 8.* Colores Inſignium *quid ſignificent. VI. 3. 3.*

Columba *Inſigne priſcæ Semiramidis & poſt Babyloniorum. VI. 3. 1.*

Comitum *Nomen. IX. 1. 1. Idem officium denotat. IX. 3. 4. Eorum origo IX. 1. 3. Comites antiqui. IX. 1. 5. Comites Conſiſtoriani &c. IX. 1. 6. Comites præponuntur. Ducibus. IX. 1. 7. Comites Imperii. IX. 3. 1. Comites antiquiſſimi Angliæ. IX. 3. 2. Scotiæ. ibid. Hiberniæ. ibid. Comitum Galliæ conditio. IX. 3. 2. Comites Hungariæ. ibid. Comitum Tituli. IX. 3. 3. Comes Siculorum eſt Princeps Tranſilvaniæ. IX. 3. 2. Comites Palatini V. Palatini.*

Provinciam denotat Comitatus *Angliæ. IX. 1. 2.*

Militum ordo Comitatenſes. *IX. 1. 2.*

Communio ſub utraque *Regi Galliæ conceſſa. V. 1. 4.*

Comitativa *dignitas triplex. IX. 1. 4.*

Conquæſtoris Titulus quid importet. I. 1. 4.

Conſecrationes *veteres. VI. 2. 11.*

Convivia *tempore Inaugurationis. V. 1. 8.*

Corona: *Coronarum Regiarum prima initia. I. 1. 2. Antiquitas. IV. 3. 1. & 2. Quando aſſumptæ in Imperio Romano. IV. 3. 3. Turcæ iis non utuntur. IV. 3. 4. Coronæ Aureæ. IV. 3. 5. Plumbeæ. ibid. Quid de tribus Coronis in Imp. noſtro ſentiendum. ibid. Formæ Coronarum hodiernarum in Regnis variæ. IV. 3. 6. Corona clauſa Imperialis. ibid. Corona Caroli M. S. Olai, S. Stephani. IV. 3. 6. Formulæ Coronas imponendi. ib. Tres Coronæ Inſignia Regni Suediæ. VI. 3. 8.*

Coronationis *Romanæ in Impp. noſtris peractæ & omiſſæ exempla. IV. 1. 4. De* Coronationis Aquiſgranenſis *ſelectu fabula. IV. 1. 7. Loca coronationi deſtinata. IV. 1. 7.*

Coronatio *maritalis. V. 3. 1.*

Cornua *in Inſignibus quid denotant. VI. 3. 3.*

Rex Galliæ luctum Obitus Cromwelli *atro colore præter ſolitum exprimit, & quare. VI. 1. 7.*

Crux *inter Clinodia Regia. IV. 4. 3. Conſtantinus M. non vidit* Crucem in cœlo, *ſed ſomniavit tantum. IV. 4. 2.* Crux globo Regio *impoſita. IV. 4. 2. Crux Imperatoria. IV. 3.* Crucis Bajuli. *ibid.*
Curopalatæ. *IX. 2. 2.*
Vita Cyrilli Lucidis. XIV. 2. 6.
Czar *quid ſignificet. I. 2. 6.*
DAnia *an ab Imperatore an Regnum evecta. I. 6. 1.* Daniæ Regis *Titulus. III. 2. 1. Inſignia. VI. 3. 8.*
Danorum *proborum ordo. XVI. 8. Inſignia. ibid.*
Dalmaticæ. *VI. 1. 2.*
Des Däniſchen Biedermans Orden. *XVI. 8.* *(dictæ.*
Defenſor Fidei *Rex Angliæ. II. 2. 6. Fœminæ Maria ac Eliſabetha ita*
Titulus Dei gratia *quando cœperit. I. 3. 6. Uſus ejus. ibid. Perſonis Sacris tributus. XII. 1. 7. Abuſus ejus. I. 3. 8.*
Delphinus *Primogenitus Regis Galliæ. III. 4. 3. Delphinus Viennenſis & Averrnienſis. III. 3. 3.*
Denarii *Inſignia Regum Portugalliæ. VI. 3. 6.*
Depoſitionis Regiæ Exempla. V. 4. 3.
Deſpotæ. *VIII. 4. 4. & II. 1. 4.*
Imperatores Gentiles Divi *vocati. I. 4. 4. Etiam Chriſtiani. I. 4. 4. Divi Tutelares Regnorum. VI. 3. 10.*
Diademata *loco Coronarum Veteribus. IV. 3. 1. Eorum uſus apud Imperatores Romanos. IV. 3. 3. Uſus hodiernus apud Turcas. IV. 3. 4.*
Dignitatum *ſubordinatarum origo. VII. 1. 10. An e re ſit eas multiplicari. VII. 1. 10. An bene factum, quod Imperio noſtro redditæ ſint hereditariæ. VII. 1. 10.*
Dilectionis *Titulus. I. 3. 4.* Divi *Titulus. I. 4. 5.*
Domini *Titulus ab Impp. rejectus. I. 4. 1. uſurpatus. ibid. Domini qui dicti & quare, I. 4. 2. Domini Principes, Comites, Barones appellati. X. 1. 6. & X. 1. 8.*
Don *Hiſpanorum. I. 4. 4.*
Dona Regia *tempore Inaugurationis erogata. V. 1. 5.*
Draco *Inſigne Chinenſium. VI. 3. 1. & VI. 3. 9.*
Ducatus. *VII. 2. 3.*
Ducum *varia ſignificata. VII. 2. 1. & VII. 2. 4. Origo. VII. 2. 5. Ducum Imperii, Scotiæ, Angliæ, Galliæ initia. VII. 2. 6. Eorundem conditio. VII. 3. 3. 4. 5. Ducum Tituli. VII. 2. 7. Inſignia. VII. 2. 8. Inauguratio. ibid.*

Digitized by Google

ibid. Duces Ducum. VII. 3. 2. Dux Venetorum. VII. 2. 8. & *VII. 3. 6. Ducum Abdicatio. VII. 3. 7. Sepultura. ibid. Magni Duces Hetruriæ. VII. 3. 2. Burgundiæ. ibid. Sileſiæ. ibid. Lithuaniæ. ibid. Shiraſſiæ. ibid.*

Dynaſtæ. *X. 1. 9.*

E Arles *Anglorum. IX. 1. 1.*

Reditus Eccleſiaſtici. *XII. 11. 3. Perſonis Eccleſiaſticis opimis reditibus proſpiciendum eſſe. ibid. 5.*

Edlen. *X. 1. 10.* & *XI. 1. 5.*

Egregii *in Veteri Imp. Romano. VII. 1. 9.*

Electorum *Colonienſis* & *Moguntini controverſia de coronando Imperatore. IV. 1. 3. Electores Archi-Principes. VIII. 2. 1. Æquiparantur Regibus. VIII. 2. 2. prærogativæ contentio. ibid. Eorum Tituli. VIII. 2. 3. Origo. VIII. 2. 4. Cauſa inſtitutionis. VIII. 2. 5. Numerus auctus. VIII. 2. 6. Inſignia. VIII. 2. 7. Autores de iis. ibid. Cur Electores Eccleſiaſtici ab Imp. Nepotes appellentur. I. 3. 4.*

Elephantinus Ordo *in Dania. XVI. 8. Origo hujus. ibid.*

Sacrum Encauſtum. VI. 1.

Enſis *inter Clinodia Regia. IV. 4. 5. quid ſignificet. ibid.*

Epiſcoporum *nomen. XV. 1. 1. Muneris gravitas. ibid. 2. Origo* & *progreſſus. ibid. 3. Exempla eorum, qui inviti Epiſcopatum ſubiere. ibid. 2.*

Epiſcoporum *a Presbyteris Diſcrimen. XII. 1. 8. Epiſcoporum Jura. XV. 2. 1. Epiſcoporum Functiones. ibid. Epiſcopi Exempti. XV. 2. 4. horum ſeries. ibid. Inſignia. ib. 2. 3. Variæ Qualitates. XII. 2. 2. Tituli ſeculares. ib. 4. Juramentum Epiſcoporum. ib. 4. Series Epiſcoporum. It. Directorium Scriptorum de Epiſcopis. ib. 5. Epiſcopi Titularii. ib. 7.* & *XII. 2. 8.*

Epiſcopi *Germaniæ ſunt Principes Imperii. VIII. 3. 4.*

Hungariæ Reges inaugurandi Equum *in collem adigunt. V. 2. 7. Sultani Ægyptii inaugurandi* Equum *in amnem adigunt. ibid.* Equus *Inſigne Witekindi Saxoniæ Regis. VI. 3. 1.*

Equeſtris dignitas *mediæ naturæ inter ſacra* & *civilia. XVI. 1.*

Equitum *Creatio a Novis Regibus. V. 1. 7. Equites Romani. ibid. Equites Balnei* & *eorum inſigne. ibid.*

Equites Clinodiorum. *XVI. 1. tot. Torquati dicti. ibid. 2.*

Equites Aurei *velleris. XVI. 3.*

Equites *Periſcelidis. XVI. 4.*

Equites Balnei. *XVI. 5. horum Autor. ibid.*

Equites Spiritus S. *XVI. 6. ib. 7. unde dicti. ib. inſignia. ibid.*
Deſid. Eraſmi *verum Nomen. 5. 2. 1.*
Escuyer *Gallorum. 11. 1. 7.*
Eſquires *Anglorum. ibid.*
Exaugurationes *Regiæ. 5. 4. 3. Earum ritus. 5. 4. 4.*
FAſdiſtolia *Medtorum Seculorum. 6. 2. 1.*
Filii Franciæ *qui dicti. 8. 4. 3.*
Fœminæ *Reges vocatæ. 5. 3. 1.*
Franciæ *Rex vocatur Rex Angliæ, & quare. 1. 2. 6.*
Franciſcus I. *proclamatus Imperator Orientis, & quare. 1. 2. 6.*
Frugi Danorum ordo. 16. 8.
Fürſt. 8. 1. 3.
GAlliæ Rex *vocatur Chriſtianiſſimus. 2. 2. 3. Primogenitus Eccleſiæ. ib.* Regis Galliæ *Luctus exprimitur Colore Violaceo. 6. 1. 7. Cur Cromwellum atro colore luxerit. 6. 1. 7.* Galliæ Regum *Inſigne Lilia. 6. 3. 5.* Rex Galliæ *eſt Navarræ Rex. 3. 1. 5.* Reges Galliæ *communicant ſub utraq;. 5. 1. 4. Poſt Inaugurationem certa Dona offerunt. 5. 1. 5. Eorum profectio religioſa ad S. Marculphum. 5. 1. 5. Rex Galliæ inaugurandus in Lecto decumbit. 5. 2. 2. Circumſtantiæ hujus ritus. ibid. Rex Gall. inauguratus fit Eques S. Spiritus. 5. 2. 3. Regum Galliæ Donum ſtrumas ſanandi. 5. 2. 4. S. Maria Patrona R. Galliæ. 6. 3. 10.*
Galeæ *in Inſignibus. 6. 3. 3.*
Gentilhomme *Gallorum. 11. 1. 7.*
Genuenſis *Reſp. cur vocetur Sereniſſima. 1. 4. 6.*
Genuenſium *Dux, 7. 2. 2.*
Genuflexiones *coram Regibus Angliæ, Hiſpaniæ, Gago in Africa, Pontificibus M. 6. 2. 2. Cauſæ earum. 6. 2. 2.*
S. Georgius *an extiterit? 16. 4.*
Globus *inter Clinodia Regia quid ſignificet. 4. 4. 1.*
Gothorum *Titulus in Suedia Vandalorum Titulo præponitur. 3. 2. 1. Gothi qui. 3. 2. 2.*
Concordia Eccleſiarum Græcarum cum Evangelicis ſpecimina. 14. 2. 6.
Grandes *in Hiſpania. 7. 1. 7.*
HEnricus Auceps *cur non Imperatorem, ſed Regem ſe ſcripſerit. 1. 2. 2.*
Heptarchæ *Anglorum. 8. 1. 6.*
Heregravii. 9. 2. 8.
Heretags Bauren. 9. 2. 8.

Digitized by Google

Herren. 10. 1. 6.
Hertzog. 7. 2. 1.
Hibernia *in Regnum evecta. 1. 1. 8. & 3. 1. 10. Reges Angliæ primum vocati Domini Hiberniæ. 1. 1. 7. Origo & progreſſus hujus rei. 10. 1. 7. Hiberniæ Inſignia. 6. 3. 7.*
Hierarchia *Eccleſiaſtica explicata. 12. 1. 1. Ejus Antiquitas. ib. 3. Dubia de ea. ib. 4. 5. 6. Initia Hierarchiæ. ibid. 7.*
Profectio ad S. Hiobum *apud Turcas. 5. 1. 5.*
Hiſpaniæ Rex: *Luxuries in Titulis ejus unde. 1. 1. 4. Vocatur Catholicus. 2. 2. 2. Ejus integer Titulus in Philippo IV. Philippo III. & Carolo V. 3. 1. 2. Diſcrimen in Titulis hiſce. 3. 1. 3. Cur vocetur Rex Jeruſalem. 3. 1. 4. Ejus Jus in Siciliam Inſulam. 1. 1. 8.* Hiſpaniæ Regum *Liberi Infantes. 3. 4. 2. Primogenitus Princeps Aſturiarum. 3. 4. 2.* Hiſpaniæ Reges *nigris Veſtibus adeundi ſunt. 6. 2. 10.*
Holſatiæ Duces *vocantur Heredes Norwegiæ. 3. 2. 1.*
Hony ſoit qui mal y penſe *explicatum. 16. 4.*
Hungariæ *Reges inaugurandi Equum in collem adigunt. 5. 2. 7. Hungariæ Status. 15. 2. fin.*
Hydalgi *Hiſpanorum. 11. 1. 8.*
JApaniæ Regum *Miniſtri ſe interficiunt una cum Dominis ſuis. 6. 2. 11.*
Ignis *priſcis Imperatoribus præferri ſolitus. 6. 2. 8.*
Igniarium & ſilex *ſymbolum equitum aurei velleris. 16. 1. 3.*
Titulis Illuſtris *Regibus tributus. 1. 4. 7. Illuſtres in Veteri Imperio Romano. 7. 1. 8.*
Imperialis *Inſula. 4. 3. 3.* Imperalis Corona *vocata corona Anglica. 1. 2. 6. Imperatorum Purpura. 6. 1. 4.* Imperatoriæ *veſtes. 6. 1. 8.*
Imperatoribus *priſcis Ignis præferri ſolitus. 6. 2. 8.* Imperatorii *Nominis origo. 1. 2. 1.* Imperatores *Reges vocati. 1. 2. 2. Henricus Auceps cur non Imperatorem, ſed Regem ſe vocaverit. 1. 2. 2. Græcum Nomen* Imperatorum. *1. 2. 4. Imperatoris Titulus repertus inter Reges Hiſpaniæ, Angliæ, Galliæ, Abyſſinorum. 1. 2. 6. Idem Turcis pacto conceſſus. 1. 2. 6. Imperatores quo ſenſu ſunt Advocati Eccleſiæ. 2. 1. 7. Jus* Imperatorem *coronandi cui competat. 4. 1. 3.* Imperatores *noſtri cur vocentur Electi Imperatores. 4. 1. 4. Ritus* Imperium *a Sacro ordine emendi. 4. 2. 2. Dignitates in Imperio noſtro an recte factæ ſint hereditariæ. 7. 1. 10.*

Digitized by Google

Inaugurationes *Regum fiunt a Sacro Ordine. 4.1.2. Loca iis deſtinata.* 4.1.7. *Veſtes.* 6.1.1.
Infantes *Liberi Hiſpaniæ & Portugalliæ Regum.* 3.4.2. & 8.4.4. *Infantaticum. ibid.*
Inſignium *varia ſignificata.* 6.1.1. Inſignia *priſcorum Regum.* 6.3.1. *Inſignium partes.* 6.3.2.
Judæi *Titulo Don utuntur.* 1.4.3.
Junckern *qui dicti.* 11.1.6.
Juramentum *Regum.* 5.1.2. *Juramenta Imperatorum duo. ibid.*
Juramentum *Epiſcoporum.* 15.2.4.

K Neſil *Ruſſorum* 11.3.6.
Krales, *Kralitza Quales Tituli in Imp. Græcorum.* 1.1.12.
Κύριος, Κυρός, Κύρα *qui in Imperio Græco vocati.* 1.4.2.

L Andgravii. 9.2.8.
Magnus Lamma. IV. 1.5.
Lapis fatalis *Scotorum in Anglia.* 3.1.6.
Legatorum *Natorum Qualitas.* 15.1.6. *Legati ſedis Romanæ trium generum. ibid. Legatus Apoſtolicus quinam? ibid.*
Lilia *Inſigne Gallorum.* 6.3.5. *Eorum cauſa, origo &c. ibid.*
Lordi *Anglorum.* 7.1.4. *Eorum Privilegia. ibid.*
Luna *Inſigne Imperii Turcici.* 6.3.9.

M Agnifici *Titulus Carolo M. tributus.* 1.4.7.
Magnus Mogor. 2.3.5. *Magnus Neguſcb.* 2.3.6. *Magnus Cham & Canis.* 2.3.5. *Magnus Tabachi.* 2.3.7.
Majeſtatis *Titulus quibus tribuatur* 1.3.2. *Aliis Regibus ab Imperio denegatum.* 1.3.3.
Mann ſimplex Nomen Nobilibus tributum. 11.1.7.
Marchiones. 9.2.6. *Imperii. ibid. Italiæ.* 9.2.7. *Galliæ, Angliæ. ibid.*
Profectio Regis Galliæ ad S. Marculphum. 5.1.5.
Mare Balthicum unde dictum. 10.1.9.
Mitra *Epiſcopalis.* 15.2.3.
Mitra bicornis *apud Romanos. ibid. Ratio cur bicornis. ibid. Forma mitrarum. ibid.*
S. Michaelis *Ordo in Gallia.* 16.6. *hujus autor. ibid. Inſignia. ibid. ſtatuta. ibid.*
Mogor & Mogol. 2.3.5.

Sym-

Symbola Nationum in Monetis *conſpicua. 1. 1. 11.*
Monetæ *tempore Inaugurationum ſparſa ſymbola. 5. 1. 6.*

NAturales filii *perſonarum Illuſtrium. 8. 4. 9. Regum Angliæ, Daniæ, Portugalliæ, Pontificum, Hiſpaniæ, Galliæ. 8. 4. 10.*
Navarræ Rex *Rex Galliæ. 3. 1. 5.*
Navarra *ab Hiſpanis occupata. ibid. Quæ partes Navarræ à Gallo adhuc teneantur. ibid.*
Neapolitanum Regnum *Tributarium Sedi Romanæ. 1. 1. 7. Annua penſio ejus Pontifici M. danda & ceremoniæ circa eam. 1. 1. 7.*
Nimrod *qualis. 1. 1. 2. quo ſenſu* Potens venator *dictus? ibid.*
Nimrodi nepos *Atila dictus, quo ſenſu. 3. 3. 1.*
Nobiliſſimatus *Dignitas. 2. 1. 3. & 11. 1. 4.*
Authores de Nobilitate. *11. 1. 1.*
Nobilitas Cœleſtis, Virtutis & Civilis. *11. 1. 2.* Barbarica, Philoſophica & Mixta. *11. 1. 2. Nobilitas* Superior & Inferior. *11. 2. 3. Nobilitas nititur autoritate publica. 11. 1. 2. & 11. 2. 1. Ejus abuſus. ibid. 4. & 11. 2. 7. Ad Nobilitatem virtus non ſufficit. 11. 1. 2. & 11. 2. 3. & 11. 2. 5.*
Nobilitas Virtutis *apud Turcas ſolum in uſu. 11. 3. 8.*
Nobiles *vocati Principes. 11. 1. 3.* Nobilium privilegia. *11. 2. 6. & 11. 2. 13.* Nobilium initia. *11. 2. 8. Inſignia. 11. 2. 14.*
Novi Nobiles *quo in loco habendi. 11. 2. 9. Antiquorum Nobilium Dignitas. ibid. Nobiles requiruntur eſſe Divites. 11. 2. 11.* Nobiles Hiſpaniæ. *11. 3. 1. Galliæ. 11. 3. 2. Angliæ. 11. 3. 3. Belgii. 11. 3. 4. Daniæ. 11 3. 5. Sueciæ. ibid. Poloniæ. 11. 3. 7. Bohemiæ. ibid. Imperii. 11. 3. 9. Nobiles Landſaſſii & Schriftſaſſii in Saxonia. 11. 3. 10.* Die Schloßgeſeſſene *in Pomerania. 11. 3. 12. Hungarorum* Vere Nobiles. *11. 3. 8.*
Nominum mutatio *apud Reges Abyſſinos. 5. 2. 1. Apud Pontifices Maximos. 5. 2. 1. apud Patriarchas Eccleſiarum Orientalium. ibid. apud privatos. ibid. ap. Judæos. ibid. Nomina Diminutiva in Ruſſia. 6. 2. 10.*
Norvegiæ Heres *Dux Holſatiæ. 3. 2. 1.*
Norvegiæ Rex, *Sex Daniæ. ibid.*
Numi erogati *ſub Inaugurationibus Regiis. 5. 1. 6.*

O*Leum Rhemenſe. 4. 2. 4. Turonenſe. ibid.*
Ordo S. Michaelis *in Gallia. 16. 6.*

Ordo

Ordo S. Spiritus. *ibid.*
Ordo frugi Danorum. *16. 8. inſignia. ibid.*
Ordo Annunciationis. *16. 9.*
Oratio Job. Caſimiri Poloniæ Regis, qua Regno ſe abdicavit. 5. 4. 4.
Oſcula Manuum *apud Perſonas illuſtres. 6. 2. 4. Denegantur Legatis Turcicis in Aula Imperatorum noſtrorum. 6. 2. 4.* Oſcula Pedum *apud Pontifices. 6. 2. 5. Controverſiæ de iis. ibid. Origo hujus ritus. 6. 2. 6. Oſcula Pedum apud veteres Imperatores Romanos & Græcos, item Reges Galliæ.*
PAlatinus *Hungariæ, qui ſit. 1. 1. 14.*
Pallium inſigne *Archiepiſcoporum. 15. 1. 8. Pallium petendi formula. ibid. Pallii deſcriptio. ibid.*
Comites Palatini. *9. 2. 1. Origo. 9. 2. 2. Officium. 9. 2. 3. Quales in Imperio. 9. 2. 4. Poloniæ. 9. 2. 5. Aliarum Regionem. 9. 2. 5.*
Rex Galliæ *Panem & Vinum offert poſt Inaugurationem. 5. 1. 5.*
Parium Franciæ *munus. 4. 1. 6. Contentio prærogativæ cum Cardinalibus. 4. 1. 6. Conditionis eorundem prolixa expoſitio. 7. 1. 5.*
Patriarchæ. 14. 2. tot.
Patroni Tutelares *Regnorum. 6. 3. 12. Patronatuum iſtorum mutatio. ibid.*
Pedilavium Regum. 6. 3. 12. & 13. 2. 7.
Periſcelidis Equites. *16. 4. horum inſigne. ib. hujus ordinis Reges Angliæ præſides. ibid.*
Perfectiſſimi *in veteri Imp. Romano. 7. 1. 9.*
Perſarum Reges *inaugurandi Veſtes Veteris Cyri olim induerunt. 6. 1. 2.*
Pfaltzgrafe/*quale Nomen. 9. 2. 2.*
Cur Principes *Pluralem Numerum ſibi tribuant. 1. 3. 5. De Regno Hiſpaniæ obſervatio hac in re. ib.*
Polonia *primo in Regnum ab Imp. Ottone evecta. 1. 1. 7. An fuerit tributaria Imperii. ibid. Poloniæ Regis Titulus, 3. 2. 3. Cur Titulo Suediæ Regis uſus fuerit & quousque. 3. 2. 3. Ejus profectio ad S. Stanislaum. 5. 1. 5.*
Pontificis M. *conſuetudo Regna erigendi. 1. 1. 8. Prætenſio in Regnum Hiberniæ. ib. In Siciliam. ib. Cur. Impp. priſci* Pontifices Maximi *vocari voluerint. 1. 4. 5. & 2. 1. 7. Tituli Pontificii. 13. 1. 11.* Pontificum M. *in Titulis exceſſus. 3. 3. 1. & 13. 1. 12. cur Pontifex M. Servus Servorum. 3. 3. 4. Pontifex M. confirmat Novos Reges & benedicit eis. 4. 1. 5. Controverſia ea propter acta inter P. M. & Maximilianum II.*

Imp. ibid. Coram. Novis Pontificibus M. ſtupæ faſciculus accenditur, & quare. 6. 1. 8.
Pontificis Maximi Nomen & Synonyma. 13. 1. 1. 2. 3. Quid de Primatu Ordinis P. M. ſentiendum. ib. 4. Ejus Poteſtas Eccleſiaſtica. ib. 5. Controverſia cum Græcis eo nomine. ib. 6. Poteſtas temporalis, in Imperatores prætenſa. ib. 6. Negocia Gallica eo nomine agitata. ib. 7. Anglica. ib. 8. Poteſtatis ſecularis in Italia initia & progreſſus. ibid. 9. 10. Electionis & Inaugurationis Pontificiæ Hiſtoria. 13. 2. tot. Mors Pontificum. 13. 2. 10.
Porphyrogenneti *cur dicti fuerint Impp. Conſtantinop. 2. 3. 1.*
Portativi Epiſcopi. 15. 2. 6.
Portugalliæ *Regum Inſignia. 6. 3. 6. Titulus. 3. 1. 6.*
Dignitas le Pour *in Gallia. 7. 1. 6.*
Prærogativa *Regum. 6. 3. 10.*
Prætores *in Attica vocabantur Epiſcopi. 15. 1. 1.*
Precioſi Johannis *ſeu Presbyteri Johannis Nomen quale & cujus. 2. 3. 6.*
Primates *cur dicti Archiepiſcopi. 15. 1. 4.*
Primatis *titulo utuntur Archiepiſcopi in Anglia. ibid.*
Primatis *titulus controverſus. ib. Primas regni Poloniæ. ib. Primas regni Hungariæ & Hiſpaniæ. ibid.*
Printzen. 8. 4. 1.
Principis *Nomen quid importet. 7. 1. 1. Varia ſignificata. 8. 1. 1. & 8. 4. 2. Initia in Imp. Romano. 8. 1. 2.*
Princeps Aſturiarum. *3. 4. 2. & 8. 4. 1. Walliæ. 3. 4. 4. & 8. 4. 1.*
Principes Anhaltini. *8. 3. 1. Sueviæ. 8. 3. 2. Vandalorum. ibid. Rugiæ. ibid. Halberſtadii, Mindæ, Camini. 8. 3. 3. Epiſcopi Germaniæ ſunt* Principes Imperii. *8. 3. 4. Novi Principes in Imperio. 8. 3. 5.* Principes Orangii. *ibid. Principes Galliæ. ibid. Italiæ. 8. 3. 7. Wallachiæ & Moldaviæ. ibid.* Princeps Tranſilvaniæ *eſt Comes Siculorum. 9. 3. 3. Diſcrimen inter Principes & ſtatus. 10. 2. fin.*
Principes Juventutis. 8. 4. 4.
Principes Principum. 8. 3. 7.
Magni Principes. 8. 3. 6.
Principes *Sanguinis. 8. 4. 1. Eorum prærogativa. 8. 4. 2. & 3.*
Principes *ſanguinis in Gallia. 8. 4. 7. In Anglia. 8. 4. 8.*
Proborum Danorum *ordo. 16. 8.*
Proceres *ap. Veteres Hiſpanos. 7. 1. 6.*

Purpura *Imperatorum. 6. 1. 4. Purpura quotuplex. ibid. Purpura vera intercidit. 6. 1. 5. Sed ſperatur de novo invenienda eſſe. 6. 1. 5.*

Barones QUinqueportuum *in Anglia. 10. 2. 6.*

REformatio *Aulæ Romanæ an expetenda 13. 2. 11.*

Cur Anglorum Reginæ Queenes *dicantur. 5 3. 1.*

Reginarum *Coronationes cur aliquando differantur. 5. 3. 2.*

Rex: Reges Antediluviani. *1 1. 1. Reges Conqueſtu tales. 1. 1. 4. Reguli Paleſtinæ & ſim. quales. 1. 1. 5. Reges Inferiores. 1 1. 9* Reges Regum. *1. 1. 10. Titulus* Regis Regum *Chriſto tributus. 1. 1. 11.* Quatuor uncti Reges. 4 3. 2.

Reges inaugurandi fidei profeſſionem edunt. 5. 1. 3.

Regum qui ſponte abdicaverunt exempla. 5 4. 1. Cauſa hujus rei. 5. 4. 2. Eorum qui coacti abdicaverint. 5. 4. 3. Regum Veſtes. 6. 1. 3. Prærogativa Regum. 6. 3. 10.

Rico Hombre in Hiſpania. 7. 1. 7.

Rugravii. 9. 2. 9.

Magnus Dux Ruſſiæ an à Pontifice M. Titulum Regium petierit. 1. 1. 7. Cur Czar vocetur. 1. 2. 6. Eum Compellantes ſubditi ſui Nomina in Diminutiva transformant. 6. 12. 10. Ruſſorum Bojari. 10. 1. 4. Eorundem Kneſii. 11. 3. 6. Inaugurandus Piſcibus Perenslavienſibus veſcitur. 5. 2. 7.

S*Abaudiæ Dux Excellentia Regalis ſalutatur. 1 1. 13. Ejus integer Titulus. 3. 2. 3. Cur vocetur Rex Cypri. 1. 1. 13. & 3. 2. 3.*

Georg. Sabini verum nomen. 5. 2. 1.

Sacri, Sacratiſſimi, qui dicti. 1. 4. 5.

Lex Salica. 3. 1. 8.

Sceptrum quid ſignificet. 4. 4. 4. Sceptra duo in R. Britanniæ integrum & ſubfractum. ibid. Uſus antiquus Sceptrorum. ibid.

Schach Titulus Regis Perſiæ 2. 3. 4.

Scotorum Lapis fatalis. 3. 1. 6. Scotiæ Inſignia. 6. 3. 7.

Scutum in Inſignibus. 6 3. 2.

Sebaſtocratores qui dicti? 2. 1. 4.

Seculi Aurei conditio. 1. 1. 3.

Sella Stercorari . 13. 2. 5.

Semper frenen. 10. 1. 10.

Sere-

Sereniſſimi Titulus. 1. 4. 6. Cur Venetorum Resp. eo utatur. ibid. Cur Genuenſis Resp. ibid.
Sergius II. P. M. non fuit Os Porci dictus. 5. 2. 1.
Servus Servorum cur vocetur Pontifex M. 3. 3. 4.
Sbiræ Anglorum. 9. 1. 2.
Sicilia duplex cis Pharum & trans Pharum. 1. 1. 7. Baronii Liber de Monarchia Siciliæ. ibid. P. M. prætenſio in Siciliam trans Pharum. ibid.
Silex & Igniarium ſymbolum Equitum aurei velleris. 16. 3.
Sire Regum Galliæ & Angliæ compellatio. . 14. 3.
Sophi Titulus Regis Perſiæ. 2 3. 4.
Spectabiles in Veteri Imperio Romano. 7. 1. 9.
Spiritus Sancti ordo in Gallia. 16. 6.
Status variorum Regnorum. 10. 2. fin.
Hiſtoria Tactus Regii in Strumis ſanandis. 5. 2. 5. Cauſa hujus rei. 5. 2. 4.
Suediæ Regis Titulus. 3. 2. 1. Suediæ Reges minorennes vocantur Reges Deſignati & Principes hæreditarii. 3. 4. 1. Rex Suediæ jurat in Auguſtanam Confeſſionem. 5. 1. 3. Regni Suediæ Inſignia. 6. 3. 9.
Sultani quales. 2. 3. 1.
Syd, Sid & Said quales Tituli apud Mauros. 1. 4. 3.
Symbola in monetis Anglicis, Gallicis, Græcorum Imperatorum. 1. 1. 10.
TEtrarcha. 8. 1. 5.
Thani veterum Anglorum. 10. 1. 5.
Throni Regum, Epiſcoporum. 6. 2. 1.
Titulorum Exceſſus in Sede Romana. 3. 3. 1. Apud Orientales. 3. 3. 2. Apud Africanos. 3. 3. 3. Cauſa ejus. ibid.
Tituli Humiliatorii. 3. 3. 4.
Toparchæ. 8. 1. 5.
Torques aureus inſigne Equitum aurei velleris. 16. 3.
Tulipant a Turcarum. 4. 3. 4.
Turcis Imperatorius Titulus pacto conceſſus. 1. 2. 6.
Titulorum Imp. Turcici exceſſus. 3. 3. 2. Turcæ nigras veſtes oderunt. 6. 2. 10. non æſtimant Nobilitatem 11. 3. 8. Turcicorum Imperatorum profectio ad S. Hiobum. 5. 1. 5.
Titularii Epiſcopi. 15. 2 6.
Titularii Ambulatorii & portativi dicti. ibid.

Vale-

VAleſiorum Nomen in Gallia. 8. 4. 3.
Vandalorum Rex, Dux, Princeps qui ſcribantur. 3. 1. 1. Vandalorum Titulus in Dania Gothorum Titulo præponitur. 3. 2. 1.
Vandali qui. 3. 2. 2. An & quomodo à Venedis diſtinguantur. 3. 2. 3. Civitates Vandalicæ. ibid.
Venetorum Reſp. cur vocetur Sereniſſima. 1. 4. 6.
Venetorum Ducis Inauguratio. 7. 2. 8.
Veſtes Veteris Cyri in Inaugurationibus Regum Perſiæ. 6. 1. 2. Caroli M. in Imperio noſtro. 6. 1. 2. Veſtes Holoberæ. 6. 1. 4.
Veſtes Imperatoriæ. 6. 1. 8. Veſtium Regiarum luxus in Oriente. 6. 1. 12. Veſtibus ſplendidis cur Perſonis Illuſtribus opus ſit. 6. 1. 11. In Hiſpania Reges nigris veſtibus adeundi ſunt. 6. 2. 10.
Vexillorum explicatio in Inaugurationibus Regiis Hiſpaniæ & Hungariæ. 5. 2. 6.
Vice-Reges. 1. 1. 14.
Vice-Comites Angliæ & Galliæ. 9. 3. 5.
Virgæ Laureatæ Impp. prælatæ. 6. 2. 9. Virga Juſtitiæ in Regno Galliæ. ibid.
Unctionis antiqui Uſus. 4. 2. 1. Uſus in Rep. Iſraelitica. 4. 2. 2. Prima initia in Inaugurationibus Imperialibus. 4. 2. 3. Quatuor uncti Reges. 4. 2. 3. Finis, Modus, Formulæ ungendi in Inaugurationibus. 4. 2. 5.
Nomen Vogt explicatum. 2. 1. 7.
WAiwodæ. 9. 2. 5.
Camerarius Wormatienſis privilegium habet ut ſemper primus ſit inter eos, qui Equites Romani creantur. 5. 1. 7.
YNcarum Titulus in Peruvia. 2. 3. 7.

FINIS.

Digitized by Google